GRAVISSIMAE QVÆSTIONIS, DE CHRISTIANARVM ECCLESIARVM, IN *Occidentis præſertim partibus,* AB APOSTOLICIS TEMPORIBVS ad noſtram uſq; ætatem, continuâ ſucceſſione *& ſtatu, Hiſtorica Explicatio.*

AVTHORE
JACOBO USSERIO,
S.æ Theologiæ in DVBLINIENSI
Academiâ, apud Hibernos,
Profeſſore.

Quid in Tractatus hujus parte, quam jam damus, *primâ* & *ſecundâ* continetur, Elenchus capitum, operi præfixus, declarabit.

Ambroſ. Hexaëmer. lib. 4. cap. 2.
Eccleſia videtur ſicut Luna deficere, ſed non deficit: obumbrari poteſt, deficere non poteſt.

LONDINI
Excudebat BONHAM NORTON,
Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis in Latinis, Græcis & Hebraicis Typographus.
Ann. MDCXIII.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO Principi IACOBO, Dei gratiâ, *Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ* Regi, Catholicæ fidei *Defenſori, &c.*

ROMANAM *beſtiam, quod tu minimè omnium ignoras,* (Rex Sereniſsime) *univerſam terram* mirabundam *poſt ſe traxiſſe, in divinâ B. Johannis traditum eſt* [a] *Apocalypſi. Nec id neſcire poteſt, qui de Romanæ Reipub. magnitudine* [b] *Juſti Lipſij* Admiranda, *& de Eccle-*

[a] Apocal. 13.3.

[b] *Lipsii* Admiranda, *edit. Antuerp. an.* 1598.

ſiæ Romanæ magnitudine [c] *Thomæ Stapletoni* Verè Admiranda *perlegerit, ac perlecta inter ſe contulerit. Et fuit ſanè tempus, quando* [d] trecentis gentibus aut amplius, non niſi una legitima Imperij Romanorum majeſtas præerat; Religio *quoque inter Chriſtianos* non niſi una *fuerat. Sed poſtea mutatio ſucceſſit, tum Religionis tum Imperij. Mutatum Imperium & agnoſcunt* & admirantur *ipſi Pontificij.* Non eſt inexpertum quod dico (*ait* [e] *Thomas Waldenſis*) ſed cùm attenditur, magnum mirum. Ubi jam eſt obedientia Cæſari debita, quam potenter olim exegit inter & ſuper omnes, Latinos & Græcos; cui vix quarta pars obedit Europæ? Romanæ verò Eccleſiæ, ex parte Dei, ſine diminutione obedit omnis Orbis occiduus.

[c] *Stapleton.* Verè admiranda, *edit. Antuerp. an.* 1599.

[d] *Diodorus Tarſenſis, lib°. 6°. de Fato: in Bibliothecà Photij.*

[e] *Walden. Doctrinal. fid. tom.* 1. *lib.* 2 *artic.* 3. *cap.* 44.

occiduus. *Quanquam autem amoto illo, qui primis Chriſtianiſmi temporibus rerum potiebatur,* [f] revelandus erat ex-lex ille; *nec à Romano Imperatore ablato ſceptro, adventus Antichriſti expectatio magis erat differenda, quàm Chriſtus novus poſt ſceptrum ablatum à Judâ fuit expectandus: clamant tamen Romanenſes & dejerant, nullam in Religione mutationem factam;* [g] *teſtanturque* res omnes & reculas, nullam in Orbe Religionem niſi ſuam, imis unquam radicibus inſediſſe. *Antiquæ verò religionis reſtauratoribus* novitatem *exprobant veteratores : eoſque affirmant* [h] ſeculis omnino quindecim, non oppidum, non villam, non domum reperire imbutam doctrinâ ſuâ. *Et quaſi res poſita fuiſſet extra omnem controverſiam,* [i] conſtare manifeſtè *aſſerunt,*

[f] *2. Theſſal. 2 7.8. Vid. 3. cap. tractatus huius,* §. 22.

[g] *Campian. rat.* 10.

[h] *Id. rat.* 3.

[i] *Coſter. Enchirid. Controverſ. cap.* 2. De Eccleſiâ.

runt, neminem toto orbe mortalium ante Martinum Lutherum, hoc eſt ante annum Domini Chriſti 1517. extitiſſe, qui eam fidem teneret, quam Lutheri, Calvini, aut aliorum hæreſiarcharum (*quos appellant*) diſcipuli profitentur. *Imò* ipſi, *ait* [k] *Briſtous*, fateantur neceſſe eſt, Eccleſiam ſuam nunquam in Orbe extitiſſe, nunquam, inquam, nullo omnino tempore, ante tempus hoc noſtrum.

[k] *Briſt. Poſtulat.* 40.

Horum hominum impudentia, Rex potentiſſime, *ad diligentiorem anteriorum temporū contemplationem me, aliâs ad antiquitatis ſtudia ſatis propenſum, impulit: indeque nata eſt hæc, quam jam ſupplex* Majeſtati Tuę *offero, Hiſtoria. Ipſa certè argumenti dignitas*, *ut* Tibi, *Antiquæ fidei Defenſori Maximo, opus dedicarem, quodammodo invitavit:*

&

& quanquam nihil à me quidem in lucem proferri potuit, quod tanti Principis dignum eſſet lectione, hanc tamen ſcriptionem, qualiscunque ea eſſet, vel eo nomine Tibi *non ingratam futuram augurabar, quòd ex* Tua *prodiiſſet* Hibernia,*unde*

Sceptra per innumeros miſſa tueris avos.

Quàm te egregium antiquæ Fidei præſtiteris Defenſorem, ſenſerunt non ita pridem Romanæ Eccleſiæ Cardines, ſenſit ipſum novæ Fidei Caput: tortus eſt miſerè Cardinalis Bellarminus; Pauli V. *bullæ diſsipatæ ſunt. Non audet tecum in arenam deſcendere Papiſtarum* Vice-Deus: *cujus exemplo diſcant ſucceſſores, quòd ipſorum deinceps* Nemo te impunè laceſſet. *Tui verò in Hiberniam noſtram affectus ſingularis nec pauca poſſem indicia oſtendere, nec obſcura: ſed de quibus ſatius duco, nihil, quàm pauca proloqui.*

loqui. Illud tamen, abſque animi ingratiſsimi crimine, taceri non poteſt: quòd in Vltonienſi coloniâ conſtituendâ, copioſis redditibus & latifundijs Eccleſias atque Scholas dotaveris; Dublinienſi verò noſtræ Academiæ non modò prædia ampliſsima atque fundos, ſed etiam annuum ex fiſco Tuo *ſtipendium perpetuumque pecuniarum ſubſidium, munificentiſsimè largitus ſis: id quod nos qui tanto jam fruimur beneficio,** πάντη τε ϗ πανταχοῦ ἀποδεχόμεθα, *& gratâ proſequetur memoriâ omnis poſteritas. Vnum adhuc ſupereſt, quod votis omnibus à* Majeſtate tua *expetunt omnes boni: ut populo noſtro pereunti properè ſuccurrere, & peſte Pontificiâ miſerè laboranti, facere velis medicinam.* Nolunt quidam (*liceat enim ijſdem* Te *compellare verbis, quibus ad antiquos Imperatores uſus eſt olim*[1] *ſcriptor*

* prorſus & ubique agnoſcimus. *Act.* 24. 3.

[1] *Julius Firmicus Maternus, de errore profan. relig. cap.* 17.

ptor

ptor antiquus & Chriſtianus) & repugnant, & exitium ſuum prona cupiditate deſiderant: ſed ſubvenito miſeris, liberato pereuntes. Ad hoc Tibi Deus ſummus commiſit imperiũ, ut per Te vulneris iſtius plaga curetur. Facinoris eorum periculum ſcimus, erroris notæ ſunt pœnæ: ſed melius eſt ut liberes invitos, quàm ut volentibus concedas exitium. *Ita* T e *diu nobis ſoſpitem ſervet ſummus ille Deus, thronum* Tuum *in terris ſtabiliat, & Regno* T E *in cœlis beet ſempiterno.*

Sereniſſimæ Majeſtati Tuæ

devotiſſimus Subditus,

Jacobus Usserius

Dublinienſis.

Lectori Benevolo S.

Litem nobis intendunt hodie Pontificij, tum de Antiquitate Religionis noſtræ, tum de perpetuâ ejuſdem ad hæc uſque tempora Continuatione. Priorem cauſſam optimo cum ſucceſſu aggreſſus eſt ὁ μακαρείτης Johannes Juellus Sariſburienſis ille nunquã ſatis laudatus Epiſcopus : & primos ſexcentos annos, temporis partem ut antiquiſſimã ita & optimã, nobis vindicavit. Reliqua eſt pars major & obſcurior, 900. annorum ſpatium complexa : quo toto tempore, clamant Adverſarij Eccleſiam noſtram vel nuſquam omnino extitiſſe, vel [a] *coactam eſſe ſervire Dijs alienis, adorare idola, ſacrilegijs communicare* . Hanc ego Spartam cùm ſuſciperem adornandam, operæ pretium me facturum putabam, ſi non de Eccleſiarum tantùm *continuâ ſucceſſione*, ſed etiam de communi illorum tẽporum *ſtatu* diſſererem ; atq; eâdem (ut dicitur) fideliâ duos dealbarem parietes. Ita autem in hâc Hiſtoriâ verſatus ſum, ut deditâ operâ meis verbis abſtinuerim, ubi uti poſſem alienis : &, [b] Nicolai Serarij exemplo, *ipſorum, apud quos hiſtoriam inveniſſem, & nomina ederem, & verba redderem.* Non eſt quidem (ut rectè ille monet) *iſto modo ſtylus uniuſmodi & æquabilis: ſed ad narrationis veritatem, & rerum quæ narrantur examen, multò videtur ea ratio accommodatior. Harum enim momenta quomodo expendantur, niſi qui & quales, à quibus illæ manant, fontes cognoſcantur ?* Et quanquam in rebus hoſtium ſuorum (Berengarij, Waldenſium, Wicclifſij & ſimilium) explicandis ita gerere ſe ſoleant ſcriptores Pontificij, ut ipſa malitioſiùs non poſſet loqui malitia : non tamen

[a] *Bellarmin. de notis Eccleſ. cap. 5.*

[b] *Serar. Moguntiac. rer. lib. 1. cap. 1. §. 2.*

tamen vel contumelias illas ſupprimere, vel pro *hæreticorum, apoſtatarum*, &c. odioſis nominibus alia leniora ſubſtituere volui; ne fortè de meâ in producendis authoribus fide conquererentur Adverſarij. Et ut ipſa authorum verba ſimpliciter proponerem, omiſſis etiam quæ inde deduci poſſent conſectarijs, remq; integram æqui lectoris judicio relinquerem, authores mihi fuerunt graves viri: quorum judicio & authoritati obtemperavi libens. Cùm *ſextum* Caput ſcriberem, non pervenerat ad manus meas ſcriptum *Rainerij* contra Waldenſes à Jacobo Gretſero nuper editum: [c] putaveramque (ut ipſe aliquando Gretſerus) alium fuiſſe authorem fragmenti à Fl. Illyrico & M. Frehero editi. Quoties igitur in eo capite *vetus author Germanus* citabitur, qui de *Waldenſium* ſcripſit *doctrinâ & moribus*, toties meminerit Lector, *Rainerium* intelligendum eſſe. Errata typographica, quæ in tumultuariâ operis lectione animadverſa ſunt, ſubijcienda curavi: reliqua, quæ occurrent, candidus Lector ipſe emendabit.

[c] *Vid. infr. cap.* 6. §. 11.

IN numeris paginarum, pro num. 98. 102. 164. operarum incuriâ poſiti ſunt 102. 106. 146.

Pag. 8 lin. 5. 6. legendum, *authoritate.* pag. 13. l. 18. *inveniuntur.* p. 20. l. 4. *commentitium.* p 49. l. 1. *ſtabilirent.* p. 216. l. 13. & 305. l. 28. *Archiepiſcoporum.* 223. l. 8. *coniugibus.* 295. l. 22. *quicquid erant, monachi erant, fraterculi erant.* 120. l. 2. *appellârunt*) In marg. pag. 68 l. antepenult. pro 1008. legend. 1000. pag. 199. in marg. *poſtrema.*

IN PRIMA PARTE TRACTATVS
De Chriſtianarum Eccleſiarum Succeſſione & Statu, agitur de Millenario Satanæ ligati, & initijs ſoluti.

CAP. I. PRophetiæ in 20. Apocalypſeos capitulo traditæ maximè recepta interpretatio proponitur. Ligatum dici Satanam, quando ab univerſali ſeductione procurandâ eſt cohibitus. Ligationem eam ab ortu Euangelij (ſeu à Chriſti Servatoris Incarnatione, ſeu ab anno Paſſionis Dominicæ, ſeu deniq; ab Hieroſolymitano excidio & fine Iudaicæ politiæ) inchoatam, per mille annorum ſpatium duraviſſe. Cuiuſmodi doctrinæ integritas ad Eccleſiæ conſtitutionem neceſſariò requiratur. Ad ſpecialem conſiderationem ſtatus Eccleſiæ facto tranſitu; primorum ſex, à nato ſcilicet Chriſto uſq; ad natum Antichriſtum, ſeculorum ſtatus & inclinatio breviter perſtringitur. Pag. 1.

CAP. II. De quatuor proximorum ſeculorum conditione, ab ortu videlicet, vſque ad adultam ætatem Antichriſti. Myſterium iniquitatis quouſq; non prævaluerit, in quæſtionibus de cultu ſimulacrorum, Romani Pontificis Omnipotentiâ, re Sacramentariâ & materiâ Iuſtificationis, oſtenditur. De myſterij iniquitatis progreſſibus & incrementis: deq; corruptiſſimo rerum ſtatu, in decimo præcipuè Seculo. Pag. 25.

CAP. III. De anno ab *Incarnatione* Domini *milleſimo*, & rebus maximè memorabilibus ad eum ſpectantibus. Vbi de Pontificatu Silveſtri II. & doctorum de ſoluto poſt annum milleſimum Diabolo diverſis ſententijs. Pag. 56.

CAP. IV. De anno à Dominicâ *Paſſione milleſimo*, ac rebus quæ circa eum contigerunt obſervatu digniſſimis. Vbi de Pontificatu Benedicti IX. & novi Cardinalium principatus inſtitutione. Pag. 76.

CAP. V. De ſtatu rerum poſt annum ab *Hieroſolymitano* excidio *milleſimum*. Vbi de Pontificatu Gregorij VII. ſive *Hildebrandi*, in quo ad ſuam ἀκμὴν pervenit Antichriſtus: ac doctorum

de

de fundato per hoc tempus Imperio Pontificio & ſoluto Satanâ judicijs. Pag. 104.

SECVNDA PARS DE SOLVTIONIS *Satanæ continuatione agit, ad annum vſque Domini* 1370.

De ſolutionis Satanæ duratione; & Eccleſiæ ſub Antichriſti tyrãnide miſerandâ conditione. De Waldenſiũ cætibus, qui in Occidente toto ſoluti Satanæ tempore Synagogæ Pontificiæ ſeſe oppoſuerunt: & quantis calumnijs ab adverſarijs eorum oppreſſa fuerit innocentia. Pag. 142. CAP. VI.

De ſtatu rerum ab initijs ſolutionis Satanæ vſq; ad initia Pontificatus Innocentij III. nempe ad annum vſq; Domini 1198. Quàm deplorata Eccleſiarum Romanæ communionis conditio tum extiterit; & quid adhuc in eis integri retentum fuerit. De Regibus Angliæ qui ambitioni Pontificiæ, & Berengario eiuſq; ſectatoribus qui Sacramentario errori jam invaleſcenti reſtiterunt. Pag. 174. CAP. VII.

De Waldenſibus, qui in primâ hâc periodo parti Pontificiæ adverſi perſtiterunt. De Pauperibus Lugdunenſibus, qui Leoniſtæ & Inzabbatati dicti; Catharis item & Gazaris, Paterinis, Publicanis, Agennenſibus, Petrobruſianis, Henricianis, Paſſaginis, Ioſephinis, Arnaldiſtis, Humiliatis, & alijs nominibus quæ in horum temporum ſcriptoribus occurrunt. Pag. 209. CAP. VIII. CAP. IX.

De ſtatu rerum ab initio Pontificatus Innocentij III. uſq; ad initium Pontificatus Gregorij XI. hoc eſt, ab anno 1198. uſq; ad annum 1370. ubi de Iliade malorum ſub Innocentio in Eccleſiam invectâ: de delegatæ Inquiſitionis & Ordinum Mendicantium inſtitutione, atq; conatu ſubintroducendi novi Euangelij. Pag. 255. CAP. X.

Albigenſium, & aliorum qui in ſecundâ hâc periodo Eccleſiæ Pontificiæ adverſati ſunt, Hiſtoria. Pag. 291.

TERTIA PARS, DEO VOLENTE,
ſubſequetur: in quâ agendum

DE ſtatu rerũ ab initio Pontificatus Gregorij. XI. uſq; ad initiũ Pontificatus Leonis X. id eſt, ab anno 1371. uſq; ad annum 1513. ubi de Iohãne Wiccliffio, Lollardis, Waldenſibus & Bohemis fratribus, qui in tertiâ periodo Pontificijs bellum indixerunt.

Item:

De nouâ ligatione Satanæ, per Euangelij reſtaurationem, ſub medium ſecundi Millenarij fieri cæptâ. Et de afflictarum Eccleſiarum reliquijs, quæ ad hæc uſq; tempora ſuperſtites permanſerunt.

Εἰς ΙΑΚΩΒΟΝ ΟΥΣΧΕΡΙΟΝ ἄνδρα πολυμαθέστατον καὶ τῶν πάλαι ἁγίων μαρτύρων ἐκδικαστὴν δεξιώτατον.

Πίστιος ἀρχαίης ἀρχαίοις μάρτυρας ἦρεν
    Ἐκ γαίης πόλεως ἑπταλόφου πρύτανις.
Δεινὸν δ' αἰνὰ παθοῦσιν ἄγαν κατέχευεν ὄνειδος,
    Αἱρετικοὺς φήσας ἀντιθέοις ὀλέσαι.
Τούτων Οὐσχέριος τά τε δόγματα καὶ βίον ἁγνὸν
    Ἐξ ὄρφνης ἐρύσας, Πᾶς τις, ἔφη, κρινέτω.

Iſ. Caſaubonus.

ABRAHAMI SCVLTETI SILESII ad gentem Ieſuiticam Epigramma.

Quæ tibi ſacratum præſcribis nomen Ieſu,
    Gens inviſa ſolo, gens reprobata polo,
Quæris adhuc? quonam Romanus tempore Præſul
    Virgineum fidei perdidit omne decus.
Ecce tibi extremi deſignant fixa Britanni
    Tempora, quos inter fulget hic Vſſerius.
Is tibi Romani Antithei *incunabula prima,*
    Incrementi idem tempora certa dabit.
I nunc, atq́ ortum Antithei *tibi poſce notari.*
    Gens inviſa ſolo, gens reprobata polo.

ANTONII

ANTONII MARTINI Hiberni, Collegij Sanctæ & Individuæ Trinitatis apud Dublinienſes Socij, Carmen.

SEptem diviſis contendunt mentibus urbes
De natalitijs, magne Poëta, tuis.
Queis natus Salamis, quærit queis ſedibus Argus;
Inq; ſuis putat hæc, iſta fuiſſe ſuis.
Smyrna ſuum, Rhodus eſſe ſuum putat, Ius, Athenæ,
Et Colophon civem quæq; ait eſſe ſuum.
De ſponſâ par, Christe, tuâ contentio noſtros
Succeſſu exercet vix meliore ſophos.
Secum Roma locat, ſerieq; ab origine primâ,
Non interruptâ ſceptra tuliſſe refert.
At nos qui tandem? gens ſero ſemine nata:
Antiquum quicquid Roma ait eſſe ſuum.
Nam ſi veſtra Dei ſponſa eſt, ſi Eccleſia veſtra,
Romulidûm clamat litigioſa cohors:
Tot ſeclis ubi delituit? quibus abdita terris,
Tollere deſpectum non fuit auſa caput?
Quæſtio ſpinoſos quæ vexet digna Scotiſtas,
Quæ cruciet tonſos quæſtio digna patres.
Ergo ecquis noſtrûm eſt qui dignum hunc vindice nodum
Explicet? afflictis qui ferat ecquis opem?
Nil opus externas procul excurriſſe per oras:
Nil patrios opus eſt deſeruiſſe lares:
Cui Charites, patriæq; animum finxere Camœnæ,
Optatam Uſſerius *præſtitit unus opem.*

Τοῦ αὐτοῦ.

Εἰ μὲν τοῦ χρέος ἐστ' ἀείδειν ἐγκώμιον ἔργου,
Ἀρκετὸν, ὡς τοὔργον καὶ πόνος Οὐσσερίου.

DE CHRISTIANARVM Eccleſiarum ſucceſsione & ſtatu.

CAPVT PRIMVM.

Summa.

1. PRophetiæ in 20. Apocalypſeos capitulo traditæ maximè recepta interpretatio proponitur. Ligatum dici Satanam, quando ab univerſali ſeductione procurandâ eſt cohibitus. Ligationem eam ab ortu Evangelii (ſeu à Chriſti Servatoris Incarnatione, ſeu ab anno Paſſionis Dominicæ, ſeu denique ab Hieroſolymitano excidio & fine Iudaicæ politiæ) inchoatam, per mille annorum ſpatium duraviſſe. 2. Cujuſmodi doctrinæ integritas ad Eccleſiæ conſtitutionem neceſſariò requiratur. 3. Ad ſpecialem conſiderationem ſtatus Eccleſiæ facto tranſitu; primorum ſex, à nato ſcilicet Chriſto uſq; ad natum Antichriſtum, ſeculorum ſtatus & inclinatio breviter perſtringitur.

APOCALYPS. Cap. 20.

1. *Et vidi Angelum deſcendentem è cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſuâ.*

2. *Et apprehendit draconem, ſerpentem illum antiquum, qui eſt Diabolus, & Satanas, & ligavit eum ad annos mille.*

3. *Conjecitq́; eum in Abyſſum, quam occluſit & obſignavit ſuper eum, ut non ſeduceret ampliùs gentes, donec complerentur mille illi anni: nam poſtea oportet eum ſolvi ad exiguum tempus.*

1. NObiliſſima queſtio eſt, &, ſi quæ alia, multorum agitata ſcriptis atque ſermonibus, quis Eccleſiæ Chriſtianæ, jam inde ab ortu, ſtatus fuerit, quamdiu is integer ſteterit, quando collapſus, quâ ratione deniq; reſtaurandus fuerit. &

Vultat. Sedigit. *Multos incertos certare hanc rem vidimus.*

Quandoquidem verò ſcriptores Pontificii plerique omnes (quibuſcum hîc præcipuè futurum nobis eſt negotium) in 20. Apocalypſeos capitulo univerſalis Eccleſiæ ſtatum à primo uſq; ad extremum Chriſti Domini adventum ſummatim comprehenſum eſſe agnoſcunt, ſuffragantibus etiam, tum ex noſtrorum tum ex veterum numero, Theologis quibuſque probatiſſimis: operæpretium erit, priùs quàm Quæſtionis propoſitæ explicationem aggrediar, in myſticæ huius prophetiæ (quæ, ut loquitur Hieronymus, [a] *tot habet Sacramenta, quot verba)* interpretationem inquirere. Quam quidem ex veterum Doctorum, ipſorumque Pontificiorum commentariis viſum eſt repetere: ne ut olim Origeni, ita nunc mihi vertatur vitio, quòd [b] *ingenium meum Eccleſiæ* velim *facere Sacramenta.*

2 Per *Angelum* igitur *deſcendentem de cælo*, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum accipiunt hîc Auguſtinus, [c] Primaſius, atque alii interpretes. & quadrant in eum aptiſſimè ſacri contextus omnes circumſtantiæ. Nam & *Angelus* ille eſt: de quo Malachiæ tertio legimus: *Angelus fœderis, quo vos delectamini, ecce venturus eſt*, ait *Iehova exercituum.* Idemque ille eſt, *qui deſcendit de cælo:* Iohan. 3.13. *Nullus aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit è cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.* Idem quoque ſe *clavem* habere Inferorum atteſtatus eſt. Apocalypſ. 1.18. *Fui mortuus, & ecce vivo in ſecula ſeculorum, Amen. & habeo claves inferorum & mortis.* Hic ille eſt denique [d] *, qui mortalium viſitans regionem fortior alligare voluit fortem; hoc peragens opere, quod promiſerat prædicatione. Nemo, inquiens,* *poteſt*

[a] Hieronym. in epiſt. ad Paulinum.

[b] Hieronym. Prolog. in 5. comment. Eſai.

[c] Auguſt. lib. 20. de civitat. Dei, cap. 7. Primaſ. lib. 5 comment in Apocalypſ. cap. 20

[d] Primaſ. in hunc locum.

poteſt domum fortis intrare, & vaſa eius diripere, niſi priùs alligaverit fortem, id eſt, Diabolum. Marc. 3. 27. *Catenam magnam*, quâ Diabolum ligâſſe deſcribitur, τὴν καθεκτικὴν αὐτοῦ τῆς πονηρίας ἐνέργειαν exponit [c] Andreas Cæſareenſis: recentiores [f] quoq; (in eandem ſententiam) *inevitabilem atq́ omnia conſtringentem divinæ maieſtatis potentiam. Religavit* enim *Chriſtus Diabolum non vinculis corporeis, ſed vinculis poteſtatis ſuæ immenſæ*, (ut ſcribit hic Baringuedus, cujus commentarii B. Ambroſio falsò inſcripti:) dum illum ſcilicet *priori poteſtate privavit*; quemadmodum locum hunc rectè Anſelmus [g] uterq; expoſuit.

[c] *Andr. Cæſar. cap. 60 comm̄ētar. in Apocal.*
[f] *Ambroſ. Ansbertus, Haymo, & Anſelmus Cantuar. in Apocal. cap. 20.*

3 Nec putandum tamen ita in abyſſo concluſum eſſe Satanam, ut intereà in mundo verſari deſierit, & nihil prorſus egerit. Nam & *Deus huius ſeculi* manſit, *& egit in hominibus contumacibus*, inter quos & *thronum* ſuum habuit, ſemperque *obambulat tanquam Leo rugiens, quærens quem devoret*. Quâ igitur in re poteſtatem illius mille iſtis annis cohibitam eſſe dicemus? Gilbertus Genebrardus [h] libro 4. Chronographiæ ſuæ Satanam ligatum aſſerit, ne perſecutionibus ampliùs noceret Eccleſiæ: à Conſtantini videlicet Imperatoris temporibus, à quo ſublatæ perſecutiones, uſq; ad annum Domini 1300. quo Turcicum Imperium in Ottomanno cæpit. Contrà verò diſputat Benedictus Pererius [i] Ieſuita: *Ipſam ſectam Mahometanam per annos ſexcentos ante iſtum Ottomannum, ſatis habuiſſe ſolutum Satanam: cuius nimirum incitatu & adiutorio Eccleſias Chriſti populoſq́ Chriſtianos in Ægypto & Africâ & in Hiſpaniâ vehementer afflixerit. Imo verò poſt Conſtantinum Magnum, & ante Mahometem Legiſlatorem, nimis ſanè fuiſſe ſolutum Satanam non ſolùm ad vexandas Ec-*

[g] *Anſelm. Landunenſ. in gloſsâ interlineari: & Anſelm. Cantuarienſ. in Apocalypſ. cap. 20.*
2. Cor. 4. 4.
Epheſ. 2. 2.
Apocal. 2. 13.
1. Pet. 5. 8.
[h] *Genebrard. ad an. Chriſti 1302.*
[i] *Perer. de Antichriſt. diſputat. 23.*

cleſias & populos Chriſtianos, ſed etiam ad diripiendas & devaſtandas eorum provincias & regna : ut cernere licet in perſecutione Hunnorum, Gothorum, Alanorum, Vandalorum, Perſarum, per annos plures trecentis. Huc accedit, quòd verſu 4. hujus 20. capitis, ubi ſtatus Millenarii illius in quo vinctus erat Satanas deſcribitur, expreſſa mentio fit *eorum qui ſecuri percuſſi ſunt propter teſtimonium Ieſu, & propter ſermonem Dei :* ne à perſecutionibus ciendis cohibitum fuiſſe putaremus. quas quidem ita moderatus eſt Dominus, ut *Chriſtiana fides* (quemadmodum in 6. libri initio habet Paulus Oroſius) *ſævientibus undiq; adverſum ſe gentibus, Regibus, legibus, cædibus, crucibus ac mortibus, reprimi nullo modo potuerit; imò inter hæc, & per hæc creverit.* Verſu quoque tertio in hunc finem antiquus ſerpens conjectus in abyſſum & concluſus diſertè dicitur, VT NON SEDVCERET AMPLIVS GENTES, *donec complerentur anni illi mille.* Vnde [k] Auguſtinus & Primaſius non malè colligunt, *ad hoc ligatum eſſe Diabolum, & incluſum in Abyſſo; ut iam non ſeducat gentes ex quibus conſtat Eccleſia, quas antea ſeductas tenebat, antequam eſſent Eccleſiæ.*

[k] *Auguſt. de civit. Dei, lib. 20. cap. 7. Primaſ. in Apocal. 20.*

Seductio à quâ procurâdâ per mille annos cohibitus Satan, univerſalis intelligenda.

4 Quid igitur? An totos illos mille annos à ſeducendis Gentibus Satanam feriatum putabimus, ut nihil intereà hîc moverit, aut damni quid dederit? Ne id quidem. Docuit enim jam nos triſtis experientia, [a] *dormientibus hominibus ſuperveniſſe inimicum hunc, & in agro Domini ſeviſſe zizania inter triticum :* nec unquam defuiſſe *Miniſtros illius, operarios doloſos, qui transfigurantes ſe tanquam eſſent Miniſtri iuſtitiæ, mentes hominum corrumperent, à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.* Neq; ſimpliciter hîc & abſolutè accipienda ſunt verba Spiritus

I

[a] Matt. 13. 25. 39.

[m] 2. Cor. 11. 3. 13. 15.

ritus ſancti: ſed habitâ ratione temporum quæ Sata-
næ & ligationem antegreſſa & ſolutionem ſubſecuta II
ſunt. Dicitur enim in abyſſum conjectus Diabolus,
[q] *ut non ſeduceret* Amplius *gentes* : [r] *tam liberè ſcilicet*
ſicut priùs. ut intelligamus, [*] *alligato Diabolo ſeducendi*
ademptam fuiſſe ſolitam poteſtatem. [ſ] *Præteritis* verò *æ-*
tatibus ſivit Deus omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere:
nempe, [t] *ſecundùm ſeculum mundi hujus, ſecundùm prin-*
cipem cui poteſtas eſt aëris, ſpiritũ nunc agentẽ in hominibus
contumaciæ. Nam [u] *ante Chriſti Dei & Servatoris no-*
ſtri adventum, (quando Eccleſia ſuis finibus exiguis
ſanè continebatur) *toto paſſim terrarum orbe rerum po-*
tiebatur Satanas, *colebaturq́ ab omnibus propemodum gen-*
tibus & nationibus. Ubiq́ extabant delubra in illius hono-
rem erecta, ubiq́ aræ, ubiq́ ſacrificia. Poſteàquam autem
unigenitum Dei verbum è cœlo deſcendit, ruit ille ut fulgur.
&, [x] *quòd ligatus ſit, teſtatum nobis faciunt* ὁ τῆς εἰδωλολα-
τρείας ἀφανισμὸς, καὶ τῶν εἰδωλικῶν ναῶν ἡ καθαίρεσις, καὶ τῶν ἐπιβωμίων λύ-
θρων ἡ ἔκλειψις, καὶ ἡ παγκόσμιος τοῦ θείου θελήματος ἐπίγνωσις, *Idolola-*
triæ interitus, & templorum idololatricorum demolitio, ſa-
crificiorum quæ aris imponi ſolita erant defectio, & divinæ
voluntatis paſſim per terrarum orbem cognitio. Itaque in
12. hujus libri capitulo (cum quo præſentem locum III
cohærere exiſtimat doctiſſimus ſcripturarũ interpres
[y] Franc. Iunius) dejectus dicitur *Draco ille magnus,*
ſerpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui
ſeducit totum terrarum orbem. Hîc verò apprehenſus
dicitur [z] *Draco, ſerpens ille antiquus, qui eſt Diabolus &*
Satanas, nimirum ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, *qui ſeducit*
orbem univerſum. Sic enim etiam in hoc ipſo loco le-
gunt antiqua nonnulla exemplaria; quorum unum
ex Bibliothecâ Regis Gallorum notavit [a] Rob. Ste-

[q] Apoc. 20. 3.
[r] *Anſelm. Cantuar. in hunc locum.*
[*] *Primaſius.*
[ſ] Act. 14. 16.
[t] Epheſ. 2. 2.
[u] *Author commentariorum quæ Tito Boſtrorum epiſcopo tribuuntur, in illud Luc. 10. 18.* Videbam Satanam, veluti fulgur, de cælo cadentem.
[x] *Andreas Cæſareenſis, & Arethas, in cap. 20. Apocalypſ.*
[y] Apoc. 12. 9
[z] *Iunius in Apocal. 12. 18 & 20. 1. confer Luc. 10. 18. 19. & Ioh. 12. 31.*
[z] Apoc 20. 2.
[a] *Rob. Steph. in edit. Græcâ novi Teſtam. an. 1550.*

phanus: eandemque lectionem Biblia Complutenſia & Regia exhibent; ac textus, qui cum commentariis *Arethæ* Veronę & *Andreæ Cæſareenſis* Heidelbergę (ex illuſtriſſimi Electoris Palatini Bibliotheca) editus eſt retinet. ut ſic ligatum intelligamus Satanam, ne ampliùs *orbem univerſum* per mille annos poſſet ſedu-
IV cere. Id quod etiam ex comparatione ſolutionis illius intelligi poterit. Quum enim expletis mille annis, ſolutus eſt è carcere ſuo, verſu 8. exiiſſe dicitur, *ut ſeduceret*, non unam aliquam gentem, ſed *gentes quæ ſunt in quatuor angulis terræ.* Ex quibus omnibus intelligimus, ligatum dici Satanam & in cuſtodias incluſum, non ut omnino non ſeduceret, ſed ne in omnes ſimul gentes, uti erat ſolitus, perverſas atque impias religiones induceret; neve ita potenter, ut antea, tantoque cum ſucceſſu in mundo graſſaretur. Quando verò cæperit, & quamdiu duratura fuerit ligatio iſta Satanæ atque arctiſſima cuſtodia, jam perquirendum eſt.

5 Et cæpiſſe quidem illam ex iis quæ dicta ſunt apparet; quando de priſtino quem in mundum ob-
[b] Coloſſ. 1. 13. tinebat principatu dejecto Satanâ, [b] *eripuit nos Deus ex poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit in regnum filii ſui di-*
[c] Eſai. 49. 6. Act. 13. 47. *lecti*, quem [c] *conſtituit in lucem Gentium, ut eſſet ſaluti uſq; ad extremitatem terræ.* Principe enim tenebrarum
[d] Eſai. 60. 2. ſeculi huius omnia longè lateque occupante, [d] *tenebræ*
[e] Luc. 1. 78. *operuerunt terram, & caligo nationes.* Quàm primùm
[f] Matth. 4. 16. verò [e] *viſitavit nos Oriens ex alto:* [f] *Populus poſitus in tenebris, vidit lucem magnam; & poſitis in regione & umbrâ mortis, lux exorta eſt.* Atq; à tempore hujus εὐαγγελικῆς
[g] *Epiphan. in fine lib. 1. contr. hæreſ.* φωταγωγίας (ut loquitur [g] Epiphanius) ab ortu Evangelii & Chriſtianæ Eccleſiæ incunabilis, Theologos qui ante

ante noſtrum ſeculum claruerunt tempus vinculorum Satanæ, magno conſenſu repetere animadverto. Chiliaſtas tamen ex veterum, ex recentiorum numero [h] Nicolaum de Lyra, & quorum ille ſententiam commemorat deliros monachos, unâ cum [i] Iohanne Epiſcopo Chemenſi & [k] Viterbienſi nugatore (quorum jamdudum exploſa ab omnibus ſunt ſomnia) excipio.

[h] *Lyran. in Apocalypſ. ca. 20.*
[i] *Ioh. Chemenſ. in libro cui titulus, Onus Eccleſiæ.*
[k] *Ioh. Anni. Viterbienſ. in Gloſsâ ſuper Apocalypſin, ad Sixtum IV.*

6 Ad particularem verò annum, à quo tanquam ab Epochâ tempus ligationis Satanæ deduci poſſet, quod attinet: aliquantulam inter authores diſſenſionem eſſe video. Alii enim ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας (ut appellant Græci) ab ipſâ Incarnatione Domini numerandum cenſent: inter quos è veteribus optimus Apocalypſeos interpres Andreas Cæſareenſis. χίλια ἔτη τοίνυν (ait ille) ὁ ἀπὸ τῆς Κυρίου ἐνανθρωπήσεως χρόνος μέχρι τῆς τοῦ Ἀντιχρίστου ἐλεύσεως. *Mille anni tempus illud complectuntur, quod interfluit inter Chriſti Incarnationem & Antichriſti adventum.* Atq; ita hoc in loco *Angelum de cælo deſcendentem*, Chriſtum de ſecreto Patris deſcendentem, & humiliantem ſe in carne, expoſuit non minima pars [l] interpretum. Ut tum apprehenſus fuerit Satanas, cæptúſq; [m] *ligari fortis ille & domus ejus diripi:* quando [n] *inviſit Deus & redemit populum ſuum; ut ſine metu, è manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviremus ipſi:* [o] *ſalutemq́; paravit in oculis omnium populorum: Lumen retegendum gentibus, & gloriam populi Iſraëlis.* Quod nec ipſe Satan diſſimulavit: ſi quæ fides aut authoritas oraculo illi tribuenda, quod Cæſari Auguſto de eo qui ſibi in Romani Imperii adminiſtratione ſucceſſurus eſſet Pythium Apollinem conſulenti, editum ferunt [p] à Dæmone:

[l] *Beda. Anſelmus Laudunenſis, Haymo, Anſelmus Cantuarienſis, Richardus Victorinus, Baringuedus, Thomas &c. in Apocal. cap. 20.*
[m] Matt. 12. 29.
[n] Luc. 1. v. 68. 71. 74.
[o] Luc. 2. v. 30. 31. 32.
[p] *Suidas in voce* Αὔγουστος. *Nicephorus Calliſtus. lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 17. Georg. Cedrenus in Annalib. pag. 150. ex Euſebij Chronico.*

Me

Me puer Hebræus jubet hoc diſcedere templo,
Rex divûm, & ſtygium rurſum remeare ſub Orcum.
Tu tacitus noſtra hæc jam nunc altaria linque.

7 Alij ante Paſſionem Domini tempus ligationis Satanæ inchoandum non exiſtimant: freti authorithoritate verborum illorum quæ Iohannis 12. à Christo habita leguntur. *Nunc judicium adeſt Mundi huius; nunc Princeps Mundi hujus ejicietur foras: Et ego quum ſublatus fuero à terrâ, omnes traham ad meipſum.* Quod quidem tum ad paſſionem Dominicam referri poterit (cujus vi deiectionem Diaboli,quæ in hoc loco Apocalypſeos exponitur, factam agnoſcit Andreas Cæſareenſis) tum ad Evangelii,quæ illam ſubſecuta eſt, per orbem terrarum promulgationem, quo tanquam firmiſſimo vinculo ligatus eſt Satanas, atq; ex tyrannide illâ quâ Gentes antea oppreſſerat planè deturbatus. *Et adverte quomodo omnia trahat* (ait ſermone 12. in Pſalmum 118. B. Ambroſius) *Exaltatus eſt in Cruce, & totus credidit Mundus.* Hinc Interpretes nõnulli (inter quos Abbas Ioachim, Thomas, Purveius, & Blaſius Viegas Ieſuita) à paſſione Christi mille horum annorum initium deducunt.[q] Tichonius (vel quicunque author fuit Homiliarum in Apocalypſim, quæ Auguſtino perperam tribuuntur) modò ad *adventum*, modò ad *paſſionem* Domini refert. Auguſtinus libro 20. de Civitate Dei, cap. 8. & eum ſecutus Primaſius, ligationem Diaboli factam innuit, *ex quo cœpit Eccleſia præter Iudæam terram in nationes alias dilatari.* A quâ etiam ſententia non multùm abhorret Rupertus Abbas Tuitienſis.

Ioh. 12. 31. 32.

[q] *Tichon. hom. 16. in Apocal.*

8 [r] *Dicat ergò fortè quis. Nunquid Chriſtus poſtquam morte ſuperatâ victor in cœlum aſcendit, iterum huc inde deſcendit?*

[r] *Rupertus lib. 11. commentar. in Apoc. ca. 20.*

deſcendit? Planè deſcendit, inquit Rupertus; *ſed inviſi-*
biliter. Deſcendit non ut priùs paſſibili humilitate, ſed im-
paſſibili atq; inviſibili majeſtate. Deſcenſum illum totus
Orbis audivit; deſcenſus illius [s] *ſonus in omnem terram ex-* [s] Rom.10.18.
ivit. -- Certè etſi non per circumſcriptam humanitatis ſuæ
formam deſcendit, at ſine dubio per incircumſcriptam divi-
nitatem ſuam: per ipſum quem dabat Spiritum Sanctum,
& per eos quos inſpirabat Apoſtolos ad viſitandas gentes
deſcendit. Atq; hunc adventum ſuum ſignificavit ip-
ſe Dominus, ubi Diſcipulis ſuis dixit: [t] *Amen dico vo-* [t] Matt.10.23.
bis, nequaquam obieritis urbes Iſraëlis, quin venerit Filius
hominis. Et alibi: [u] *Amen dico vobis, ſunt quidam ex* [u] Matt.16.28.
his qui hîc adſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, uſq;
dum viderint Filium hominis venientem in regnum ſuum:
ſive (ut Marcus expreſſit) [x] *uſq; dum viderint regnum* [x] Marc. 9.1.
Dei veniſſe cum potentiâ. Cum quo etiam illud con-
jungendum cenſuerim quod Lucæ 21. legimus;
[y] *Quum vos videritis hæc fieri, agnoſcite propè eſſe regnum* [y] Luc. 21.31.
Dei: Amen dico vobis, nequaquam præterierit hæc ætas, 32.
quouſq; hæc omnia facta fuerint. Ad Urbis enim &
Templi excidium hoc refero: quemadmodũ & illud
[z] Matthæi 24. *Prædicabitur iſtud Evangelium regni in* [z] Matt 24.14.
toto terrarum Orbe, ut ſit teſtimonio omnibus gentibus: &
tunc veniet finis. Nam ante finem Urbis, [a] *Myſterium* [a] Rom.16.25.
quod à temporibus ſeculorum tacitum fuit, factum eſt ma- 26.
nifeſtum, & per Scripturas Propheticas ex imperio æterni
Dei ad obedientiam fidei, omnibus gentibus declaratum: Eu-
angelium illud regni, [b] ex Chriſti mandato [c] *prædi-* [b] Marc.16.15.
catum eſt omni creaturæ quæ ſub cælo eſt: [d] *pervenitq; in* [c] Coloſſ.1.23.
totum Mundum, & fructum protulit. quemadmodum [d] Coloſſ.1.6.
Apoſtolicis literis non obſcurè edocemur.

9 Si igitur poſt Nativitatem Servatoris noſtri li-

gationem Satanæ inchoare placeat: certè ab anno, vel Dominicæ Paſſionis, vel Hieroſolymitanæ
[e] Hebr. 2. 14. cladis erit deducenda. In altero enim Dei Filius [e] *per mortem abolevit eum qui mortis imperium habet, hoc eſt*
[f] Coloſſ. 2. 15. *Diabolum*; atq; [f] *expoliata imperia ac poteſtates traduxit palàm, triumphans de illis.* dein triumphali curru con-
[g] Epheſ. 4. 8. ſcenſo, [g] *aſcendens in ſublime captivam duxit captivitatem,* & catenatum trahens Diabolum qui antea Gen-
[g] Marc. 16. 15 tes omnes captivas tenuerat, [g] miniſtros ſuos in uni-
[h] Act. 26. 18. verſum mundum ablegavit, qui Gentes [h] *converterent à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum.* In altero verò, peractâ illâ Apoſtolorum Chriſti legatio-
[i] Eſai. 54. 2. ne, ubi [i] *dilatâſſet Eccleſia locum tentorij ſui, & aulæa habitaculorum ſuorum extendiſſet, prolongâſſet funes ſuos, & clavos ſuos confirmâſſet:* Deus libello divortii Synago-
[k] Eſai 65. 2. Rom. 10. 21. gæ Iudæorum ſolenniter miſſo, [k] *populum rebellem & contradicentem, ad quem toto die manus ſuas expanderat,*
[l] Matt. 24. 15. [m] Luc. 21. 24. abdicavit; [l] *locumq́ ſanctum abominationi deſolationis expoſuit,* & [m] *Gentibus conculcandum tradidit.* Ad quam calamitatem etiam *adventum Domini* in ſacris literis
[n] *Oecumen. in epiſt. Iacob. cap. 5. (al. 7.)* aliquando referri affirmat [n] Oecumenius: Chryſoſtomi quoque eam in rem citato teſtimonio, qui illud
[o] Ioh. 21. 22. Chriſti de Iohanne dictum, [o] *Si velim eum manere donec veniam, quid ad te?* ſic expoſuit. τῦτο δηλῦν βύλεται τὸ ῥητὸν, τὴν πανολεθρίαν τῆς Ιερυσαλήμ. *Hoc dictum ſignificare vult omnimodam everſionem Ieruſalem.* Atq; tũ demũ Moſaicæ ceremoniæ, quæ Chriſto mortuo mortuæ, unâ cum Templo ſepultę ſunt: ſublataq; è medio Iudaicâ
[p] Gal. 4. 26. πολιτεία, floruit ἡ ἄνω Ιερυσαλὴμ [p] *ſublimis illa & libera Hieruſalem, quæ eſt mater omnium noſtrûm,* ἡ πόλις ἡ ἠγαπημένη (ut in 20. hoc de quo agimus Apocalypſ. capite ap-
[q] Apoc. 20. 9. pellatur) [q] *urbs illa dilecta,* inferorum portis nequicquam

quam contrà nitentibus in æternum permanſura.

10 Quænam è tribus his ſententiis propiùs ad veritatem accedat ſcrupuloſiùs perſcutari, ad præſens inſtitutum nihil attinet: omninoque differentia, quæ intra ſeptuaginta plus minùs continetur annos, in ſpatii millenarii conſideratione meritò à nobis negligenda videatur. Et nimis profectò diu in ligationis Satanæ initio conſtituendo hæſimus: tempus eſt ut quamdiu illa duratura fuerit, jam uno verbo expediamus. Id verò temporis, *Mille annorum* ſpatio, ſemel atq; iterum Spiritus Sanctus circumſcribit. de quibus Tichonius: [r] *Iſti intelliguntur mille ann., qui ab adventu Domini noſtri aguntur.* Quanquam qui intra mille iſtos ab adventu Domini annos Eccleſiæ Doctores claruerunt, quod de illo temporis ſpatio ſtatuerent, definitum nihil aut certum habuerunt. Alii *per numerum Millenarium, aut multum aut perfectum tempus ſignificatum putârunt: alij inter decies centenos abſolutè coerceri, alij inter anguſtius ſpatium concludi cenſuerunt.* Quid autem horum verius eſſet, *id ſoli Deo cognitum* ait Andreas Cæſareenſis Epiſcopus. Et poſt eum Arethas: [ſ] *Mille annos, aut eos qui interfluunt à Chriſti adventu uſq; ad Antichriſti adventum, ſive ſint decies centum, ſive etiam his pauciores, non noſtrum eſt exactè cognoſcere: quia nulli mortalium datum eſt cognoſcere* [t] *tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſuâ poteſtate.* Nimirum, [u] *Omnes Prophetiæ priuſquàm habeant effectum, ænigmata & ambiguitates ſunt hominibus: cùm autem venerit tempus, & evenerit quod prophetatum eſt; tunc Prophetiæ habent liquidam & certam expoſitionem.*

[r] Tichon. hom. 16. in Apocal.

Andr. Cæſareenſ. comment. in Apocal. cap 60. edit. Commelin.

[ſ] Areth. cap. 60. comment. in Apocalypſ.

[t] Act. 1. 7.

[u] Irenæus, lib. 4. cap. 43. Procopius, Præfat. commentar. in Geneſim.

11 Quid verò nobis hac de re ſtatuendum erit, quibus alterius millenarii ſextum jam elapſum eſt ſeculum?

culum? Ego quidem, ut id arroganter præjudicare, aut ad arbitrium meum revocare nolim: ita ſi rogarer ſententiam, in eam pedibus me conceſſurum profiteor, quam nonnullis & Veterum qui ante ortum Antichriſti claruerunt (ut ex iis quæ jam producta ſunt conſtat) & aliorum tum qui ipſum Milleſimum annum attigerunt, tum qui ſequentibus ſeculis vixerunt (quemadmodum ex iis quæ * poſtea erunt producenda plenius conſtabit) placuiſſe video: per *mille annos* ſimpliciter ſcilicet intelligendos eſſe totidem annos. Hæc enim ſententia ut ſimpliciſſima eſt, ita cum eventu (qui Prophetiarum optimus eſt interpres) aptè congruit & cohæret. Nam, quicquid tandem de genuina oraculi hujus interpretatione ſtatuatur (de qua, per me quidem, liberum erit cuiq; judicium ſuum:) ſi quis præteritorum temporum ſpatia à noſtrâ memoriâ propter vetuſtatem remota, &, qui tum fuit, Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum ex literarum monumentis repetere voluerit; comperiet profectò, ante milleſimum annum, neque ita potenter Satanæ nequitiam prævaluiſſe, neque ita latè Antichriſtianiſmi peſtem ſeſe diffudiſſe, ut univerſalis illa à Spiritu Sancto præmonſtrata defectio Mundum obtinuerit, atq; Eccleſiam in anguſtias compulſam ex ſuâ quaſi ſede dimoverit. Mihi certè in ea quæ memoriæ ſunt prodita ſtudioſiùs inquirenti, perſuaſum hoc ipſum fuiſſe, etiam quum de hoc Apocalypſeos loco nihil cogitarem, verè teſtari poſſum.

* *Infrà, cap. 3. §. 5. 8. 9. 10. &c. cap 4. §. 1. cap. 5. §. 4. 5.*

12 Quod ut non opinione ſolùm, ſed etiam ad veritatem planè perſuadeatur: illud inprimis intelligere oportet; ad veræ viſibilis Eccleſiæ conſtitutionem illius requiri religionis profeſſionem, quæ poſſit hominem

minem ſapientem reddere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Dogmatum verò quæ in Eccleſiis traduntur illud diſcrimen ſtatuendum eſt: tanti aliqua eſſe momenti ut illis Eccleſiæ & ſalutis noſtræ contineatur fundamentum; eſſe verò alia quibus Eccleſia & ſalus noſtra ita non innititur, ut ſi ab iis aberratum fuerit, ſalva res eſſe non poſſit. Hinc Apoſtolus in 3. capite prioris ad Corinthios epiſtolæ, inter fidei fundamentum, & alia fundamento ſuperſtructa accuratè diſtinguit. Illud ſi deſerueris, actum eſt de te ſcilicet, periiſti: illud ſi retinueris, *ligna* quoque & *fænum & ſtipulam ſuperædificaveris*; jacturam quidem facturus es, ſed operis, non ſalutis. [x] *Si cuius opus exuſtum fuerit, damnum faciet; ipſe verò ſervabitur:* inquit Apoſtolus. *Nam & in libris ſanctorum Doctorum, quos authenticè legit Eccleſia*, ut habet in Commentariis ad illum locum ſive Herveus Monachus, ſive Anſelmus Archiepiſcopus, *nonnunquam invenitur quædam prava vel hæretica; non tamen pro his vel libri vel autores damnantur. Perlegat eorum libros prudens lector, & inveniet eſſe verum quod dico.* Hæc ille. [x] 1.Cor.3.15.

13 Atq; inde eſt quod Auguſtinus [y] animarum originem tractaturus, quomodo ea queſtio ab aliis, in quibus *vel maximè fides Chriſtiana conſiſteret*, ſecernenda eſſet, in ipſo diſputationis ſuę veſtibulo docendum eſſe cenſuit. *Neminē naſci ex Adam, niſi vinculo delicti & dānationis obſtrictū, neminē q; inde liberari, niſi renaſcendo per Chriſtum, tam inconcuſſe tenere debemus, ut ſciamus eum qui hoc negaverit, nullo modo ad Chriſti fidē & ad eam quæ per Chriſtum datur puſillis & magnis Dei gratiam pertinere. Vnde ſi origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non eſt.* De alterius verò generis quæſtione [y] Auguſt. epiſt. 157. ad Optatum.

 cum

[z] *Auguſt. lib 1. contra Julian. Pelagian. ca. 6.*

cum homine Pelagiano diſputaturus : *Alia,*[z] inquit, *ſunt in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi atq́ optimi Regulæ Catholicæ defenſores, ſalvâ fidei compage non conſonant, & alius alio de unâ re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta. Quiſquis in Chriſtianâ fide vult labefactare quod ſcriptum eſt. Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur : totum quod in Chriſtum credimus auferre molitur.*

Greg Nyſſ. de Hom opific cap. ult.

14 Sic nimirum in Hominis Opificio oſtendit Gregorius Nyſſenus, alia membra comparata eſſe πρὸς τὸ ζῆν *ad vivendum,* ὧν ἄνευ συστῆναι τὴν ἀνθρωπίνην ζωὴν οὐκ ἐνδέχεται, *abſq́ quibus foret, homo non viveret. perinde atq́ fundamento ſubruto, ædificium totum ad ſuccuſſionem partis unâ quaſſari neceſſe eſt.* Alia verò πρὸς τὸ εὖ ζῆν *ad iucundè vivendum : quæ videlicet bonorum ſint velut additamentum, profecta de benignâ largitate naturæ, efficientis per hæc ut iucundè homo viveret.* Nam *in his* (ut addit idem) *vita noſtra non conſiſtit, quando vivere homini licet, etiam pleriſq́ horum amiſſis : ſed fieri non poteſt ut abſq́ horum actionibus rerum in hominis vitâ iucundarum voluptate fruamur.* Quemadmodum igitur in Hominis naturâ, aliud eſt ſi quæras, an vivat, aliud, an rectè valeat; adeoque in ipſo morbo, utrum vitales corporis partes (cor, hepar, cerebrum) an verò organicas afficiat : ita omnino in Eccleſiæ naturâ res ſe habet, ut alia ſit quæſtio περὶ τῆς οὐσίας, alia περὶ τῆς εὐεξίας, utrum ſit Eccleſia, & utrum integra ea ſit atq; omnibus numeris abſoluta. *Πρὸς τὸ καλῶς εἶναι requiritur, ut totius veritatis quæ eſt ſecundum pietatem profeſſio maneat incorrupta : ſed ſimpliciter "πρὸς τὸ εἶναι, ut firmum

*Ad bene eſſe

" ad eſſe

mum retineatur fundamentum & quæ ad ſalutem planè neceſſaria ſunt doctrinæ Chriſtianæ capita inviolata conſerventur.

15 Hinc tria iſta ſponte deducuntur conſectaria. Primum: non ſi in viſibili aliquâ Eccleſiâ errores demonſtrari poſſunt, conſequens eſſe, ut illa ſtatim deſinat eſſe vera Chriſti Eccleſia; modò errores ſint ejuſmodi, qui neq; fidei fundamentum excindunt, neque piorum ſalutem intervertunt. Nam, [a] *ſiqua eſt Eccleſia quæ fidem reſpuat, nec Apoſtolicæ prædicationis fundamenta poſſideat; ne quam labem perfidiæ poſſit aſpergere, deſerenda eſt.* Alterum: in omnibus omnium locorum & temporum viſibilibus Eccleſiis fruſtrà quæri omnium doctrinarum (multoq; minùs Ceremoniarum, tanquam unorum veſtimentorum) quaſi concentum conſenſumque; quando ille non niſi in præcipuis & quæ maximi ſunt momenti Religionis capitibus præſtari poſſit: ipſaque antiqua *ſanctorum patrum conſenſio* (quemadmodum in Commonitorio ſuo prudenter monuit Vincentius Lirinenſis) *non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolùm, certè præcipuè in fidei Regulâ, magno nobis ſtudio & inveſtiganda ſit, & ſequenda.* Tertium: quotieſcunque de unius aut alterius Eccleſię cum tertiâ aliquâ in religionis negotio ſeu conſenſione ſeu diſſenſione movetur quæſtio: delectum eſſe quendam habendum, neq; tam numerandas eſſe doctrinas, in quibus vel conſentiunt vel diſſentiunt, quàm appendendas momentoque ſuo ponderandas.

[a] *Ambroſ. lib. 6 comment. in Luc. cap. 9.*

16 His ita poſitis, ad ſpecialem conſiderationem ſtatus Eccleſiæ Chriſtianæ accedendum eſt: quæ quidem duplici, quæ in libro Apocalypſeos proponitur,

Equi

Equi albi ingreſſione, & Imperatoris illi inſidentis duplici victoriâ non incommodè circumſcribi poſſe videatur. De priore legimus Apocalypſeos 6°. cap. *Aſpexi, & ecce aderat equus albus; & qui inſidebat ei habebat arcum: & data eſt ei corona, & prodijt vincens, & ut vinceret.* De poſteriori, in 19. capite ſimiliter ſcriptum eſt: *Vidi cælum apertum, & ecce* adfuit *equus albus; & qui inſidebat ei vocabatur Fidelis & Verax, & qui iuſtè iudicat & pugnat. Oculi autem eius erant tanquam flamma ignis; & in capite eius diademata multa,* &c. Priorem victoriam de Idololatriâ Ethnicâ, poſteriorem de ſuperſtitione Antichriſtianâ reportatam ſentiunt [b] Interpretes. Ad priorem refertur illa de quâ egimus [c] Satanæ in abyſſum coniectio atque cuſtodia poſt mille demum annos terminanda: poſteriorem conſequetur [d] omnium Eccleſiæ hoſtium πανωλεθρία, Satanæque cum ijs in ſtagnum ignis coniectio nunquam finienda. Illa verò temporis circumſcriptio & comprehenſio, duobus quaſi membris deſcribi ac diſtingui poteſt: quorum alterum primum illum ligati Satanæ Millenarium; alterum quod temporis ſuperfuerit reliquum à finitâ ligatione illâ, vſque ad damnationem eius ad carceres perpetuos, & cruciatuum nullo unquam tempore terminandorum initia, complectatur.

17 Et membrum quidem illud prius ex decem compoſitum eſt ſeculis: quorum primum (ut [e] Pererius inquit, facileque conceſſuri ſunt omnes) *fuit Eccleſiæ* AVREVM *planè ſeculum:* poſtremum verò (quemadmodum in Annalibus confirmat [f] Cæſar Baronius) FERREVM appellari conſueuit. Vt temporum iſtorum ſtatus, ex diverſis metallis conflato

aliquo

[b] *Victorinus, Tichonius, Andreas Cæſareenſis, &c.*

[c] Apocal. 20. 2. 3

[d] Apocal. 19. 20. & 20. 10.

[e] *Perer. in Apocalypſ. cap. 6. diſput. 6.*

[f] *Baron. Annal. tom. 10. ann. 900. §. 1 & tom. 11. ann. 1001. § 7.*

aliquo coloſſo, cujuſmodi in ſomnijs Nebuchadnetzari de rebus poſt ſe futuris anxio obverſatum legimus, non incommodè poſſit adumbrari: ſic quidem ut quæ metalli ſunt pretioſioris, caput Aureum, pectus & brachia Argentea, temporibus illis quæ natum Antichriſtum præceſſerunt: quæ vilioris ſunt materiæ, æneus venter atque latus, unâ cum cruribus & pedibus ferreis, illis quę ortum Antichriſti ſubſecuta ſunt, tribuantur. Nam in iſtas duas periodos totum illum ligati Satanę Millenarium diſpertire poſſumus: in quarum alterâ eminuerunt inprimis conſtantiſſimi illi Martyres, qui Ethnicas ſuperſtitiones deteſtati, *ſecuri percuſsi ſunt propter teſtimonium Ieſu, & propter ſermonem Dei*: in alterâ fidi illi Confeſſores claruerunt, *qui non adorârunt beſtiam, neq; imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus ſuis, aut in manibus ſuis*, hoc eſt, Antichriſti mancipia & ſtigmatiæ eſſe noluerunt, tam illiberalem & Chriſtianis hominibus indignam ſervitutem aſpernati. Pariter enim de utriſque à Spiritu Sancto, hujus Millenarij ſtatum deſcribente, honorificam mentionem factam eſſe videmus. Daniel. 2. Apocal. 20. 4.

18 Priorem periodum, quæ ab adventu Chriſti uſque ad adventum Antichriſti porrigitur, ſex primorum quæ ab ortu Evangelij effluxerunt ſeculorum ſpatio definimus. Quanquam enim ante completum ſexcentorum annorum terminum non obſcura Antichriſtianiſmi ſemina jacta reperiantur (quemadmodum Antichriſtum priùs conceptum quàm natum eſſe oportuit) adeoque jam indè à principio *Myſterium iniquitatis* peragi cœperit: (ut mirandum non ſit, ſi ſeculis ſubſequentibus nonnulla do-

ctrinæ Pontificiæ zizania ſenſim & ſine ſenſu ſuccreverint, à Veteribus illis, aliud præſertim agentibus, minùs animadverſa:) tamen ſi ſummam rei ſpectes, & quę in religione maximi ſunt ponderis non illâ Papali trutinâ, ſed Veterum aurificum ſtaterâ examinare placeat; omni aſſeveratione affirmare liceat, in univerſo terrarum orbe conſpectum eſſe neminem, quem Papiſtam jure appellare poſſis. Quod cùm ab alijs, tum à Iohanne [g] Iuello, immortalis memorię viro, luculenter demonſtratum eſt : ne quis noſtram ampliùs hîc operam deſiderare neceſſe habeat.

[g] *Iuel. Defenſ. 27. articulorum contra Hardingum.*

19 Verùm ut rem totam ab ultimo initio repetamus, atque inde ad converſionem ſtatus & inclinationem communium temporum deveniamus : illud notandum diligenter, quod in Poëſſiacâ Reſponſione retulit Carolus Lotharingus Cardinalis : [h] *de quindecim à Chriſto ſeculis, primum verè eſſe aureum ; reliqua quò longiùs abſcederent, eſſe nequiora atque deteriora.* Et ſeculo quidem illo *verè aureo, calicibus* contenta *ligneis* (ut ſcitè olim [i] Bonifacius Epiſcopus Moguntinus pronuntiavit) *Sacerdotibus* Eccleſia fruebatur *aureis* : ejuſque *gloria fuit* (quemadmodum in confutatione primatus Papæ, ante 140. annos ſcriptâ, habet Gregorius Heymburgenſis) *non purpura, non divitiæ, non equus albus, non faſtus, non dominatus : ſed, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te Domine.* Tum verò *florente Eccleſiâ, & nondum morbo laborante* (ut [k] Iſidori Peluſiotæ verbis utar) τὰ θεῖα περὶ αὐτὴν ἐχόρευε χαρίσματα, τοῦ ἁγίου πνεύματος δημαγωγοῦντος, καὶ τῶν προεστώτων ἕκαστον κινοῦντος, καὶ οὐρανὸν τὴν ἐκκλησίαν ποιοῦντος. *divinæ gratiæ circum eam velut chorum agebant, Sancto Spiritu res adminiſtrante, atque Antiſtitum unumquemque incitante, ac Eccleſiam*

[h] *T. Ramus in epiſt. ad Carolum Lotharingum, an. 1570.*

[i] *Concil. Triburienſ. c. 1. 18. Walafrid. Strab. de reb. Eccleſiaſt. c. p. 24.*

Mat. 19. 27.

[k] *Iſidor. Peluſiot. lib. 3. epiſt. 408.*

cleſiam in cælum convertente. meritóque iſtorum temporum Eccleſia VIRGO à Veteribus [l] appellata eſt. Reverà enim παρθένος καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ Ἐκκλησία, *virgo integra atque incorrupta permanſit Eccleſia* : ut habet vetuſtiſſimus author Hegeſippus.

20 Quoties igitur de Religionis veritate movetur controverſia, quandoquidem conſtat [m] *id eſſe verum quodcunque primum; id eſſe adulterum, quodcunque poſterius*; vereri prudentum reprehenſionem non poſſumus, ſi ad *primam* hanc *primitivam Eccleſiam* (ſic enim primam & ſecundam primitivam quibuſdam [n] viſum eſt diſtinguere) tanquam antiquiſſimam provocemus, & ſententiam integræ atque incorruptæ Virginis ut certiſſimam primævæ veritatis normam amplectamur. Etſi enim qui proximè Apoſtolis ſucceſſerunt, pietate cumprimis & ſanctitate excelluiſſe negari non poteſt : certum tamen eſt, *neque eorum qui præceſſerunt, virtutem aſſecutos, neque ita ſimplicem, ut magiſtri eorum, orationem conſecutos eſſe*; quemadmodum rectè à [o] Nicephoro notatum eſt. ut quod aliâ in re ab Homero eſt dictum, * Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται, id huc accommodet Clemens Alexandrinus, [p] Ὀλίγοι δὲ οἱ πατράσιν ὅμοιοι : *Pauci patribus fuere ſimiles.*

21 Et quamdiu quidem vixerunt Apoſtoli (ut hiſtoriæ mandavit [q] Hegeſippus) *ſi qui erant qui ſinceram ſalutaris prædicationis regulam depravare ſtudebant, in obſcuris tenebrarum latebris delituerunt. Poſtquam autem ſacer Apoſtolorum chorus diverſo mortis genere vitam finijt, præterijtq́ illorum ætas, quibus à Chriſto donatum erat ut auribus divinam ipſius ſapientiam coràm acciperent : tum primum falſa & veteratoria impij erroris conſpiratio per*

[l] *Hegeſippus apud Euſebium, lib. 3. hiſt. cap. 32. & lib. 4. cap. 22. edit. Græc.*

[m] *Tertullian. in lib. adverſus Praxean. cap. 2*

[n] *Ioh. Semeca, in gloſſa Decreti, Diſtinct. 93. ca. Legimus.*

[o] *Niceph. lib. 4. hiſt. Eccleſ. ca. 1.*

* *Pauci enim filij ſimiles patri ſunt.* Οδυσ. β.

[p] *Clem. Alexandr. lib. 1. Stromat.*

[q] *Hegeſip. apud Euſebium lib. 3. hiſt. cap. 32. & Nicephor. lib. 3. cap. 16.*

fraudem eorum, qui doctrinam à veritate penitùs alienam diſſeminare laborârunt, initium cepit. Qui deinde, nullo iam ex Apoſtolis reliquo, nudato (ut aiunt) capite ſincero veritatis ſermoni falſam & commentiam doctrinam ex adverſo opponere auſi ſunt. Hinc ex unâ parte Hæreticorum turmæ, ex alterâ Philoſophorum ſcholæ, Eccleſiam inermem jam & imparatam adortæ ſunt. Defuerunt enim apud noſtros (ut conqueritur [r] Lactantius) *idonei peritique Doctores, qui acriter errores publicos redarguerent, qui cauſſam omnem veritatis ornatè copioſeque defenderent. Provocavitque quoſdam hæc ipſa penuria, ut auderent ſcribere contra ignotam ſibi veritatem.*

[r] *Lactant. lib.* 5 *divin. Inſtit. cap.* 2.

22 Acceſſit inſuper & illud malum, quòd ipſi Chriſtiani, ubi primùm erigere animos, & paulùm reſpirare à metu cædis cœperunt, [s] *præ nimiâ quâdam licentiâ in mollitiem delicatam & diſſolutam ſegnitiem prolapſi ſunt: paſtores quoque depulſâ repudiatâque pietatis regulâ, diſſidio & contentione inter ſe exarſerunt: quinetiam nullas alias res præterquam diſcordias, minas, æmulationem, inimicitias, & odium inter ſe mutuò adaugere ſtuduerunt, & animis ambitionis æſtu incenſis, tyrannorum more principatum obtinere laborârunt.* ab hoc enim fonte & capite *Diocletianææ* perſecutionis originem arceſſit Euſebius: quemadmodum antea *Decianæ* Cyprianus. [t] *Quia traditam nobis diuinitùs diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem & penè dixerim dormientem, cenſura cæleſtis erexit.*

[s] *Euſeb. lib.* 8 *hiſtor. cap.* 1.

[t] *Cyprian. de lapſis*, § 4.

23 Verùm multò magis poſt Conſtantiniana tempora apparuerunt *longæ pacis mala.* De quibus Baptiſta Mantuanus Carmelita, [u] Angelum ita vaticinantem inducit:

Vox eſt blanda quies, pax delectabile nomen:

[u] *Mantuan. de vitâ B. Baſij, lib.* 2.

Plura

Plura tamen de pace fluent opprobria, damna,
Dedecora, ærumnæ, quàm de crudelibus armis.
Degenerabit enim virtus antiqua, voluptas
Inter opes & delicias delumbia reddet
Corpora, & amittet mens enervata vigorem.
O ſtudia, ô mores, ô tempora ſordida! cerno
Oblitos Chriſtum populos, incredula corda
Conculcare fidem, ſcelus omne incurrere facto
Agmine, certatim fieriq́; animantia bruta,
Et Romam in caulas atq́; in magalia verſam.

& Iſidorus Peluſiota, lib. 3. epiſt. 408. *Pacis quidem nomen ubiq́; eſt; res autem ipſa nuſquam. verùm Eccleſia fœminæ cuidam, quæ ex antiquâ felicitate excidit, ac ſigna tantùm habet, ſimilis eſt. Ornamentorum enim ſuorum thecas & arculas habet; opibus autem ſpoliata eſt.*

24 Hinc Hieronymus in vitâ Malchi: *Scribere,* inquit, *diſpoſui ab adventu Salvatoris, uſq́; ad noſtram ætatem, id eſt, ab Apoſtolis uſq́; ad noſtri temporis fæcem, quomodo, & per quos Chriſti Eccleſia nata fuit & adulta, perſecutionibus creverit, martyriis coronata ſit: & poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitijs maior, ſed virtutibus minor facta ſit.* Et [x] Cyrillus Hieroſolymitanus: *Anteà quidem erant aperti hæretici; nunc autem occultis hæreticis Eccleſia repletur. Defecerunt enim homines à veritate, & pruriunt auribus. ſermo perſuaſibilis, & omnes iucundè audiunt: ſermo converſionis, & omnes avertuntur. Defecerunt plurimi à rectis ſermonibus, & magis quod malum eſt expetunt, quàm eligunt quod bonum eſt. Hæc eſt igitur defectio, & expectandus eſt ille inimicus: & iam aliquâ ex parte cæpit præmittere ſuos præcurſores, ut paratus deinde veniat ad oſtium.* Gregorius denique Romanus Epiſcopus, ſub ſexti finem ſeculi, Ec-

[x] *Cyrill. Hieroſol. Catecheſ. 15.*

cleſiam *vetuſtam ac putreſcentem navem* appellare non dubitavit. &, *ſentio*, inquit, *quòd negligente me, creſcit ſentina vitiorum, & tempeſtate fortiter obviante, iam iamq; putridæ naufragium tabulæ ſonant.* Cujus querimoniam excipiens, qui tertio poſt illum vixit ſeculo, [y] Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus, ſubjicit. *Heu, heu! ſi tunc iam putreſcebat navis Eccleſiæ, & ſi eius tabulæ iam putridæ erant; quid nunc eſt?*

[y] *Agobard. de comparat. reginimis Eccleſiaſtici & Politici: ad Ludovicum Imp.*

25 Sanè, [z] *prioribus illis ſeculis, & multorum annorum flexu, Pontifices martyrii ſacrâ laureâ contentos fuiſſe, quam omni diademate & ſceptro potiorem habebant, reliquiſq; ornamentis ducebant ſuperiorem, nemo ignorat. Primâ illâ ætate, gloria eorum erat ignominia; maieſtas, humilitas, felicitas, tyrannorum ira; quies, ſupplicium; vita, mors ipſa.* & [a] *ante Nicænum Concilium, ad Romanam Eccleſiam parvum habitum eſſe reſpectum*, agnoſcit Æneas Sylvius. Ad quorum temporum conſiderationem Fridericus Barbaroſſa Imperator (in Guntheri poetæ [b] *Ligurino*) Hadrianum IV. Pontificem (illum ex Angliâ oriundum) in hunc modum revocat:

[z] *Florimondus Ræmondus, in Fabulâ Ioannæ, cap. 20.*

[a] *Aen. Sylvius; epiſt. 288.*

[b] *Ligurin. li. 6.*

Cogitet antiquos primævi temporis annos,
Præteritoſq; dies; & ſecula priſca revolvat:
Num Petrus, aut Clemens, num cetera turba piorum,
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore priſco
Pauper erat Præſul: regali munere crevit;
Nec tamen ut faſces, & regni iura Latini
Vel dare præſumat, vel cuiquam tollere poſſit.

26 Nondum eò crevit Romanorum Pontificum potentia: quanquam ii interim ſic degenerârunt, ut περὶ τῆς ἱερωσύνης, ἐπὶ δυναστείαν, *ultra Sacerdotij limites ad externum dominatum* progreſſi ſint (ut in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ author eſt [c] Socrates:) & [d] *proceſſerint vehiculis*

[c] *Socrat. lib. 7. cap. 11.*

[d] *Ammian. Marcellin. lib. 27.*

culis inſidentes circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeò ut eorum convivia Regales ſuperârint Menſas: quemadmodum notavit, homo à noſtrâ religione alienus Ammianus Marcellinus; hâc etiam additâ animadverſione. potuiſſe eos *eſſe beatos reverâ, ſi magnitudine urbis deſpectâ, quam vitijs opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandiq́ parciſsimè, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia perpetuo Numini veriſq́ eius cultoribus velut puros commendant & verecundos.* Sed & magno Baſilio iſta ὀφρὺς δυτικὴ (ſic enim [e] appellat) *Occidentale* iſtud *ſupercilium*, uſque adeò diſplicuit; ut de Romanâ Eccleſiâ ſeveram hanc & gravem dixerit ſententiam: [f] *Odi faſtum illius Eccleſiæ.*

[e] *Baſil. epiſt.* 10.

[f] *Baron. Annal tom.* 4. *an.* 327. §. 32.

27 Neque Romæ tantùm veteris Pontifices, ſed Novæ quoque eundem in modum *rebus ceſſêre ſecundis.* imò Conſtantinopolitani Patriarchæ id agebant, ut ipſos Romanos [g] *novâ præſumptione atq́ ſuperbiâ* ſuperarent: Iohanne (cui à jejuniis Neſteutæ cognomentum eſt inditum) [h] *contra Deum, contra pacem Eccleſiæ, in omnium deſpectum & iniuriam ſacerdotum, modeſtiæ ac menſuræ ſuæ terminos excedente, & illicitè in Synodo ſuperbum ac peſtiferum* Oecumenici Patriarchæ, ſive Univerſalis Epiſcopi *ſibi vocabulum uſurpante.*

[g] *Greg. Regiſtr. lib.* 4. *epiſt.* 34.

[h] *Idem, lib.* 7. *epiſt.* 69.

28 Romanæ Eccleſiæ illo tempore præerat Pelagius, ejus nominis ſecundus: qui Iohannem adhibitâ *diſtrictiſsimâ* (ut loquitur [i] Gregorius) *increpatione* admonuit, *ut ſe à novo & temerario ſuperſtitionis* nomine cohiberet. Fertur ejus nomine ad Conſtantinopolitanæ illius Synodi Epiſcopos ſcripta epiſtola: in

[i] *Id. ibidem.*

[k] quâ

[k] Tom. 2. Concil. edit. Binij, pag. 693.

[k] quâ, inter alia, leguntur iſta: *Adverſarius noſter Diabolus, qui contra humiles ſæviens, ſicut Leo rugiens circuit quærens quem devoret, non iam, ut cernimus, caulas circuit: ſed ita validè in quibuſdam Eccleſiæ neceſſarijs membris dentem figit, ut nulli ſit dubium, quia niſi unanimiter, favente Domino, cunctorum provida paſtorum turba concurrat; omne, quod abſit, citiùs ovile dilaniet. Perpenditis, fratres chariſſimi, quid è vicino ſubſequatur; cùm & in ſacerdotibus erumpunt tam perverſa primordia. Quia enim iuxtà*

Iob. 41. 25.

eſt ille de quo ſcriptum eſt; Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ: (quod non ſine gravi dolore dicere compellor) frater & coepiſcopus noſter Iohannes mandata Dominica, & Apoſtolica præcepta, regulaſq; Patrum deſpiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine.

29 Habet eadem totidem ferè verbis in literis ad Alexandrinum & Antiochenum Patriarcham ſcriptis, Pelagii ſucceſſor [l] Gregorius: qui alibi etiam miſerrimum horum temporum ſtatum contemplans, in hanc prorumpit exclamationem. [m] *O tempora, ô mores! Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorum iuri ſunt tradita. Deſtructæ urbes, everſa caſtra, depopulatæ provinciæ; nullus terram cultor inhabitat: ſæviunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum: & tamen ſacerdotes qui in pavimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis ſibi nomina expetunt, & novis ac prophanis vocabulis gloriantur.* Et quaſi jam in proximo futuram tempeſtatem tanquam ex aliquâ ſpeculâ antè proſpexiſſet: de ſequentibus temporibus ita vaticinatur. [n] *Qui poſt nos vixerint, deteriora tempora videbunt: ita ut in comparatione ſui temporis, felices nos æſtiment dies habuiſſe.* Item, [o] *Omnia quæ prædicta ſunt, fiunt. Rex ſuperbiæ propè eſt, & (quod dici nefas eſt) Sacerdotum*

[l] Greg. Regiſtr. lib. 4. epiſt. 36.

[m] Idem, lib. 4. epiſt. 32.

[n] Id. lib. 8 epiſt. 36.

[o] Id. lib 4. epiſt. 38.

dotum ei eſt præparatus exercitus. vel (ut Pontificij legere maluerunt) *Sacerdotum eſt præparatus exitus.*

Cap. II.

De quatuor proximorum ſeculorum conditione, ab ortu videlicet, uſque ad adultam ætatem Antichriſti. Myſterium iniquitatis quouſque non prævaluerit, in quæſtionibus de cultu ſimulacrorum, Romani Pontificis Omnipotentiâ, re Sacramentariâ & materiâ Iuſtificationis, oſtenditur. De myſterij iniquitatis progreſſibus & incrementis: deque corruptiſſimo rerum ſtatu, in decimo præcipuè Seculo.

1. QUid? an *hoc ex ſemetipſo dixiſſe* putabimus Gregorium? an *prophetâſſe* potiùs, *quòd eſſet Pontifex anni illius?* Certè quidem ne hâc in re falſus eſſet ille vates, ſucceſſores effeciſſe novimus; id Romanæ cathedræ vendicantes & arripientes avidè, quod in Conſtantinopolitanâ tantopere deteſtatus eſt Gregorius. Phocas enim tyrannus (alter * Zimri, occiſor Domini ſui) *rogante Papâ Bonifacio, ſtatuit ſedem Romanæ Eccleſiæ, caput eſſe omnium Eccleſiarum; quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.* ut narrant [a] Beda, Paulus Diaconus & alij hiſtorici. vel, ut Pomponius [b] Lætus referre maluit: *Vrbem Romam totius ſalutaris vitæ caput eſſe ſanxit; cùm antea propter ſedem Principis Conſtantinopolis haberetur.* Hic nempe eſt ille Phocas: de quo apud Anaſtaſium Epiſcopum Nicænum & Georgium Cedrenum hujuſmodi extat narratio. [c] *Quidam monachus in civitate Conſtantinopolitanâ vir ſanctus, & qui ad Deum magnam habebat fiduciam, cum Deo diſceptabat dicens in ſimplicitate; Domine, cur eum feciſti Imperatorem? Deinde cùm permultis diebus hoc dixiſſet, vox ad eum venit à Deo dicens; Quoniam non inveni pejorem.* Addit Cedrenus; *illius ætate omnis generis ma-*

* 4.Reg.9.31.

[a] *Beda de 6. ætatib. Mundi. Paul. Diacon. rer. Roman. lib. 18. & hiſtor. Longobard. lib. 4. cap. 11. (al. 37.) Anaſtaſius Bibliothecarius, in vita Bonifacij III. Ado ætate 6. Regino Chronic. lib. 1. Aimoin. de geſt. Francor. lib. 4. cap. 4. &c.*

[b] *Pomp. Læt. in Roman. hiſtor. compendio.*

[c] *Anaſtaſ. Nicæn. quæſt. 15. (tomo 1. Biblioth. Patr. col. 52. edit. 2.) Cedren. in hiſtoriar. compendio.*

la in humanum genus quaſi exundâſſe : hiſque notis hominem depingit. quòd *vinoſus* eſſet, *mulieroſus*, *ſanguinarius*, *in dicendo ferox*, *à miſeratione alienus*, *moribus feris*, HAERETICVS. Quibus adjungere licet & illa à [d] Theophylacto Simocattâ (qui ipſius Phocæ temporibus vixit) poſita epitheta. *Tyrannus Calydonius*, * *ferro obtectus*, *homo ſemibarbarus*, *de Cyclopum genere*, *in modeſtâ purpurâ centaurus petulantiſſimus*, *cui de ebrietatis regno erat certamen.* Dignum profectò virum, qui Pontificiæ tyrannidis conſtituendæ princeps eſſet & architectus, atque edendo in lucem Antichriſto quaſi obſtetricaretur.

[d] *Simocatt. in Dialogo præfixo Mauricianæ hiſtoriæ: & lib. 8 cap 10.*

* σιδήρῳ περιφρακτος, μιξοβάρβαρος ἄνθρωπος.

2 Vix verò lucem in Occidente aſpexerat Antichriſtus, cùm repentè in Oriente exortus eſt Pſeudopropheta Mahometes : cujus ſectatores Sarraceni tam mirabiles habuerunt ſucceſſus, ut tertio poſt exceſſum illius anno Omaro dynaſtiam capeſſente, Ægyptum, Arabiam, Phœniciam, Palæſtinam, Syriam, Meſopotamiam, intra ſexennij ſpatium occupaverint. Nec tamen quum primùm emerſerunt geminæ iſtæ voragines ſcopulique Eccleſiæ, priſtinum ſtatim imperium recuperare potuit Satanas : mille annorum termino nondum completo, quando ex vinculis emittendus erat ipſe, *ut ſeduceret gentes quæ ſunt in quatuor angulis terræ.* Quanquam enim *facta eſſet meretrix Vrbs fidelis*, proſtituiſſetque ſe *Babylon illa magna* : nondum tamen efficere potuit, ut *veneficÿs ſuis ſeducerentur omnes gentes, & vino ſcortationis ſuæ inebriarentur incolæ terræ.* Nec quando natum dicimus Antichriſtum, neceſſe eſt ita in primâ illâ ſuâ ętatulâ prȩvaluiſſe exiſtimemus, ut confeſtim omnes ad partes ſuas pertraxerit: nedum ut Chriſti Eccleſiam uno

Apocal. 20. 7. 8.

Eſai 1. 21.

Apocal. 17. 2. & 18. 23.

quaſi

quaſi momento ſubitò evanuiſſe arbitremur (* καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν :) Nec *Roma* quidem *uno ædificata eſt die* : ſuaque (ut inquit [e] ille) *cuique parti ætatis tempeſtivitas danda eſt*. ut non cùm primùm vagiebat in cunis Antichriſtus, ſed ubi ętatis maturitatem aſſecutus eſt, univerſalis defectio fuerit expectanda.

* ſicut de nobis malè loquuntur, & ſicut quidam aiunt nos dicere. *Rom.* 3.8.
[e] *Tull. in Caton. major.*

3 Intereà temporis, errores pręter modum creviſſe non inficior, & Papiſmum (ne in re confeſſâ confirmandâ tempus fruſtrà terant adverſarij) in mundum introductum agnoſco : ſed ex ſerpigine adhuc factam eſſe gangrænam, aut ex hæreſi ἀποστασίαν catholicam, id verò pernego ; & corruptelas, quibuſcum præſens interitus & diſſolutio Eccleſiæ conjuncta eſt, adhuc orbem Chriſtianum nequaquam inundâſſe, aut cathedras Doctorum generatim occupâſſe ; imò plurimos tum in Oriente tum in Occidente (in Galliâ, in Germaniâ, in Britannijs noſtris) in illis maximi momenti rebus, in quibus ſumma ſalutis vertitur, à Pontificiorum ſententiâ diſſenſiſſe defendo. ut, ſi non integra valetudo, at vita ſaltem retenta dici poſſet.

4 Atque, ut ab Oriente incipiam : anno Chriſtianæ epochæ 754. Conſtantinopoli CCCXXXVIII. Epiſcoporum habita eſt Synodus ; qui alijs exploſis imaginibus, *unicam* definiverunt eſſe *imaginem ab ipſo Chriſto inſtitutam ; nimirum panem & vinum in Euchariſtiâ, quæ repræſentant Chriſti corpus & ſanguinem.* Huic Concilio oppoſuit ſe Synodus illa * λῃστρικὴ pro Imaginum cultu ſtabiliendo Nicęæ coacta : de quâ quid Eccleſię Britannicę ſenſerint, Anglorum hiſtorici, Simeon Dunelmenſis, Rogerus Hovedenus, Matthæus

Anno 754.
Concil. Nicæn. II. Act. 6. in fine 3. tomi.
* latrocinalis.
Anno 787.

us Florilegus, & Roffenſis hiſtoriæ author, hunc in modum referunt.

Anno 792.

Anno ab incarnatione Domini 792. Carolus rex Francorum miſit Synodalem librum ad Britanniam, ſibi à Conſtantinopoli directam; in quo libro (proh dolor!) multa inconvenientia, & veræ fidei contraria reperta ſunt: maximè, quod penè omnium Orientalium doctorum, non minùs quàm trecentorum, vel eo amplius Epiſcoporum unanimâ aſſertione confirmatum eſt, Imagines adorari debere: quod omninò Eccleſia Dei execratur. Contra quod ſcripſit Alcuinus epiſtolam ex authoritate divinarum ſcripturarum mirabiliter affirmatam; illamque cum eodem libro ex perſonâ Epiſcoporum & Principum noſtrorum regi Francorum attulit.

5 Britannicarum Eccleſiarum judicium ſuo etiam calculo Germaniæ & Galliæ Epiſcopi comprobârunt: Concilio eâ de re Francofurti juxta Mœnum congregato; quo

Anno 794.

Pſeudo-Synodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falsò ſeptima vocata, ab Epiſcopis damnata eſt. ut Walafridus Strabus (qui Annalium Fuldenſium à P. Pithæo & Marqu. Frehero editorum author putatur) Egoliſmenſis ille monachus qui Caroli Magni vitam deſcripſit (à Pithæo item editam) Ado Viennenſis & Regino Prumienſis, in hiſtorijs ſuis teſtes ſunt exceptione omni majores. quibus addere liceat & Hincmari Rhemenſis [f] Archiepiſcopi, de hâc Synodi Nicænæ II. abdicatione inſigne teſtimonium. *Tempore* (inquit) *Caroli Magni Imperatoris, juſſione Apoſtolicæ ſedis, generalis Synodus in Franciâ, convocante præfato Imperatore, celebrata, & ſecundùm Scripturarum tramitem, traditionemq́ majorum, ipſa Græcorum Pſeudo-ſynodus deſtructa, & penitùs abdicata eſt. De cujus deſtructione non modicum volumen, quod in*

[f] *Hincmar. Rhemenſ. in libro contra Hincmarum Laudunenſem, cap. 20. in Goldaſt. Imperial.* Decret. de cultu *Imag. p. 82. 83.*

in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum. Et paulò pòſt: *Auctoritate itaq́ huius Synodi nonnihil repreſſa eſt imaginum veneratio: ſed tamen Hadrianus & alij Pontifices in ſuâ opinione perſeverârunt, & mortuo Carolo ſuarum pupparum cultum vehementiùs promoverunt; adeo ut Ludovicus Caroli filius, libro longè acriori inſectatus ſit imaginum cultum, quàm Carolus.*

6 Ludovicus enim cognomento Pius, occaſione miſſæ ad ſe hâc de cauſsâ à Michaële Balbo Imperatore Conſtantinopolitano legationis, Gallicanæ Eccleſiæ Doctores Pariſiis convenire iuſſit: qui de eadem Pſeudo-Synodo ſic ad eum reſcripſerunt. *Anno 824.* *Eam Synodum cùm ſanctæ memoriæ genitor veſter coram ſe ſuiſq́ perlegi feciſſet, & multis in locis (ut dignum erat) reprehendiſſet, & quædam capitula quæ reprehenſioni patebant prænotâſſet, eaq́ per Angilbertum Abbatem Hadriano Papæ direxiſſet, ut illius iudicio & auctoritate corrigerentur; ipſe rurſus favendo illis qui eius inſtinctu tam ſuperſtitioſa tamque incongrua teſtimonia memorato operi inſeruerant, per ſingula capitula in illorum excuſationem reſpondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus eſt. Talia quippe quædam ſunt quæ in illorum obiectionem oppoſuit, quæ, remotâ Pontificali auctoritate, & veritati & auctoritati refragantur.* Hæc illi, ad Ludovicum & Lotharium Auguſtos. qui collecta à Theologis his veterum Patrum contra cultum imaginum teſtimonia ad Romanum Pontificem per Hieremiam Senonenſem & Ionam Aurelianenſem Epiſcopum tranſmiſerunt: addito mandato, ut *patienter ac modeſtè cum eo de hâc cauſsâ diſputarent; ne nimis reſiſtendo, eum in aliquem irrevocabilem pertinaciam incidere compellerent.* quemad-

[g] *Decret. Imperial. de cultu Imag. pag. 750.*

modum in ipſorum Imperatorum [g] epiſtolâ (quæ, cum aliis ejuſdem argumenti Imperialibus decretis, à doctiſſimo Goldaſto edita habetur) videre licet.

7 Atque ita εἰκονοδουλείαν Britanniæ, Galliæ & Germaniæ Reges ſimul, & Epiſcopi propulsârunt & propulerunt. atq; unâ cum εἰκονοδουλείᾳ, etiam Αντιχριστοδουλείαν. Qui enim à ſententiâ, quam à Romano Pontifice & ab eo comprobatâ Synodo conſtitutam ac ſancitam intellexerant, eo, quo vidimus, modo ſuas profeſſi ſunt longiſſimè rationes voluntateſque abhorruiſſe: hoc ipſo ſatis declarârunt, & quid ipſi de ſummo atque infallibili controverſiarum judice ſentirent; & quanti ponderis Capitolini iſtius Iovis effata fuerint apud homines illius ævi; non tanti quidem profectò, ut ab illis, quod nunc fit, latum unguem non liceret abſcedere. Quanquam enim principatum jam quendam obtineret, multóque quàm par erat majorem authoritatem adeptus eſſet: adhuc tamen ad perniciem Eccleſiæ non erupit illa (tam inſolenti oſtentatione à poſterioribus Pontificibus venditata) *plenitudo poteſtatis:* neque huic Imperio ita obedientes fuerunt homines, ut jura omnia ejus nutu atque arbitrio gùbernari paterentur.

8 Quare ſub exitum ipſius decimi Seculi, quum Româ Petrus quidam Cardinalis in Gallias miſſus eſſet, ut delubrum in Turonenſi diœceſi à Fulcone Andegavenſi Comite extructum dedicaret: illud factum univerſos Galliarum præſules deteſtatos narrat Glaber Rodulphus, [h] *quoniam nimium indecens videbatur, ut is, qui Apoſtolicam regebat ſedem, Apoſtolicum primitus ac canonicum tranſgrederetur tenorem. cùm inſuper multiplici ſit antiquitùs auctoritate roboratum, ut non quiſpiam*

[h] *Glab. Rodulph. hiſtor. lib. 2. cap. 4.*

piam Epiſcoporum in alterius diœceſi iſtud præſumat exercere, niſi Præſule, cuius fuerit, compellente ſeu permittente. Licet namq́ue (inquit hiſtoricus) *Pontifex Romanæ Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ ſedis cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur; non tamen ei licet tranſgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unuſquiſq́ue orthodoxæ Eccleſiæ Pontifex, ac ſponſus propriæ ſedis, uniformiter ſpeciem gerit Salvatoris; ita generaliter nulli convenit quippiam in alterius procaciter patrare Epiſcopi diœceſi.*

9 Quo verò tempore adverſus Ludovicum Pium Auguſtum filiorum facta eſt conjuratio, quum undique ſparſi eſſent rumores, Gregorium IV. Papam adventare ut Imperatorem cum ſectatoribus ſuis vinculo excommunicationis irretiret: qui ab Imperatoris partibus ſtabant, Epiſcopi auſi ſunt aſſerere, *nullo modo ſe velle eius voluntati ſuccumbere, ſed ſi excommunicaturus veniret, excommunicatus abiret, quum aliter ſe habeat antiquorum canonum auctoritas.* quod à vetere authore, [i] qui in ipſius Ludovici aulâ vixit, literis eſt proditum. Similiter & Guntharius Colonienſis ac Theutgaudus Trevirenſis, Archiepiſcopi, à Nicolao I. Pontifice depoſiti & communione privati, liberè ad eum reſcripſerunt. [k] *Tuam pravam ſententiam à zelo rectitudinis alienam iniuſtam & inrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, imò cum omni cœtu fraterno, quaſi nefas atq́ue maledictum fruſtrà prolatum contemnimus atq́ue abijcimus, tibiq́ue anathematorum & religionis ſacræ abiectorum & contemptorum fautori & communicatori reverâ communicare nolumus, contenti totius Eccleſiæ communione & fraternâ ſocietate, quam tu arroganter te ſuperexaltans deſpicis, teq́ue ab eâ elationis tumore indignum faciens ſegregas. Igitur ex tuâ levitatis temeritate,*

Anno 833.

[i] *In Vita Ludovici Pij, à P. Pithæo edit.*

Anno 863.

[k] *Annal. Francor. à Pithæo edit. ad an.* 863

*ritate, propriâ tibimet ſententiâ anathematis plagam inflixiſti, exclamans, Qui Apoſtolica præcepta non ſervat anathema ſit; quæ multipliciter violare & violâſſe dignoſceris, divinas leges ſimul & ſacros canones calcans, & (quantum in te eſt) evacuans, prædeceſſorum tuorum Pontificum Romanorum veſtigia ſequi nolens. Nunc ergo, qui fraudulentiam & calliditatem experti ſumus, indignationem quoq́ tumidumq́ potentatum agnoſcimus; nihil tibi tuæq́ ſuperbiæ cedimus, quâ nos ad vota noſtrorum, quibus faves, inimicorum obruere feſtinabas: ſcieſq́ nos non tuos eſſe, ut te iactas & extollis, clericos; quos ut fratres & coepiſcopos recognoſcere, ſi elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi noſtri ordinis non inſcij, nimium tuâ improbitate compulſi, reſpondemus: non quaſi ad illatam nobis contumeliam provocati, ſed contra tuam iniquitatem eccleſiaſtico zelo accenſi; nec noſtræ * utilitatis perſonam attendentes, ſed omnem noſtri ordinis univerſitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.*

* vilitatis

10 De ejuſdem Pontificis tyrannide ab Italiæ quoque Epiſcopis ad Eccleſias Orientales miſſas eſſe literas, Photij Conſtantinopolitani antiſtitis ad Patriarchales Orientis ſedes Encyclica oſtendit. [1] *Ex partibus* (inquit) *Italiæ ſynodica quædam epiſtola ad nos allata eſt, ſexcenta continens mala & delicta, quæ adverſus proprium ipſorum Epiſcopum illi qui Italiam incolunt conqueruntur: ſexcentas etiam obteſtationes cum magna iræ Dei comminatione nobis adhibent, ne ipſos prætermittamus ita miſerè perditos, & tantâ & adeò gravi tyrannide oppreſſos: ſacerdotales præterea leges, & omnes Eccleſiaſticas regulas conculcatas narrant. Quæ iam diu quidem à monachis & presbyteris inde aufugientibus ad omnium aures devenerunt: inter quos Baſilius fuit & Zoſimus & Metrophanes,*

[1] *Baron. an.* 863 §. 42. *ex Ms. codice bibliothecæ Vallicellanæ.*

&

& cum ipſis alij multi, qui huiuſmodi tyrannidem deplorabant, & ad Eccleſiarum defenſionem nos vocabant multis cum lacrymis. Nunc verò (ut ſuperiùs dixi) diverſæ literæ diverſorum inde venerunt, huiuſmodi tragœdiæ & ſexcentorum malorum plenæ; quarum exempla, iuxta eorum preces & obteſtationes (ad univerſas enim Patriarchales ſedes illas dari cum horrendis obteſtationibus rogârunt; ut ipſæmet literæ, cùm legentur, manifeſtum vobis facient) his noſtris literis adiecimus, ut de his rebus etiam ſanctâ univerſali Synodo in Domino congregatâ, quæ placuerint Deo, communi ſententiâ confirmentur, & magna pax Eccleſiæ Chriſti reſtituatur.

11 Defuncto Nicolao ſucceſſit Hadrianus II. Is Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo præcepit, ut Regem ſuum (Carolum Calvum dictum) communione privaret, ni regno fratris ſui Lotharii, filio eius Ludovico cederet. De quo mandato quid *& Eccleſiaſtici & ſecularis ordinis viri, qui de diverſis regni partibus Rhemis plurimi convenerant* ſentirent, his ipſis verbis certiorem Pontificem reddidit Hincmarus. *Improperando dixerunt & dicunt: nunquam huiuſmodi præceptionem ab illâ ſede ulli prædeceſſorum meorum miſſam fuiſſe; cùm inter Reges ſacramentis etiam confœderatos, ſed inter patrem & filios, ac inter fratres prælia & ſeditiones eorum temporibus fuiſſe noſcantur &c. Nec etiam ab hæreticorum vel ſchiſmaticorum, ſive tyrannorum Imperatorum ac Regum, quales fuerunt Conſtantius Arrianus, ac Apoſtata Iulianus, & Maximus tyrannus, præſentiâ & ſalutatione, ſive collocutione, ſedis Apoſtolicæ Pontifices, vel alij magnæ auctoritatis atq; ſanctitatis Epiſcopi, cùm locus & ratio ac cauſſa exegit, ſe ſubtraxiſſe leguntur. --- Et dicunt ſecularem ſcripturam dicere, quia omne regnum ſeculi huius bellis quæritur,*

Anno 870.

L.Bochell.Decr. Eccleſ. Gallic. lib.2.tit.2 cap. 2. pag. 317.

quæritur, victorijs propagatur, & non Apoſtolici vel Epiſcoporum excommunicationibus obtinetur : & ſcripturam divinam proponunt dicere ; Quia Domini eſt regnum, per quem reges regnant, & cui voluerit dat illud miniſterio Angelorum & hominum. - - - *Et petite* (inquiunt) *domnum Apoſtolicum, ut quia Rex & Epiſcopus ſimul eſſe non poteſt, & ſui anteceſſores Eccleſiaſticum ordinem, quod ſuum eſt, & non Rempublicam, quod Regum eſt, diſpoſuerint: non præcipiat nobis habere regem, qui nos in ſic longinquis partibus adiuvare non poßit contra ſubitaneos & frequentes paganorum impetus. Et nos Francos non iubeat ſervire, cui nolumus ſervire : quia iſtud iugum ſui anteceſſores noſtris anteceſſoribus non impoſuerunt, & nos illud portare non poſſumus.* - - - *Propterea ſi domnus Apoſtolicus vult pacem quærere, ſic pacem quærat, ut rixam non moveat : quia nos non credemus, ut aliter ad regnum Dei pervenire non poßimus, ſi illum quem ipſe commendat terrenum regem non habuerimus.*

Conſtitut. Imperial. à Goldaſto edit. tom. 1. pag. 24. 25.

12 Idem Hadrianus in literis ad ipſum Regem Carolum, hâc uſus eſt verborum formulâ: *Volumus & auctoritate Apoſtolicâ iubemus ipſum Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum, veſtrâ fretum potentiâ, ad limina Sanctorum, noſtramq; venire clementiam.* Rex dictum hoc inſolens cùm ferre non poſſet, videretque hoc modo *umbroſum ſeculi typhum* (ſic enim cum Aphricanis Patribus loquitur) *induci in Eccleſiam* ; ita demum ad Pontificem reſcripſit. *Valde mirati ſumus, ubi hoc dictator Epiſtolæ nobis per Actardum Epiſcopum delatæ, ſcriptum invenerit, eſſe Apoſtolicâ auctoritate præcipiendum, ut Rex corrector iniquorum & diſtrictor reorum, ac ſecundùm leges Eccleſiaſticas atq; mundanas ultor criminum, reum legaliter ac regulariter pro exceßibus ſuis damnatum,*

ſuâ

ſuâ fretum potentiâ Romam dirigat.--- Unde, ſicut vobis reſcripſimus, & nunc iterum vobis ſcribere non piguit, ſed exigente cauſsâ neceſſarium eſt: quia Reges Francorum, ex regio genere nati, non Epiſcoporum Vice-domini, ſed terræ Domini hactenus fuimus computati. Et ut Leo ac Romana Synodus ſcripſit, Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præcipit præeſſe, jus diſtinguendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis juxta divalia conſtituta permiſerunt, *non autem Epiſcoporum villici extiterunt.--- Quis igitur hanc inverſam legem Infernus evomuit? Quis Tartarus de ſuis abditis & tenebroſis cuniculis eructavit? Contra quam literis ſacris oſtenſa nobis eſt via, quam ſequamur: &c.*

13 Addantur his Ottonis Magni & Synodi Romanæ literæ, ad Iohannem Papam XII. quem XIII. appellat Platina, atque *omnium, qui unquam ante ſe in Pontificatu fuêre, pernicioſiſſimum & ſceleratiſſimum* fuiſſe notat. *Summo Pontifici & univerſali Papæ domino Iohanni, Otto divinæ reſpectu clementiæ Imperator Auguſtus, cum Archiepiſcopis Liguriæ, Tuſciæ, Saxoniæ, Franciæ, in domino Salutem. Romam ob ſervitium Dei venientes, dum filios veſtros, Romanos ſcilicet Epiſcopos, Cardinales, Preſbyteros, Diaconos, & univerſam plebem de veſtrâ abſentiâ percontaremur, & quid cauſſæ eſſet, quòd nos Eccleſiæ veſtræ veſtrique defenſores, videre noluiſſetis; talia de vobis tamque obſcena protulerunt, ut ſi de hiſtrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem veſtram omnia lateant, quædam vobis ſub brevitate deſcribimus, quum ſi cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non ſufficeret unus. Noveritis itaque non à paucis, ſed ab omnibus tam veſtri quàm alterius ordinis, vos homicidii, periurii, ſacrilegii, & ex propriâ cognatione, atque ex*

Anno 963. Luitprand. Ticinenſ. Hiſtor. lib. 6. cap. 9. & 10.

duabus ſororibus inceſti crimine eſſe accuſatos. Dicunt & aliud auditu ipſo horridum, Diaboli vos in amorem vinum bibiſſe: in ludo aleæ, Iovis, Veneris, ceterorumq́ Dæmonum auxilium popoſciſſe. Oramus itaq; paternitatem veſtram obnixè, venire, atq́ ex his omnibus vos purgare non diſsimuletis. Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis, iuramento vobis affirmamus, nihil fieri præter ſanctorum canonum ſanctionem. Data V. I I I. Idus Novembris.

14 Acceptis literis reſpondet Pontifex μαλα' λακονικῶς: *Iohannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus Epiſcopis. Nos audivimus dicere, quòd vos vultis alium Papam facere. Si hæc facitis, excommunico vos de Deo omnipotenti, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & miſſam celebrare.* Imperator & Epiſcopi reſcribunt: *Si ad Synodum venire, & obiecta purgare non differtis, auctoritati veſtræ proculdubio obediemus. Sed ſi (quod abſit) venire, & obiecta vobis capitalia crimina purgare diſsimulatis; quum præſertim vos venire nihil impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo: tunc excommunicationem veſtram parvipendemus, eam potiùs in vos retorquebimus, quoniam quidem iuſtè facere poſſumus.* Nec reſcribunt tantùm, ſed etiam fugâ judicium ſubterfugientem Pontificatu pellunt, & Leonem V I I I. in locum ejus ſubſtituunt.

Anno 992.
* utitur audaciâ.
Synod. Rhemenſ. cap. 28.

15 Arnulphus quoque Epiſcopus Aurelianenſis, in oratione ad Patres Rhemenſis Synodi, * ἀποτολμᾷ. *Quid hunc* (ait ille) *Reverendi Patres, in ſublimi ſolio reſidentem, veſte purpureâ & aureâ radiantem; quid hunc, inquam, eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolâque ſcientiâ inflatur & extollitur, Antichriſtus eſt, in templo Dei ſedens, & ſe oſtendens tanquam ſit Deus. Si autem nec*

nec charitate fundatur, nec ſcientiâ erigitur, in templo Dei, tanquam ſtatua, tanquam idolum eſt: à quo reſponſa petere, marmora conſulere eſt. Et pòſt: *Cuius miniſtri Gallias occupaverunt, noſq́ totis viribus premunt, Antichriſtus inſtare videtur. &, ut Apoſtolus ait, Iam myſterium iniquitatis operatur tantùm ut qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat; ut ille perditionis filius reveletur, homo peccati, qui adverſatur, & extollitur ſupra Dei nomen, Deiq́ culturam. Quod jam in aperto ſit, ut Romanâ potentiâ conquaſſatâ, religione profligatâ, nomen Dei frequentibus perjurijs impunè humilietur: ipſius divinæ religionis cultus etiam à ſummis ſacerdotibus condemnatur. Ipſa inſuper Roma jam penè ſola à ſeipsâ diſcedit, dum neq́ ſibi neq́ alijs conſulit,* &c. Habentur iſta in Actis Rhemenſis Synodi: quibus ſubjiciuntur & Gereberti contra Romani Pontificis poteſtatem, ad Siguinum Senonenſem archiepiſcopum ſcriptæ literæ: & ad Wilderodum Argentinenſem Epiſcopum pro Synodo Rhemenſi Apologia; in cujus fine ad Chriſtum ita convertit ſermonem. *Sed una ſalus hominis, ô Chriſte, tu es. Ipſa Roma omnium Eccleſiarum hactenus habita mater, bonis maledicere, malis benedicere fertur, & quibus nec Ave dicendum eſt, communicare: tuamq́ legem zelantes damnare, abutens ligandi & ſolvendi poteſtate à te acceptâ: cùm apud te non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur; nec poſsit hominis eſſe, impium juſtificare, juſtumq́ damnare.*

16 Ita videmus Romani Pontificis effrenatæ cupiditati itum eſſe obviam, & impotenti dominatui tam ab Eccleſiaſticis quàm à Politicis ordinibus reclamatum. Tranſſubſtantiationis verò gangrænam Eccleſias adhuc non depaviſſe, fidem facit non illa ſolùm ſuperiùs citata Conſtantinopolitani Concilij

definitio, ſed etiam Rabani Mauri luculenta confeſſio. [m] *Maluit Dominus corporis & ſanguinis ſui ſacramenta fidelium ore percipi, & in* [*] *partem eorum redigi, ut per viſibile opus, inviſibilis oſtenderetur effectus. Sicut enim cibus materialis forinſecus nutrit corpus & vegetat, ita etiam Verbum Dei intus animam nutrit & roborat.* Item: *Sacramentum in alimentum corporis redigitur, virtute autem ſacramenti æterna vita adipiſcitur.* Quæ cauſſa fuit, cur [n] *fulgentiſſimum Germaniæ ſidus* ab authoribus Pontificijs, Guilielmo Malmesburienſi qui *quarto*, & Thomâ Waldenſi qui *ſexto* pòſt ſcripſit ſeculo, in *erraticarum ſtellarum* numero fuerit repoſitum. Sic enim Guilielmus, [o] in Præfatione Epitomes Amalarij de divinis officijs, ad fratrem Robertum: *Admonitum* (inquit) *te volo, ut unum ex his qui de talibus diſputaverunt fugiendum ſcias, Rabanum nomine: qui in libro de Officijs Eccleſiaſticis dicit Sacramenta Altaris proficere ad saginam corporis; ac pro hoc corruptioni, vel morbo, vel ætati, vel ſeceſſui, vel poſtremo morti obnoxia. quæ de Domini corpore dicere, credere, ſcribere, quanti ſit periculi vides.* Thomas Waldenſis [p] cum Rabano conjungit ejuſdem æqualem Heribaldum Altiſſiodorenſem epiſcopum (eum nempe, cujus in 84. Lupi Ferrarienſis epiſtolâ ſit mentio; & quem Carolo Calvo regi *charum* fuiſſe & *intimum* in chronologiâ ſuâ refert Robertus Altiſſiodorenſis monachus:) atque eo nomine utrumque damnat, quòd Euchariſtiæ ſacramentum cibum digerendum in humanam carnem, & ſeceſſui obnoxium eſſe aſſeruerit. quâ de re in antiquiore ſcriptore (quem ex D. Roberti Cottoni, viri & gradu dignitatis & reconditæ antiquitatis ſtudijs illuſtris, lectiſſimâ Bibliothecâ nacti ſumus) ita legimus. *Et*

his

[m] *Raban. d. Inſtitut. clericorũ, lib. 1. cap. 31. & de Univerſo, ſive de naturis rerum; lib. 5. cap. 11. MS.*
[*] *al.* paſtum.

[n] *Baron. Annal. tom 10. an. 856. §. 27. de Rabano.*

[o] *MS. in Bibliothe. Colleg. Omnium Animarum. Oxon.*

[p] *Tho. Wald. tom. 1. Doctrinal. Prolog. ad Martinum V. item tom. 2. de Sacramentis, cap. 19. & 61.*

his quidem qui dixerunt ſeceſſui obnoxium, quod * *nunquam antea eſt auditum, id eſt, Heribaldo Antiſiodorenſi Epiſcopo qui turpiter propoſuit, & Rabano Maguntino qui turpiùs aſſumpſit, turpiſſimè verò concluſit, ſuus ad reſpondendum locus ſervetur.*

17 Ita Rabanum nobiliſſimum ſui temporis Doctorem, [q] *cui nec Italia ſimilem, nec Germania peperit æqualem*, maledictis inſectatur obſcurus iſte author: addens etiam eundem *Rabanum in epiſtolâ ad Helgimonem abbatem, & Ratrannum quendam libro compoſito ad Carolum regem*, contra Paſchaſium Ratbertum Corbeienſem abbatem argumentatos eſſe, qui eandem eſſe carnem quæ de altari ſumitur, & de virgine generatur, ſcripto libello defendit. Pontificij ſublatâ hâc, quæ cum ipſorum de ſacramento Euchariſtiæ abſurdo dogmate conciliari nullo modo poterat, ad Helgimonem datâ epiſtolâ: ipſum Paſchaſij Ratberti à Rabano in eâ epiſtolâ refutatum opuſculum ementito [r] Rabani titulo venditârunt. Quod verò ad Ratrannum attinet: apud Sigebertum Gemblacenſem de ſcript. Eccleſiaſt. cap. 96. legimus, *Bertramum ſcripſiſſe librum de corpore & ſanguine Domini, & ad Carolum librum de Prædeſtinatione.* Cùm verò in exemplaribus manuſcriptis *Gemblacenſi* & *Viridis Vallis* (ut à Suffrido Petro eſt annotatum) *Ratrami* eo in loco nomen occurrat exaratum; teſteturque [ſ] Flodoardus, Hincmarum Remenſem præſulem ſcripſiſſe ad eundem *Carolum* regem de *Prædeſtinatione* & libero arbitrio contra *Ratramnum* monachum Corbeienſem: non alius hic videtur intelligendus Ratrannus, quàm Bertramus ille, cujus *de corpore & ſanguine Domini* libellus fertur, ad *Carolum* Calvum ſcriptus, quem

* *Vid. Origen. comment. in 15. cap. Matthæi.*

[q] *Tritbem. in ſcript. eccleſ. catalog.*

[r] *Raban. de Sacramento altaris, in multis codicib. MSS. & editione impreſsâ Coloniæ, an. 1551. ex bibliotb. Cuthberti Tunſtalli: Vid. Thomam Waldenſ. tom. 2. de Sacramentis, cap. 61.*

[ſ] *Flodoard. Hiſtor. Eccleſ. Remenſ. lib. 3. cap. 15. fol. 205.*

* *magnum*

* *magnum* appellat *Imperatorem.* ubi quærenti Imperatori *utrum ipſum corpus quod de Mariâ natum eſt & paſſum, mortuum & ſepultum, quodque ad dexteram patris conſideat, ſit quod ore fidelium per ſacramentorum myſterium in Eccleſiâ quotidiè ſumitur* : reſpondet Bertramus, diſcrimen inter utrumque eſſe tantum, *quantum eſt inter pignus & eam rem pro quâ pignus traditur; quantum inter imaginem, & rem cujus eſt imago; & quantum inter ſpeciem & veritatem.* Quod “ Romani Inquiſitores & Patres Tridentini cùm concoquere nullo modo poſſent : in Indicem librorum prohibitorum velut in Cæritum tabulas authorem referendum judicârunt. Duacenſis verò Univerſitas cùm remedium hoc paulò violentius eſſe cerneret, & quod cauſſæ Pontificiæ magis eſſet offuturum, quàm futurum adjumento: ad ſolitas artes hîc confugiendum, atque alio medicamento huic malo occurrendum cenſuit. cujus judicium & Belgicis Cenſoribus, qui Philippi II. & Ducis Albani auctoritate ac conſilio Expurgatorium Indicem concinnârunt, probatum eſt.

*ut Sigebert. de ſcript. eccleſiaſt. cap. 100. & eum ſecutus Trithemius; in Hincmaro.

“ *in Indice librorum prohibit. Romano* (*edit. an.* 1559) *& Tridentin.*

18 *Quum igitur* (inquiunt [t] iſti) *in catholicis veteribus alijs plurimos feramus errores, & extenuemus, excuſemus, excogitato commento* (en Papiſtarum fidem!) *perſæpe negemus, & commodum ijs ſenſum affingamus, dum opponuntur in diſputationibus, aut in conflictionibus cum adverſarijs: non videmus cur non eandem æquitatem & diligentem recognitionem mereatur Bertramus. ne hæretici ogganniant nos antiquitatem pro ipſis facientem exurere & prohibere: itaque mirùm non eſſe pauca pro ipſis videri facere, &c.* Quodnam igitur hîc *excogitatum* eſt ab his *commentum*? Ubi in Bertramo legitur: *Quæ à ſe differunt, idem non ſunt. Corpus Chriſti quod mortuum eſt & reſurrexit,*

[t] *Ind. expurgator. Belgic. pag.* 5. *edit. Antver. an.* 1571.

reſurrexit, & immortale factum jam *non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur, æternum eſt, nec* jam *paſſibile. Hoc autem quod in Eccleſiâ celebratur, temporale eſt, non æternum; corruptibile eſt, non incorruptum.* poſtremæ huic ſententiæ *commodum* hunc *ſenſum affingunt*: ut intelligatur de *ſpeciebus ſacramenti corruptibilibus; aut de re ipsâ & uſu ſacramenti, qui non contingit, niſi præſenti in ſeculo.* Neque ipſis tamen explicatio hæc viſa eſt ſatis commoda. *Non malè aut inconſultè omittantur igitur omnia hæc;* inquiunt. Quanto verò faciliùs unâ liturâ libellum integrum deleviſſent? quam viam compendiariam [u] in Indice ſuo expurgatorio ſecuti Cenſores Hiſpani, breviter rem totam confecerunt. *Deleatur tota Epiſtola Vdalrici, Epiſcopi Auguſtani, de cælibatu Cleri. Item totus liber Bertrami presbyteri de corpore & ſanguine Domini, penitùs auferatur.* Quibus quid aliud opponamus, quàm quod olim adverſus Gentes ſcripſit [x] Arnobius? *Intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſt deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timere.* Nam quod [y] Sixtus Senenſis & [z] Antonius Poſſevinus librum de corpore & ſanguine Domini ab Oecolampadio ſub titulo Bertrami presbyteri ſcriptum eſſe aſſerunt: id omnem impudentiam ſuperat; nec aliam requirit refutationem, quàm ipſam antiquorum exemplarium (quæ multis ante natum Oecolampadium ſeculis ſunt deſcripta) inſpectionem. quorum unum notæ optimæ, in Bibliothecâ D. Iacobi Giloti Pariſienſis Senatoris ſe vidiſſe teſtatus eſt mihi vir ſummus & de Republicâ literariâ optimè meritus, Iſaacus Caſaubonus.

[u] *Ind. expurg. Hiſpan. Card. Quirogæ, edit. Madriti an. 1584. (in fine literæ O.)*

[x] *Arnob. adverſ. gentes, lib. 3.*

[y] *Sixt. Sen. Præfat. Bibliothec. Sanct.*

[z] *Poſſevin. Prolegom. in Apparat. ſacr.*

19 Eandem cum Rabano & Bertramo veritatem

tutatus eſt, qui ijſdem temporibus apud Carolum Caluum in honore fuit & pretio, popularis noſter Iohannes Scotus: cujus tractatus de Euchariſtiâ, quòd apertè cum Metuſiaſtarum hæreſi pugnaret, anno demùm 1050. in Synodo [a] Vercellenſi ſub Leone IX. damnatus eſt. Scio quidem doctiſſimum illum virum, dum in vivis ipſe eſſet, aliquorum & ſcriptis laceſſitum & rumoribus infamatum; quod etiam in [b] Epiſtolâ ad Carolum objectat Papa Nicolaus: ſed nec illorum quenquam hâc in cauſsâ litem ei invenio intendiſſe; ac apud alios ſanctiſſimam ejus, & viventis, & mortui, fuiſſe exiſtimationem non ignoro. De vivente, in Præfatione præfixa interpretationi Hierarchiæ Dionyſianæ (quam in Latinam linguam princeps tranſtulit Iohannes noſter) ita ſcribit ad eundem Carolum Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius. *Mirandum eſt quomodo vir ille barbarus (qui in finibus mundi poſitus, quanto ab hominibus converſatione, tanto credi potuit alterius linguæ dictione, longinquus) talia intellectu capere, in aliamq́ linguam transferre valuerit. Iohannem innuo Scotigenam virum quem auditu comperi per omnia ſanctum. Sed hoc operatus eſt ille artifex ſpiritus, qui hunc ardentem pariter & loquentem fecit.* De mortuo teſtari poteſt, tum Catalogus Sanctorum in Angliâ ſepultorum (ex Angloſaxonum monumentis à Gotcelino Bertiniano monacho Cantuarienſi temporibus Anſelmi editus) in quo *ſanctus Aldelmus, & Iohannes ſapiens in loco qui dicitur* * *Aldelmiſbirig* notatur requieſcere: tum Epitaphium ſepulchro ejus impoſitum; cujus verſus ab ejuſdem loci monacho, Guilielmo Malmesburienſi, recitantur, [c] *ſcabri quidem* (ut notat ille) *& moderni temporis limâ carentes,*

[a] *Lanfranc. de Sacram. Euchariſt. contra Berengarium. Vincentius in Speculo Hiſtoriali, lib. 24. cap. 42. & Doctrinali, lib. 19. cap. 60. Hartman. Schedel. in Chronic. ætat. 6. ad annum 874. Baptiſta Fulgoſ. de dict. & fact. memorabil. lib. 1. cap. 1. &c.*

[b] *Rog. Hoveden in priore parte Annalium. Matth. Weſtmonaſter. Flor. hiſt. an. 883.*

MS.

* *aliis Meldunum & Malmesburia.*

[c] *Guil. Malmesbur. de geſtis Reg. Anglor. lib. 2.*

tes,

tes, ſed ab antiquo non adeò difformes.

Clauditur hoc tumulo ſanctus Sophiſta Iohannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro,
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum,
Quo, meruit, ſancti regnant per ſecula cuncti.

20 Hanc verò de corpore & ſanguine Domini quæſtionem deinceps variè fuiſſe agitatam, oſtendunt ſcripta adverſaria *Ratherij*, (qui [d] ex monacho Lobienſi, Veronenſis primùm, deinde Leodienſis Eccleſiæ factus eſt Epiſcopus, temporibus Henrici Aucupis & filij ejus Ottonis Magni Imp.) ac *Herigeri* abbatis Lobienſis, qui ſub finem decimi ſeculi [e] *congeſsit contra Ratherium* (vel ut alij habent codices, *contra Ratbertum) multa catholicorum Patrum ſcripta de corpore & ſanguine Domini*; ut in Scriptorum Eccleſiaſticorum catalogo refert Sigebertus. Hoc ipſum etiam Paſchalis oſtendit Homilia, in Anglo-Saxonum Eccleſijs olim publicè legi ſolita: in quâ ſic ſcriptum invenimus. *Sæpe exquiſiverunt homines, & adhuc ſæpe exquirunt, quomodo Panis, ex tritici granis confectus & ignis calore coctus, in Chriſti corpus immutari poſsit; vel quo pacto Vinum, ex multis uvis expreſſum, per unam benedictionem in Domini ſanguinem convertatur.* Quænam autem illis temporibus de eâ quæſtione apud Anglicanas Eccleſias recepta fuerit ſententia, tum ex totâ illâ concione non obſcurè colligitur, tum ex illâ parte, in quâ inter naturale Chriſti corpus & hoſtiam conſecratam variæ ſtatuuntur differentiæ, apertum eſt & manifeſtum. *Multum* (inquit author) *intereſt inter corpus in quo paſſus eſt Chriſtus, & corpus quod in hoſtiâ conſecratur. Corpus ſanè in quo Chriſtus paſſus eſt, ex Mariæ carne natum eſt, ac ſanguine, oſsibus, cute, nervis, mem-*

[d] *Sigebert. de Eccleſiaſt. Scriptor. cap.* 128.

[e] *Sigebert. de Eccleſ. Script. cap.* 138. & *Trithem. de viris illuſtr. ord. Benedicti, cap.* 63.

bris humanis atq́; animâ rationali eſt inſtructum: at ſpirituale ejus corpus, quam hoſtiam appellamus, ex variis collectum eſt granis; ſine ſanguine, oſſibus, membris & animâ. Deinde: *Chriſti corpus quod mortem eſt paſſum & à morte reſurrexit, deinceps nunquam morietur; ſed æternum eſt, & impaſſibile. Hoſtia verò illa temporaria eſt, non æterna: corruptibilis, & in varias partes diſtributa; dentibus confecta, & in ventrem tranſmiſſa.* Denique: *Myſterium hoc pignus eſt & figura; Chriſti corpus eſt veritas ipſa.*

21 Hanc homiliam ex Latino ſermone in Anglo-Saxonicum Ælfricus tranſtuliſſe creditur; non [f] ille qui Abendonienſis primùm abbas, & Cantuarienſis demùm fuit archiepiſcopus: ſed alius, ex Malmesburienſi abbate Cridienſis factus epiſcopus; quem *peritum literarum* (ut eſt apud Guilielmum Malmesburienſem in Aldelmi vitâ) *præſertimq́; elegantiſſimum interpretem non fallax tradit vetuſtas*, & *virum in omnibus eccleſiaſticis experientiſſimum officiis*, in [g] chartâ Malmeſburienſi cœnobio anno 974. datâ, appellat rex Edgarus. Extat ab eo, Wulfini Shirburnenſis Epiſcopi nomine, ad Clericos, Saxonicè ſcripta oratio; *Sacerdotalis Synodi* inſcriptionem præferens: in quâ receptam de cænâ Domini doctrinam ſic exponit. *Hoſtia illa eſt Chriſti corpus, non corporaliter, ſed ſpiritualiter. Non corpus in quo paſſus eſt: ſed corpus de quo locutus eſt, quando panem & vinum, eâ quæ paſſionem anteceſſit nocte, in hoſtiam conſecravit; & de ſacrato pane dixit, Hoc eſt corpus meum; rurſumq́; de ſacro vino, Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Extat & alius ejuſdem *Sermo ad Sacerdotes*, primùm Latinâ, deinde Saxonicâ linguâ Wulfſtani Eboracenſis archiepiſcopi juſſu editus: in quo eandem ſententiam

[f] *Guilielm. Malmesb. lib. 1. de geſtis Pontif. Anglor.*

MS.

[g] *Ingulph. Croyland. hiſtor. fol. 503. b. edit. Londin.*

tiam ita explicat. *Non ſit tamen hoc ſacrificium corpus eius in quo paſſus eſt pro nobis, nec ſanguis eius quem pro nobis effudit: ſed ſpiritualiter corpus eius efficitur & ſanguis: ſicut manna quod de cælo pluit, & aqua quæ de petrâ fluxit.* quę verba ex codice Manuſcripto, à Wigornienſi Eccleſia ad Benedictini Collegii apud Cantabrigienſes Bibliothecam tranſlato, perfidâ Papiſtæ alicujus manu eraſa, & notarunt alii, & ipſi vidimus.

22 Nec multùm diſſimili artificio, ubi in Æthiopicarum Eccleſiarum *univerſali Canone* ſcriptum habebatur, *Hic panis eſt corpus meum*: in Latinâ tranſlatione, contra fidem Æthiopicorum exemplarium (quēadmodum in primâ operis editione confirmat Pontificius ipſe ſcholiaſtes) expunctum eſt nomen [h] *Panis*: quòd ſcilicet ad Pontificiorum palatum minùs faceret, qui in verbis inſtitutionis [i] *pronomen* hoc *non demonſtrare panem contendunt*; quippe qui probè noſſent, diſparata de ſe mutuo, aliter quàm per tropum, prædicari nullo modo potuiſſe. Ex quibus omnibus liceat concludere, antiquioribus hiſce temporibus inter *Panem Domini* & *Panem Dominum* diſtinctionem eſſe factam: quâ poſitâ, non Tranſſubſtantiationis modò portentum corruere neceſſe eſt, ſed ἀρτολατρεῖν etiam, & quotidianam Filii Dei in Miſſæ ſacrificio oblationem, quod Pontificiorum unicum eſt Palladium.

[h] *Tom.6 Biblioth. Patr. edit. an.1589.col.78*

[i] *Bellarm. de Euchariſt.lib.1 cap.10. in explicat.voc.EST.*

23 De Iuſtificatione & gratiâ, licet prius quàm Papiſmi virus planè ſeſe prodidiſſet, incautiùs aliquando locuti ſunt mediæ ætatis Doctores: (quemadmodum, Pelagianis *nondum litigantibus ſecuriùs locutum* eſſe Iohannem Chryſoſtomum notavit B. [k] Auguſtinus) non tamen reliquerunt veritatem * ἀμάρτυρον, ſed, ut

[k] *Auguſt. cont. Iulian. Pelag. lib. 1. cap. 2.*

* expertem teſtimonii.

" bonam confeſſionem confeſſi ſunt. 1. *Tim.* 6. 12.

ut homines Dei decuit, " τὴν καλὴν ὁμολογίαν ὡμολόγησαν. Ita venerabilis Beda, in Pſalmi viceſimi quarti explicatione: *Ne memineris delicta; ſed potiùs memento mei Domine, ut miſerearis ſecundùm miſericordiam tuam, id eſt te condignam, non ſecundùm iram, me condignam. Tu, dico, ad quem pertinet; qui ſolus misereris, ſolus mederis, ſolus peccata dimittis. Et hoc non facias propter merita mea, ſed propter bonitatem id eſt ſuavitatem tuam.* Et in Pſalm. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates* &c. *Inſtruit videlicet, ut nemo vel libertatem arbitrij, vel merita ſua ſufficere ſibi ad beatitudinem credat; ſed ſolâ gratiâ Dei ſe ſalvari poſſe intelligat.* Similiter in Pſalmi 39. expoſitione oſtendit, *nullum ad beatitudinem per liberum arbitrium aut per legale ſacrificium, ſed per ſolam gratiam poſſe contingere.* & in Pſal. 77. apertiſſimè; *Per iuſtitiam* (inquit) *factorũ nullus ſalvabitur, ſed per ſolam iuſtitiam fidei.*

24 Bedam quoque ſecutus Alcuinus, in Pſalmi 50. enarratione. *Sordidare me potui, ſed emundare nequeo, niſi tu Domine Ieſu ſancti ſanguinis tui aſperſione mundum me facias.* Et in Pſalm. 142. *Ad me unum cùm reſpicio, nihil aliud in me niſi peccatum invenio. Tota liberatio mea tua eſt iuſtitia.* Item, *Dei miſeratione, in nomine ſalvatoris, non noſtris meritis vivificati ſumus.* Et lib. 4. in Iohann. cap. 8. *Ille ſolus liberare poteſt de peccato, qui venit ſine peccato, & factus eſt ſacrificium pro peccato.* Quò etiam referendum quod in ſcripto Carolino de Imaginib. lib. 1. cap. 15. legimus. *Arca fœderis ſecundùm quoſdam Dominum & Salvatorem noſtrum, in quo ſolo fœdus pacis apud patrem habemus, deſignat* &c. *Cui propitiatorium ſuperponitur, quia ſcil. legalibus ſive Evangelicis præceptis, quæ in eo fundata ſunt, ſupereminet miſericordia eiuſdem mediatoris, per quam non ex operibus legis quæ*

fecimus

fecimus nos, neq; volentes, neq; currentes, ſed eius miſeratione ſalvamur. Similiter & Haymo, in 6. cap. Micheæ: *Nos agentes pænitentiam, ſciamus nihil nos dignum dare poſſe ad placandum Deum, ſed ſolummodo in ſanguine immaculati & ſingularis agni nos poſſe ſalvari.* Et Ambroſius Ansbertus, lib. 10. in Apocalypſ. cap. 22. *Præveniente gratiâ ſalvamur, & ſubſequente iuſtificamur.* Denique (ne plures accumulare neceſſe ſit) author commentariorum in Marcum, qui Hieronymo perperàm ſunt adſcripti: [k] *Gratiâ, non meritis, ſalvati ſumus à Deo.*

[k] *In Marc. cap. 14. tomo 9. oper. Hieronym. edit. Baſil.*

25 Longum eſſet ſingula doctrinæ capita conſectari: & pertinet ea conſideratio ad particularem cujuſque controverſiæ hiſtoriam. præſenti enim inſtituto abunde ſatisfactum, ſi in maximis illis rebus, in quibus poſitæ ſunt fortunæ regni Pontificij, lupę Babylonicæ veneficiis nondum gentes omnes (quod aliquando futurum, à [m] Spiritu ſancto eſt prædictum) ſeductas fuiſſe evicerimus; atque impudicam noſtri temporis Pſeudo-Catholicorum impudentiam repreſſerimus, quorũ illa perpetua eſt cantilena. [n] *Quæcunq; vel opera vel fragmenta ſuperſunt eorum qui diſiunctiſsimis terris Evangelium ſeverunt, omnia nobis unam fidem exhibent, quam hodie Catholici profitemur.*

[m] Apoc. 18. 23

[n] *Campian. rat.* 10.

26 Iam ut myſterij iniquitatis progreſſus & incrementa ſtrictim attingamus: cùm nondum adulta eſſet hæc peſtis, ita verſatus eſt in mundo Antichriſtus, ut animadverſus non fuerit, etiam ab iis qui peſſum euntis Eccleſiæ miſerrimam inclinationem oculis lachrymantibus ſunt intuiti. quod ſatis teſtatum facit

facit vel unica illa venerabilis Bedæ ſententia. *Verùm hæc ſive modernis temporibus acta, ſeu futuris ſub Antichriſto crediderimus agenda, videat Lector, nec ſine lachrymis rem lachrymis dignam contempletur; quantum Eccleſiæ ſtatus ad peiora quotidie, vel, ut mitiùs dicam, ad infirmiora gerenda devolvatur.* ſic ille, lib. 4. Allegoricæ expoſitionis in Samuelem, cap. 2.

27 *Tum verò ruere & retrò ſublapſa referri* res cæpit Chriſtiana; quando illa Deo inviſa ſeu εἰδωλολατρεία ſeu εἰκονοδουλεία in Chriſtianorum templis regnare cæpit: quæ revera *fundi noſtri calamitas*, & malorum omnium quibus labefactatus & convulſus eſt Eccleſiæ ſtatus, principium & quaſi ſeminarium extitit. Quum
1. Theſſal. 1. 9. Eſai. 1. 4. Ierem. 8. 19. enim filii perditiſſimi, qui *à ſimulacris converſi fuerant ad Deum*, ſeſe *avertiſſent retrorſum*, atque ad ſimulacra denuò reverſi, *irritâſſent ſculptilibus ſuis Sanctum Iſraëlis*, & *vanitatibus ſuis* provocâſſent: reliquit eos Deus
Rom. 1. 21. 28. zelotes *vanitati ratiocinationum ſuarum*, & *tradidit in mentem omnis iudicij expertem*, adeoque humanis ſenſibus ita quodammodo exuit, ut (quod de Idololatris
Pſalm. 115. 8. & 135. 18. olim pronuntiavit [o] Pſaltes) ipſis quas ſibi fecerant imaginibus planè ſimiles evaſerint. Omnino enim truncos oportebat eſſe, non homines, qui animum inducere poterant, ut ſiliginei cruſtuli in ipſam Filii Dei ſubſtantiam factam metamorphoſin ſibi perſuaderent; *corruptibilem* creaturam neſcientes diſtingue-
Rom. 1. 23. 25 re ab *incorruptibili* Creatore *qui eſt benedictus in ſecula.*

28 Hujus etiam εἰκονοδουλείας promouendæ occaſio-
p Apoc. 17. 5. ne arreptâ, Pontifices Romanæ urbis (*[p] matris ſcortationum & abominationum terræ*) illud moliti ſunt, ut & Imperatoris authoritatem in Occidente everterent,

rent, & ſuam in Oriente ſtabilirent: αὐτόνομοι τινὲς ὄντες, (ut aliâ in re loquitur Gregorius [q] Nyſſenus) μᾶλλον δὲ [*] ἄνομοι. Quum enim Leo Iſaurus Imperator Imaginibus bellum indixiſſet, Gregorius junior Romanus Epiſcopus (ſi [r] Theophani & aliis aliquot [ſ] hiſtoricis credimus) Romam *cum totâ Italiâ ab illius Imperio recedere fecit. Eidem etiam vectigalia, neſcio quâ authoritate* (inquit [t] Marſilius Patavinus) *ſed bene quâ temeritate, ſolenniter interdixit: Romæq́ congregans Synodum, venerationem imaginum confirmavit: & violatores huiuſmodi anathemate condemnavit.* Conſtantinopoli poſtea contra Photium coacta eſt Synodus, *quam Octavam Univerſalem qui illuc convenerant appellârunt:* in quâ *de imaginibus adorandis* (ita ſcribit Eginaldus, vel quicunque author fuit ad Aimoini [u] Annales adjecti ſupplementi) *aliter quàm Orthodoxi doctores antea definierant, ſtatuerunt; quædam etiam pro favore Romani Pontificis qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos canones, & contra ipſam ſuam Synodum conſtituerunt: ſicut qui eandem Synodum legerit, patenter inveniet.* Demum verò utriuſq; Romæ in εἰκονοδουλείᾳ ſanciendâ conſpiratione factâ, poſt longam de Primatu concertationem, *facti ſunt amici inter ſeſe Pilatus & Herodes:* & [x] illud uſurpari cæptum, ut ambo Epiſcopi, Romanus ſcilicet & Conſtantinopolitanus, Oecumenici & Univerſales appellarentur; hic quidem Univerſalis Patriarcha, ille verò Univerſalis Papa. ſolo Romano Pontifice Papæ nomen, quod antè omnibus commune erat Epiſcopis, retinente. Atque hic fuit litis finis inter hos duos.

29 Sed habuit prætereà Romanus Papa rationes alias, ad fines imperii ſui tam *temporalis* (ut appellant)

[q] *Nyſſen tract. 2. in Pſalm. inſcript. cap. 8.*

[*] τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, tunc revelabitur exlex ille. *2. Theſſ. 2. 8.*

[r] *Hiſtor. miſcell. lib. 21.*

[ſ] *Cedren. Zonar. Sigebert. ad an. 728. vel 729. Abb. Viſperg. ad an. 718*

[t] *Marſil. Patav. in tract. de Tranſlat. Imperij, cap. 5.*

Anno 869.

[u] *Annal. Francor. lib. 5. ca. 28*

[x] *Onuphr. Panvin. annot. in Platin. in vitâ Boniſac. III. Genebrard. lib. 4 Chronograph.*

H quàm

quàm *ſpiritualis* propagandos comparatas: eaſq; partim (quod omnes nôrunt) Francorum regum potentiâ ſubnixas, partim etiam ex quæſtuoſiſſimâ falſorum Chirographorum officinâ depromptas. Nam ad temporale imperium ſtatuendum, per [y] *Iohannem* quendam *Diaconum cognomento Digitorum*, ſuppoſitum eſt Donationis Conſtantinianæ commentum: quo poſſet Orbi perſuaderi, Conſtantinum Magnum Imperatorem, non ſolùm *Romanam urbem*, ſed etiam *omnes Italiæ, ſeu Occidentalium regionum, provincias, loca & civitates* Rom. Pont. Silveſtro, ac ejus ſucceſſoribus perpetuo dono tradidiſſe. (quando enim verecundiæ fines ſemel tranſire ſtatutum erat, bene & naviter oportebat eſſe impudentem.) Ad ſpiritualem verò principatum confirmandum, Veterum Romanorum Epiſcoporum nomine prodierunt ore duriſſimo confictæ Decretales Epiſtolę: quas ex Hiſpaniâ (unde ortus videtur *ipſe doli fabricator Epeus*) Riculſum temporibus Caroli Magni Moguntinum archiepiſcopum *virum erga Sedem Romanam valde devotum* (eo enim nomine à [z] vetere quodam authore commendatum invenimus) in Galliam primum attuliſſe, teſtis eſt, in libro contra Hincmarum Laudunenſem, Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus. Eas verò Epiſtolas ſimul cum Pſeudo-Conſtantini Donatione atq; aliis decretis Eccleſiaſticis in unum volumen compingens, *Iſidori* ementito nomine farraginem illam venditavit planus poſt natos homines nequiſſimus & improbiſſimus. qui poſteris tamen ſic impoſuit, *Ignaris ſcelerum tantorum, artiſq; Pelaſgæ:* ut haud ſciam an in hoc genere quidquam unquam prodierit ſimile, quod plus ad cauſſæ Pontificiæ firmamentum

[y] *Vid. Ottonis III. Donationem Silveſtro II. factam: cum epiſt. Gerberti, edit. Pariſ. an. 1611. pag. 73. & Io. Bodin. de Republ. lib. 1. cap. 9. ex actis Vaticanis.*

Æneid. 2.

[z] *Citat à P. Pithæo, in teſtimonijs quæ Capitulis, ab Anſegiſo & Benedicto collectis, præfixit.*

mamentum

mamentum momenti attulerit.

30 Succeſſerunt deinde *tempora, quibus* (ſi [a] Sigonium audimus) *nulla alia tetriora, ac fœdiora fuiſſe, vel principum nequitiâ, vel populorum inſaniâ in totâ antiquitate reperiuntur*. De quibus etiam [b] Wernerus Laërius homo Carthuſianus: *O tempus peſſimum, in quo defecit ſanctus, & diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.* Item: *Charitas refriguit valde circa hæc tempora in omni ſtatu, & iniquitas plus ſolito cœpit abundare. Iam enim gladius & hæreſes ex magnâ parte ceſſârunt: ſed ambitio, & avaritia (& cætera vitia) fræna laxantes, ampliùs quàm illæ hæreſium perſecutiones Chriſtianam fidem perſequebantur.* ut locum hîc illa habere poſſet querela, quam de ſuis temporibus poſtea [c] Bernardus uſurpavit. *Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit:* * *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara priùs in nece martyrum; amarior pòſt in conflictu hæreticorum; amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt, ita invaluerunt & multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ: & ideo in pace amaritudo eius amariſſima. Sed in quâ pace? Et pax eſt, & non eſt pax: pax à Paganis, pax ab Hæreticis, ſed non profectò à filijs.* Et ſanè nono primùm hoc ſeculo atque decimo *Hæreticorum* factum eſſe *Interregnum*, notavit in ſuo Succeſſionis Hæreticorum Catalogo Gabriel Prateolus. ut non ſine cauſsâ [d] Magdeburgenſes hiſtorici monuiſſe videantur: *fugiſſe hæreticos, atq; in Prælatos ac Monachos Pontificios ſeſe abdidiſſe.* Nam par erat profectò, ut Hæretici, qui tanquam devoti milites Antichriſti copias ſunt antegreſſi, ſummo Imperatore cum ſtativis caſtris proximè accedente, retraherent ſeſe; omneſque minutiores illæ

[a] *Carol. Sigon. initio lib. 6. de regno Italiæ.*

[b] *Werner. Faſcicul. tempor. ætat. 6. circ. an. Chr. 894. & 874.*

[c] *Bernard. in Cantic. ſerm. 33 item, ſerm. ad Clerum in Concilio Rhemenſi.*

* Eſai. 38. 17.

[d] *Centur. 10. cap. 11.*

atque anguſtiores hæreſes, Apoſtaſię (cui hactenus parârant viam) omnia longè lateque jam occupaturę concederent.

31 Sed decimum præcipuè Seculum ejuſmodi fuit, ut eo nullum (vel ipſo [c] Bellarmino judice) *indoctius* aut *infelicius* extiterit: pręcedentibus certè omnibus eo deterius, quo ſolutioni Satanę propinquius. Quare & ejus hiſtoriam explicaturus Baronius, non ſine ampliore pręfatione rem aggrediendam cenſuit. *En* (inquit ille) [f] *incipit annus Redemptoris nongenteſimus, quo & novum inchoatur ſeculum, quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate Ferreum, maliq́ exundantis deformitate Plumbeum, atq́ inopiâ ſcriptorum appellari conſuevit Obſcurum. In cuius limine conſtituti, ob ea quæ pro foribus adeo flagitioſa nuper contigit aſpexiſſe, antequam progrediamur ulteriùs, hîc lectorem monendo, præfari aliquid neceſſarium duximus: ne quid ſcandali puſillus animo patiatur, ſi quando videre contigerit abominationem deſolationis in templo; ſed magis miretur, & cognoſcat in eius cuſtodiâ divinam invigilare potentiam, cùm non ut olim, abominationem tantam ſecuta mox fuerit deſolatio templi.* Verùm quàm longè falſus opinione fuerit Baronius, quantaque abominationem hanc ſecuta fuerit deſolatio, atque ἅλωσις plane Babylonica; deinceps oſtendam, ſi priùs tum ipſius Baronii tum aliorum aliquot ſcriptorum teſtimonia, de decimi hujus ſeculi conditione deploratiſſimâ, propoſuero.

32 Sic verò Baronius, [g] *faciem luridam Romanæ Eccleſiæ* deſcribit: *Quæ tunc facies ſanctæ Eccleſiæ Romanæ? quàm fœdiſſima, cùm Romæ dominarentur potentiſſimæ æquè ac ſordidiſſimæ meretrices? quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, & quod auditu horrendum & infandum*

[c] *Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 12.*

[f] *Baron. tom. 10 Annal. an. 900 §. 1.*

[g] *Ibid. an. 912. §. 8.*

infandum eſt, intruderentur in Sedem Petri earum amaſij pſeudopontifices, qui non ſint niſi ad conſignanda tanta tempora in catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Et paulò pòſt: *Dormiebat tunc planè alto (ut apparet) ſopore Chriſtus in navi, cùm hiſce flantibus validis ventis, navis ipſa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui iſta non videre diſsimulans, ſineret ſic fieri, dum non exurgeret vindex. Et quod deterius videbatur, deerant qui Dominum ſic dormientem clamoribus excitarent diſcipuli, ſtertentibus omnibus. Qualeſnam reris delectos ab hiſce monſtris presbyteros & diaconos Cardinales fuiſſe putandum: cùm nihil tam naturæ inſitum ſit, quàm unumquemq; ſibi ſimilem generare?* Hęc & alia plura Baronius: quę in epiſtolâ ſub finem hujus ſeculi ad Stephanum Romanę Eccleſię Diaconum ſcriptâ, Gerbertus uno verbo complexus eſt: *Romanorum mores mundus perhorreſcit.* [h] Gerbert. epiſt. 40.

33 Succedat Bapt. [i] Platinę cenſura. *Sanctitate* (ait ille) *& doctrinâ, quæ non niſi magnis laboribus conſummataq; virtute comparantur, pontificium decus ſine ullis opibus primo quidem auctum eſt inter tot hoſtes & obſtinatos perſecutores Chriſtiani nominis: mox verò ubi cum ipſis opibus laſcivire cæpit Eccleſia Dei, verſis eius cultoribus à ſeveritate ad laſciviam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo Principe flagitia hominum tum coercente, hæc portenta: à quibus ambitione & largitione ſanctiſsima Petri ſedes occupata eſt potiùs, quàm poſſeſſa.* Platinam quoq; ſecutus [k] Sabellicus: *Mirum eſt quanta omnium bonarum artium oblivio per id tempus mortalium animis obrepſerit, ut ne in Pontificibus quidem, cæterisq; principibus, quicquam eluceſceret, quod vitam iuvare poſſet; non ſalubria inſtituta, non templorum refectiones, non ulla pietatis exempla, non liberalium artium aſſectationes, ſed ſtupor & amentia*

[i] Platin. in Benedicto IV.

[k] Sabellic. Ennead. 9. lib. 1.

quædam, obliuioq́; morum invaſerat hominum animos. Et poſt : *Non poſſum non multum mirari, unde tragica hæc Pontificum fluxerint exempla, quàm dira pietatis oblivio eorum mentes irrepſerit, ut neq́; perſonæ quam ſuſtinebant ratio ab his ulla haberetur, neq́; loci quem tenerent : ut non immeritò aliquis ſuſpicaretur quicquid moderationis fuit & majeſtatis in illis, qui à Caroli cognomento Magni temporibus ad Gallici imperij exitum interfuit (interfuit enim ætas una) ſedem tenuerunt, non tàm ſuâ ſponte, quàm regum, imperatorum, & in quorum tutelâ eſſent metu & reverentiâ, in officio manſerint.* Et alibi : [l] *Mirum dictu eſt, quantum per id tempus degeneratum ſit à veterum Pontificum pietate. Illi ſuo ſanguine pontificium decus auxerunt; hi auctum, cædibus & rapinis prophanârunt : donarijs illi templa ditârunt, hi ſacrilegijs exuerunt : hi malis artibus rem bonam ambire, illi oblatam cunctanter & verecundè adire: ut difficile ſit judicare, plus moderationis & innocentiæ in illis fuerit, an in ijs qui poſtea ſecuti ſunt, impudentiæ & temeritatis. Sed utinam hæc mala una ætas vidiſſet.*

[l] *Id. Ennead. 9. lib. 2.*

§3 Similiter & Genebrardus [m] in Chronographia : *Infelix dicitur hoc ſeculum, exhauſtum hominibus ingenio & doctrinâ claris, ſive etiam claris principibus & pontificibus ; in quo nihil ferè dignum memoriâ poſteritatis geſtum ſit : unde* * *ferunt tunc repertum fuiſſe quoddam monſtrum capite canino, & cæteris membris humanis, quod ſtatum illius temporis mirificè referret. Hoc verò uno infelix* (addit poſtea idem) *quòd per annos ferè* 150. *Pontifices circiter* 50. *à virtute majorum prorſus defecerint, Apotactici Apoſtatici ve potiùs, quàm Apoſtolici.* Eundem in Chronologiâ ſuâ (nondum typis excuſâ) ſecutus Rob. Bellarminus, (niſi quòd mitiùs aliquanto Sanctiſſimos ſuos Dominos tractandos putârit :) *Videa*

hic,

[m] *Genebrard. Chron. lib. 4. in 10. Seculi initio.*

* *Vid. Werner. Faſcic. tempor. ætat 6. circ. an. 910.*

hic, inquit, *Seculum infelix : in quo nulli Scriptores illuſtres, nulla Concilia, Imperatores mali, Pontifices non valde boni.* ubi Pontifices, licèt *non valde bonos*, Imperatoribus quodammodo præfert : cùm [n] Wernerus contrà, monachus Carthuſianus, pronuntiare nihil ſit veritus ; *Sanctitatem Papam dimiſiſſe, & ad Imperatores acceßiſſe hoc tempore ; ſicut clarè* (inquit) *apparet.*

[n] *Werner. Faſcic. temp. ætat. 6. circ. an. 944.*

34 De Clericorum profanis moribus, in elegantiſſimâ illâ Edgari regis ad Anglicanos Epiſcopos oratione, quæ ab [o] Alredo abbate Rhievallenſe literis extat conſignata, complura legimus. *Dicam, dicam,* (inquit ille) *quod boni lugent, mali rident ; dicam dolens, ſi tamen dici poteſt, quomodo diffluant in commeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitijs ; ut jam domus Clericorum putentur proſtibula meretricum, conciliabulum hiſtrionum. Ibi aleæ ; ibi ſaltus & cantus : ibi uſque ad medium noctis protractæ cum clamore & horrore vigiliæ. Sic, ſic, patrimonia regum, eleemoſynas principum, imò quod magis eſt, illius pretioſi ſanguinis pretium profligatis ? Ad hoc igitur exhauſerunt theſauros ſuos patres noſtri ? ad hoc fiſcus regius detractis redditibus detumuit? ad hoc Eccleſijs Chriſti agros & poſſeßiones regalis munificentia contulit ; ut delicijs Clericorum meretrices ornentur, luxurioſa convivia præparentur, canes & aves, ac talia ludicra comparentur? Æmulamini, ô Sacerdotes, æmulamini vias Domini & juſtitias Dei noſtri. Tempus faciendi contra eos, qui dißipaverunt legem Dei. Ego Conſtantini, vos Petri gladium habetis in manibus. Iungamus dexteras, gladium gladio copulemus : ut eijciantur extra caſtra leproſi, ut purgetur ſanctuarium Domini, & miniſtrent in templo filij Levi, qui dixit patri & matri, Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro illos. Agite quæſo ſollicitè, ne pœniteat nos feciſſe quod fecimus,*

[o] *Alred. Rhievall. in Genealogiâ Davidis Regis Scotiæ. MS.*

dediſſe

dediſſe quod dedimus ; ſi viderimus illud non in Dei obſequio, ſed in peſſimorum luxuriâ, impunitâ libertate conſumi.

35 Per idem tempus *monachos in Sacerdotum collegia veniſſe, & mox velut jure ſuo ubique gentium opes immodicas ſibi comparare cœpiſſe*, libro 6. Hiſtoriæ Anglicæ notat Polydorus Virgilius : additque, *eandem divitiarum peſtem ſic reliquos pariter ſacerdotes pervaſiſſe, ut bona pars à priſcâ pietate patrum ad tyrannidem exercendam verſa ſit*. quâ de re ita conqueritur, qui hiſce temporibus vixit, [p] Ælfricus. *His diebus tanta negligentia eſt in Sacerdotibus & Epiſcopis, qui deberent eſſe columnæ Eccleſiæ, ut non attendant divinam Scripturam, nec doceant diſcipulos qui ſibi ſuccedant; ſicut legimus de ſanctis viris, qui multos perfectos diſcipulos ſucceſſores ſibi reliquerunt : ſed honores ſeculares & cupiditates vel avaritiam ſectantes plus quàm laici, mala exempla ſubditis præbentes, non audent de juſtitiâ loqui; quia juſtitiam nec faciunt nec diligunt*. Quid plura ? *Acciderat illi ætati* (inquit [q] Iohannes Stella, ſacerdos Venetus) *quòd omnis virtus, tam in capite quàm in membris, ex hominum ignaviâ conſumpta fuerit*. Hæc erant tempora ; hi mores.

[p] *Aelfric. ſerm. ad Sacerdotes. MS. in Biblioth. Colleg. Benedict. Cantabrig.*

[q] *Io. Stella in vitâ Benedicti 4. Papa 122.*

Cap. III.

De anno ab Incarnatione Domini milleſimo, & rebus maximè memorabilibus ad eum ſpectantibus. ubi de Pontificatu Silveſtri II. & doctorum de ſoluto poſt annum milleſimum Diabolo diverſis ſententijs.

Horat. Carmin. lib. 3. Od. 6.

1. *Damnoſa quid non imminuit dies?*
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Hos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Nam poſtquam actus eſt annus, qui ab ortu Chriſti ſecularis maximus fuit; pariter cum novo Seculo novum

vum quoque Hominum genus exortum, his verbis narrat Wernerus. [r] *Tempus eſſœminatum incepit circa annos Domini* 1000.*in quo fides Chriſtiana valde cœpit deficere & declinare à priſtinâ virilitate; ut patet in prophetiâ ſanctæ Hildegardis. & in multis regionibus Chriſtianitatis, nec ſacramenta, nec Eccleſiaſtici ritus ſervabantur.* erantque *augurijs & maleficijs intendentes: & erat Sacerdos ſicut populus.* Similiter & Glaber Rodulphus (horum temporum author) lib. 2. cap. 6. conqueritur, circa annum milleſimum plus ſolito *friguiſſe charitatem, ac ſuperabundâſſe iniquitatem: ut ille antiquus Leviathan* (ſerpentem illum antiquum, de quo in Apocalypſi Iohannes, intelligit) *fiduciam conceperit, quòd inundatio Iordanis fluvios illaberetur illius; ut videlicet baptizatorum multitudo per avaritiæ appetitum viam veritatis deſerens, demergeretur in interitum.* & in libri tertij initio: *Anno milleſimo imminente, privatus eſt penè orbis univerſus, perſoniſq; religioſiſq; nobilibus.* Extat de omnium ordinum corruptiſſimo ſtatu, circa hujus ſeculi initia, à Lupo epiſcopo ad Anglos habita [ſ] oratio: in quâ adventum Antichriſti & finem ſeculi (de quo ſtatim plura) inſtare docuit. Extat & Guilielmi archiepiſcopi Tyrenſis graviſſima querimonia: cujus partem aliquam ex Belli ſacri lib. 1. cap. 8. non pigebit ſubijcere.

[r] *Werner. in Faſcic. tempor.*

[ſ] *Angloſaxonic. MS. in Bibliothecâ Cottonianâ. Vid. Hiſtor. archiepiſc. Cantuar. D. Matthæo Parkero procurante, à Ioh. Ioſſelino collectam: edit. Hanov. ann.* 1605. *titul. Antiquitat. Britannic. pag.* 89.

2 *In Occidente & in omni penè orbe terrarum, maximè inter eos qui fideles dicebantur, fides defecerat, & Domini timor erat de medio ſublatus: perierat de rebus juſtitia; & æquitate ſubactâ, violentia dominabatur in populis. Fraus, dolus & circumventio latè involverant univerſa. Virtus omnis locum dederat, & ceſſerat quaſi inutilis, malitiâ ſubintrante. Videbatur ſanè mundus declinâſſe ad veſperam, &*

*Filij hominis adventus ſecundus fore vicinior. Nam multorum refrixerat charitas, & fides non inveniebatur ſuper terram. Confuſis ordinibus cuncta ferebantur; & in chaos priſtinum mundus videbatur redire velle. --- Fornicationum genus quodlibet, quaſi res licita, paſſim & ſine rubore exercebatur impunè. Sed nec inter affines aut propinquos, tuta erant matrimoniorum fœdera. Amica cœleſtibus & Deo placens, quaſi res vilis, juſſa migrare erat continentia. Nec parſimoniæ aut ſobrietati locus erat, ubi luxus, & ebrietas, & pernox alea præoccupaverant aditus, atq; atria poſſidebant. Nec clerus à populo vitâ nobiliore differebat; ſed ſicut in Prophetâ legitur: * Sicut populus, ita & Sacerdos. Nam Epiſcopi, negligentes facti erant: canes muti, non valentes latrare,* &c. *Quid plura? ut in ſummâ dicatur: Omne in præcipiti vitium ſtetit; & omnis caro corruperat viam ſuam. Nec pronos ad malum revocare poterant Domini comminantis in cœlo ſurſum oſtenta, nec ſigna in terrâ deorſum. Erant enim peſtilentiæ & fames, terroreſq; de cœlo, & terræmotus magni per loca: & cætera quæ Dominus in Evangelio diligenter enumerat. Sed obſtinati in operibus mortuis, quaſi ſus in volutabro, & quaſi jumenta putreſcebant in ſtercore ſuo, piâ Domini longanimitate abutentes: quaſi quibus à Domino diceretur: Percuſſi eos, & non doluerunt; curavi eos, & non ſunt ſanati.*

Hoſe. 4. 9.

* Non eſt jam dicere, ut populus, ſic Sacerdos: quia nec ſic populus ut Sacerdos. *Bern. in conv. S. Pauli ſerm. 1.*

Matth. 24. 7.

Ierem. 5. 3.

3 Et iſta ſanè univerſa ab authore hoc commemorata, oſtenta cœleſtia, peſtem, famem, terræmotus, circa annum tam à Nativitate quàm à Paſſione Domini milleſimum contigiſſe teſtantur hiſtorici. Refert [t] Sigonius; *annum humanæ ſalutis milleſimum multis prodigijs, ac cœleſtibus territamentis fuiſſe inſignem.* Et Hector Boëthius: [u] *Milleſimo,* inquit, *originis Chriſtianæ anno varia prodigia eveniſſe ferunt. Lapidibus in Albione*

[t] *Sigon. de regno Italiæ, lib. 7.*

[u] *Hect. Boeth. Hiſtor. Scotor. lib. 11.*

bione & in Galliâ pluiſſe: mare infinitam propè piſcium multitudinem reliquiſſe in Buthquhaniæ littore, quibus morientibus teter peſtilenſq́ odor omnem cæli tractum in mortalium perniciem multâ tabe infecit. Lunam non ſine ingenti ſpectantium terrore ſanguinolentam viſam: frugeſq́ ſecutâ æſtate cum multis animantibus à ſideris ardore, longaq́ cæli intemperie in toto penè Scotorum regno ſunt abſumptæ. Annum etiam primum ſupra milleſimum, notat [x] Hepidanus Sangallenſis cœnobita, fuiſſe *notabilem ſiccitate aëris nimiâ; multis pecoribus, multis quoq́ mortalibus ſiti extinctis. Tantum enim ſiccata eſſe cuncta Europæ flumina, ut penè nullum non eſſet vadoſum.* Eandemque, ut videtur, calamitatem deſcribens [y] Rupertus Abbas Tuitienſis: *Subſecuta,* inquit, *poſtmodùm ſiccitas, peccata populorum vehementer arguebat: ut ferè omnis herba præmortua, omnis ager exuſtus, non qualemcunq́ famem, ſed famem mortiferam iam iamq́ minaretur. Deniq́ cum ſiccitate peſtilentia quoq́ ſæviebat; multiq́ moriebantur, multi adhuc ægra vix trahebant corpora.* [z] Sabellicus: *Inaudita fames Italiam biennio confecit, cometes viſus in cælo prodigioſâ magnitudine & formâ, terraq́ horrendè mota eſt, multæq́ urbes eo motu concuſſæ.* [a] Wernerus: *Luna in ſanguinem verſa apparuit. & terræmotus magnus. Facula ardens & fulgur inſtar turris cecidit cum maximo ſplendore. Sequitur fames valida. In Lotharingiâ fonticulus aquæ in ſanguinem verſus eſt. & multa ſigna circa hæc tempora contigerunt. Mortalitas fuit maxima penè per totum orbem, ut ſepelientium tædio adhuc vivi ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Siccitas magna & ardor ſequitur.* Glaber Rodulphus: [b] *Facta eſt fames prævalida quinquennio in univerſo Romano orbe, ſic quidem ut nulla audiretur non inops regio, & indigens pane; multiq́*

[x] *Hepidan. in rerum Alanānicarum Annalib.* à Goldaſto edit.

[y] *Rupert. in vita Hereberti Colon. Archiep. cap. 11. (tomo 2. Surij, Mart. 16.)*

[z] Sabellic. Ennead. 9. lib. 2.

[a] *Werner. Faſcic. temp. ætat.* 6.

[b] Glab. Rodulph. lib. 2. cap. 9.

exhauſti inediâ de populo perierunt. tunc etiam per plura loca terrarum, non ſolum immundorum animalium & reptilium, verum etiam virorum ac mulierum, infantiumq́ue carnes compulit fames horrida ſumere in cibum, nullâ vel parentum obſtante neceſſitudine. nam eouſq́ue devenerat huius ſævitia famis, ut iam adulti filij conſumerent matres; ipſæq́ue in parvulos, remotâ pietate maternâ, idem exercerent.

[c] *Idem, in fine lib. 3.*

[c] *Hic gladius, peſtiſq́ue, fames, populantur ubiq́ue,*
Nec tamen impietas hominum correcta pepercit.
Ac niſi magna Dei pietas protenderet iram,
Infernus hos terricrepo conſumeret ore.

4 Neque illud quidem prætermittendum, quod lib. 2. cap. 8. idem narrat historicus. *Menſe Decembrio veſpere ſabbati ante diem Dominicæ nativitatis apparuit in aëre portentum mirabile, ſpecies videlicet ſeu moles ipſa immenſi draconis à Septentrionali plagâ egrediens cum nimiâ coruſcatione petebat Auſtrum. Quod prodigium penè homines univerſos qui videre infra Gallias, terruit.* Cum quo conjungendum, quod anno milleſimo Dionyſiano contigiſſe refert [d] Sigebertus Gemblacenſis: & poſt eum [e] Guilielmus Nangiacus, [f] Vincentius Bellouacenſis, [g] Antoninus Florentinus Archiepiſcopus & [h] Iohannes Nauclerus. *Anno Ieſu Chriſti milleſimo, ſecundùm ſupputationem Dionyſij, multa prodigia viſa ſunt. Terræ motus factus eſt permaximus. Cometes apparuit XIX. Kalend. Ianuarij, circa horam nonam, aperto cælo, quaſi facula ardens cum longo tractu, fulguris inſtar, illabitur terris, tanto ſplendore, ut non modò qui in agris erant, ſed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur. Quâ cæli ſciſſurâ ſenſim evaneſcente, interim viſa eſt figura quaſi ſerpentis, capite quidem creſcente, cum cæruleis pedibus.* An iſto oſtento ad Apocalypticæ prophetiæ complementum

[d] *Sigebert. Chronic. ad an. 1000.*
[e] *Guil. Nangiac. Chronic. Ms. an. 1000.*
[f] *Vincent. Specul. Hiſtorial. lib. 24. cap. 107.*
[g] *Antonin. Chronic. tit. 16. cap. 3. §. 4.*
[h] *Naucler. Chronograph. generat. 34.*

complementum digitum intendere, & ad conſiderationem reſignationis abyſſi, contemplationemque ſolutionis antiqui ſerpentis, in mundo potenter deinde graſſaturi, hominum mentes excitare Deus voluit? Aperto enim cœlo, illapsâ in terras inuſitati ſplendoris formâ igneâ, immenſi ſerpentis ſpecie ſuccedente: cui non ſtatim obverſetur ante oculos illud Apocalypſeos? [i] *Vidi ſtellam è cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clavis putei abyſſi: & aperuit puteum abyſſi,* &c.

[i] Apocal. 9. 1. cum 20. 2. 3.

5 Certè hiſce ipſis temporibus revelationem Antichriſti (quem [k] Gregorius *gladium, ſagittam Diaboli* [l] alius non inſcitè appellat) *promulgatam in Galliꝭs, prædicatam Pariſiꝭs, vulgatam per orbem, creditam à compluribus*; in undecimi Annalis initio affirmat [m] Baronius. idque Abbonis Floriacenſis teſtimonio confirmat, qui in Apologetico ad Hugonem atque Robertum Francorum Reges, ita ſcripſit. *De fine mundi coram populo ſermonem in Eccleſiâ Pariſiorum adoleſcentulus audivi, quòd ſtatim, finito mille annorum numero, Antichriſtus adveniret, & non longo pòſt tempore univerſale Iudicium ſuccederet.* Neque nova fuit hæc opinio, & nunc primùm nata: ſed ab Hippolyti, Cyrilli & Chryſoſtomi ducta temporibus. ſiquidem illi anno ſexies milleſimo & quingenteſimo Dominum venturum ad Iudicium exiſtimârunt: quemadmodum in *Rerum Eccleſiaſticarum Theoriâ* innuit Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha. Nam ab Adamo ad Chriſtum annos 5500. ſtatuunt [n] Græci: eamque ſupputationem ſequuntur Chriſtiani [o] Arabes, [p] Maronitæ, & pleraque omnis Eccleſia Orientis; atque adeò Æthiopes, qui in editione novi Teſtamenti an-

[k] Greg. Moral. in Iob. lib. 34. cap. 8. & 9.
[l] Origen. homil. 3. in Pſalm. 36
[m] Baron. an. 1001 § 1. & 4
[n] Paul. Middelburgenſ. Paulin. lib. 4. Anaſtaſ. Sinaita, in Hexam. lib. 7. Euthym. Panopl. tit. 23. ſect. 4. Suidas in Adam. &c.
[o] Arcb. Commentar. in 10. cap. Geneſ. quē MS. habeo.
[p] Scalig. lib. 3. Canon. Iſagog. cap. 1. & in notis ad Computum Æthiopicum; lib. 7. de emendat. temp.

no 1548. ita notant. *In recto computo, quemadmodum computant omnes Chriſtiani: A creatione mundi, uſq; ad Chriſtum, quinquaginta quinq; centenarij annorum.* Cùm verò ex Apocalypſi didiciſſent, completo mille annorum numero (quos ferè à tempore Dominicæ vel nativitatis, ut diximus, vel paſſionis deducebant) ſolvendum fuiſſe Satanam; atque cum ſolutione Satanę regnum Antichriſti, cum regno Antichriſti Mundi interitum conjunctum fore augurarentur: inde factum eſt ut alii Antichriſti adventum & Mundi finem retulerint ad annum à nato Chriſto milleſimum (quem ab Orbe condito 6500. numerant Gręci) *alij* [q] annos *mille ab aſcenſione Domini uſq; ad eius ultimum adventum compleri poſſe dixerint.*

[q] *Auguſtin. lib. 18. de civit. Dei cap. 53.*

6 Verùm ubi homines nullum hujuſmodi comparere cernerent Antichriſtum, qualem ipſi apud animos informârant ſuos: [r] *viderentq; iam lapſo tempore evanuiſſe quæ de mundi interitu fuerant conſtanti aſſertione prædicta, & paſſim credita: quaſi tanto diſcrimine liberati,* [s] *in univerſo penè terrarum orbe (præcipuè tamen in Italiâ, & in Gallijs) Eccleſiarum baſilicas innovârunt.* De quibus illud [t] Hilarii aptè congruenterque uſurpare poſſumus. *Cavete Antichriſtum. Malè enim vos parietum amor cæpit, malè Eccleſiam Dei in tectis ædificijſq; veneramini: malè ſub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum eſt, in his Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi & ſylvæ, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores.* Sed ignorabant miſeri paratum à ſe locum *illi perditionis filio,* quem *in templo Dei ſeſſurum* prædixerat [u] Apoſtolus: omnemque de Antichriſto cogitationem, ſimul cum eâ quæ de fine mundi injecta fuerat ſuſpicione, deponebant. Unde anno decimo octavo ſupra milleſimum

[r] *Baron. Annal. tom. 11. an. 1003. §. 12.*

[s] *Glaber. Rodulph. hiſtor. lib. 3. cap. 4.*

[t] *Hilar. in lib. contra Auxentium Arrianũ.*

[u] 2. Theſſ. 2. 4.

milleſimum, quum in partibus Borealibus Luitici, Obotriti & Wari, factâ apoſtaſiâ, [x] *cervicem ſuam ſuavi iugo Chriſti excuſſam oneroſo Diabolicæ dominationis ponderi ſuâ ſponte ſubdidiſſent*; & Eccleſiis omnibus deſtructis, ethnicorum idolorum cultum reduxiſſent: Ditmarus, Epiſcopus Merſepurgius, nequis illam de propinquo judicii die opinionem denuò conciperet, iſtâ ratione perſuadere conatus eſt. *Nullius fidelis cor ob hanc infelicitatẽ in aliquã deſperationẽ veniat, vel diem iudicij appropinquare dicat: quia, ſecundũ veridici admonitionẽ Pauli, ante diſſentionẽ & Antichriſti execrabilẽ adventũ non debet è talibus aliquis oriri ſermo, nec inter Chriſticolas ſubita venire commotio.* Et Richardus Victorinus (ille, *quem omnium expreſsè primum Chriſtiferam virginem originalis noxæ expertem tenuiſſe* refert ejuſdem popularis [y] Iohannes Major) in [z] commentariis ad caput 20. Apocalypſeos: *Quantum*, inquit, *ad literam ſpectat, iſte annorum millenarius iampridem eſt completus: ſed quando Antichriſtus veniat, & Satanas ſolvatur, ignoramus.*

[x] *Ditmarus, Chronic. lib. 7.*

[y] *Ioh. Major Scotus lib. 3. de geſtis Scotorum cap. 12.*

[z] *Richard. S. Victoris, in Apocalypſ. lib. 6. cap. 7.*

7 At eam ego *ignorantiam* non magis mirari ſoleo; quàm ſi miſerum Iudæum audirem eundem loquentem in modum. *Quantum ad literam ſpectat, ſeptuaginta annorum ſeptimanæ* Danielis 9. *à Deo præfinitæ iamdudum ſunt completæ: ſed quando Meſſias veniat, & regnum reſtituendum ſit Iſraëli, ignoramus.* Certè enim ut Iudæi Chriſtum quærebant, quum *in medio eorum* jam *ſtaret*, & adhuc venturum expectant avidiſſimè: ita qui *magnæ illi* adhærent meretrici, & *vino ſcortationis eius facti ſunt ebrij*, velut cæci palpantes in tenebris, ligna in ſylvis & Babylonem in mediâ Babylone non reperiunt. Indeque eſt quòd Tho. Stapletonus, Apoc. 17. 1. 2.

Stapletonus, cùm poſt mille annos Satanam ſolutum fuiſſe agnoſceret, eum tamen in Berengarii diſcipulis, & Waldenſibus, atq; ubivis potiùs quàm in Lernâ Pontificiâ, ubi vel maximè fuerat quęrendus, perveſtiget. *Vndecimo* ([a] inquit) *ſeculo, ut verè iam poſt mille annos ſolutus Satanas videri queat (ut Iohannes prædixit Apocal.* 20.) *nempe ut ex hâc parte myſterium iniquitatis operoſius operaretur, & plenius conficeret; multa & varia hæreticorum turba exorta eſt.*

[a] *Stapleton. orat. Academic.* 28.

8 In literis ad Alexandrum III. Pontificem (quas ex Vaticanâ Bibliothecâ edidit [b] Baronius) ante annos 440. ita ſcripſit legatus ejus Guilielmus Senonenſis Archiepiſcopus. *Audiat, ſanctiſſime Pater, excellentia veſtra patienter quod loquimur; quia in amaritudine moratur anima noſtra, & tam devotus filius veſter Chriſtianiſſimus Rex Francorum, quàm tota Gallicana Eccleſia turbatur à ſcandalis, quæ in diebus Apoſtolatus veſtri manant ab Apoſtolicâ Sede. Siquidem (ut noſtrates aiunt)* IBI SOLVITVR SATANAS IN PERNICIEM TOTIUS ECCLESIAE, *iteratò crucifigitur Chriſtus, & qui manifeſtus ſacrilegus eſt & homicida dimittitur.* Et Stephanus Tornacenſis, ad Iohannem Pictavienſem epiſcopum, * epiſt. 86. *Neſcio, Pater, an completi ſint illi mille anni quibus ſolvendus erat Satanas: eius Satellites ita ſolutos videmus, ut ligare incipiant ſervos Dei.*

[b] *Baron. Annal. tom.* 12. *an.* 1170. §. 9.

* *edit. cum epiſt. Gerberti, Pariſ. an.* 1611. *pag.* 581.

9 Nec defuerunt ſervi Chriſti, qui ſcorti Babylonici conſuetudinem deteſtati, & à nefariis corruptelis ejus animo fuerunt averſiſſimo, & poſt annum milleſimum ſolutum fuiſſe in Papatu Satanam clarè profeſſi ſunt: quemadmodum tum ipſorum tum adverſariorum qui ſuperſunt Commentarii fidem faciunt. Ex Adverſariis Iohannes Tiſſingtonus monachus

chus Franciſcanus in Confeſſione, circa an. Dom. 1380. à ſe editâ, ita ſcriptum reliquit. *Hæretica ſententia quæ à ſomnijs Berengarij excitatur* (ſecundùm viam illam, quam iſte fraterculus hęreſim appellat, ita nos ſervimus Deo Patrum noſtrorum:) *omnes Doctores & Eccleſiæ Patres ſecundi Millenarij (nunc modo loquendi eorum utamur) id eſt, qui fuerunt infra trecentos & octoginta annos, apertè affirmat fuiſſe poſt ſolutionem Satanæ; proferens ex teſtimonio Apocalypſis, ſolutum fuiſſe Satanam poſt annos Domini mille: doctrinamq́ quam communiter tenemus eſſe fidem Eccleſiæ de benedictâ Euchariſtiâ, aſtruit non eſſe rectam, ſed errorem, imò hæreſim ac lolium & zizania Satanæ iam ſoluti.* Similiter etiam de Iohanne Wiccliffio, Tiſſingtonum ſecutus, in [c] Faſciculo zizaniorum Thomas Waldenſis. *Refutavit omnes doctores de ſecundo Millenario in materiâ de ſacramento altaris; & dixit omnes illos errâſſe, præter Berengarium, & ipſum & ſuos complices: dixitq́ palàm Satanam ſolutum, & poteſtatem habere in Magiſtro Sententiarum, & in omnibus qui fidem Catholicam prædicaverunt.* Inter Wiccliffii quoque articulos [d] a Pontificiis condemnatos recenſetur iſte, ex 3. *de Sermone Domini* libro deſumptus: *A principio millenarij Diaboli uſq́ hodie regnavit hæreſis de hoſtiâ conſecratâ: ut legenti epiſtolas Decretales patet cum ſuis gloſſatoribus & ſectis pertinaciter conſentientibus huic hæreſi, poſtquam Diabolus ipſam introduxit.*

[c] *Wald. faſcic zizan. quem MS. habeo.*

[d] *In Faſciculo zizaniorum Thomæ Waldeni: & Faſciculo rerum expetendarum & fugiendar. Orthuini Gratij. & Thomæ Otterbourne Chronic. reg. Angliæ, ad an.* 1385.

10 Et hujuſmodi ſanè pronuntiata paſſim in Wiccliffii operibus occurrunt. Sic enim ille in Trialogo, lib. 3. cap. 7. *Nec memini* (inquit) *aliquos de ſanctis doctoribus ante tempus, quo diabolus eſt ſolutus, ſic loqui de gratiâ: ſed error euchariſtiæ poſt ſolutionem Satanæ,*

plures in hæreſes alias captivavit. Ad tantum enim balbutiunt iſti groſſi Simoniaci, quòd putant emi vel vendi gratiam, ſicut bos vel aſinus poſſet emi. Et ſic mercantur cum emptione veniæ & deletione peccati, cùm diabolus utitur errore ſcholaſtico, ad hæreſes in moribus inducendas. & cap. 31. *Ideò ut ſcriptura ſacra ſit magis appretiata & laudata, quæcunq́; veritas quam viator ſenſu non percipit, debet ex hâc fide ſcripturæ eſſe deducta, ſaltem ſi requiritur à fidelibus eſſe credenda. Et tunc ſcriptura ſacra foret in reverentiâ, & bullæ papales (ſicut debent) forent poſtpoſitæ, & tam leges Papales, quàm doctorum novorum ſententiæ quæ ſunt poſt ſolutionem Satanæ promulgatæ, forent in ſuis limitibus veneratæ. Quid rogo fideli & ſcriptis huiuſmodi quibuſcunq́; niſi de quanto ex fonte Scripturæ fideliter ſunt exhauſtæ?* Item in Tractatu contra ordines Fratrum, cap. 16. *Deus bone, quid moveret Chriſtum, omnipotentem, intelligentiſſimum & benevolentiſſimum, ut fidem hanc Fratrum per mille annos occultaret, & nunquam doceret Apoſtolos ſuos & tot Sanctos rectam fidem; ſed iſtos Hypocritas primùm doceret, qui nunquam venerunt in Eccleſiam, donec impurus ſpiritus Satanas ſolutus eſt.* Et in tractatu de Blaſphemiâ, veram de Sacramento Euchariſtiæ doctrinam per *mille* annos in Eccleſiâ retentam eſſe ait, *ad ſolutionem uſq́; Satanæ.*

11 Similiter & Guilielmus White (quem Thomas Waldenſis cognomento *Album* appellat) circa annum Domini 1428. ſcripſit ac docuit; quòd [e] *legem nubendi à Chriſto liberè cuilibet* * *trium ſtatuum militantis Eccleſiæ ordinatam, Papa, qui eſt Antichriſtus, cum ſuis conſiliariis, qui ſunt clerici Luciferi, in deſtructionem Sacerdotij in Angliâ infirmavit poſt ſolutionem Satanæ, id eſt, milleſimum annum Chriſti.* Et Anonymus author, qui

[e] *Ex actis Examinat. Guilielmi White, coram Guil. Norwicenſis epiſc. an. 1428. à Iohanne Exceſtre notario publico conſignatis (quæ MS. habeo.) & Thom. Walden. volum. 3. de Sacramentalib. cap. 66.*

* putà clericis, militibus & cultorib. ſeu mechanicis. *Walden.*

qui ſub 15. ſeculi initia, pro tranſlatione Scripturarum Anglicanâ ſcripſit apologiam : *Iam Satanas*, inquit, *ſecundùm Prophetarum vaticinia, plus quadringentis annis ſolutus eſt : ut quomodo olim clerum legis veteris, ita nunc, ſed multo maiore cum malitiâ, noſtrum clerum incoleret. Nam ut illi damnaverunt Chriſtum ; ita iam Epiſcopi noſtri legem Dei, quòd in linguam noſtram vernaculam traducta ſit, damnant & incendunt.* Denique poſt hos omnes Martinus Lutherus, in Supputatione annorum mundi, ad Milleſimum Salutis annum, ita annotat. *Finito iſto Millenario ſolvitur nunc Satan, & fit Epiſcopus Romanus Antichriſtus, etiam vi gladij.*

12 Nec illud etiam contemnendum eſt ſoluti Satanæ argumentum, à Glabro Rodulpho obſervatum: quòd Diabolus religionem Ethnicam (per quam olim Mundum triumphaverat) ipſo ſtatim anno *milleſimo* denuò introducere conatus eſt. quâ in re Vilgardi cujuſdam operâ, qui Ravennæ artem Grammaticam profeſſus eſt, uſum fuiſſe narrat Glaber: [f] *Is enim cùm ex ſcientiâ ſuæ artis cæpiſſet inflatus ſuperbiâ ſtultior apparere, quâdam nocte aſſumpſere dæmones poetarum ſpecies, Virgilij & Horatij atq; Iuvenalis : apparentesq; illi, fallaces retulerunt grates, quoniam ſuorum dicta voluminum chariùs amplectens, exerceret; ſeq; illorum poſteritatis felicem eſſe præconem : promiſerunt ei inſuper ſuæ gloriæ poſtmodum fore participem. hisq; dæmonum fallacijs depravatus, cæpit multa turgidè docere fidei ſacræ contraria : dictaq; poetarum per omnia credenda eſſe aſſerebat. Ad ultimum verò hæreticus eſt repertus, atque à Pontifice ipſius urbis Petro damnatus. Plures etiam per Italiam tempore huius peſtiferi dogmatis reperti, quique ipſi aut gladijs, aut incendijs perierunt. Ex Sardiniâ quoque inſulâ, quæ*

[f] Glab. Rodulph hiſtor. lib. 2. cap. 12.

his plurimùm abundare ſolet, ipſo tempore aliqui egreſſi, partem populi in Hiſpaniâ corrumpentes, & ipſi à viris Catholicis exterminati ſunt. Quod præſagium Iohannis prophetiæ congruit: quia dixit, Satanam ſolvendum, expletis mille annis. Ita Glaber.

13 Sed hâc non ſucceſſit, aliâ Chriſtianos inimicus adortus eſt viâ; nempe illi *perditionis filio*, ſuam præbendo operam, cujus adventum futurum [g] *ex efficaciâ Satanæ, cum omni potentiâ, & ſignis, ac prodigÿs mendacibus* Spiritus Sanctus prædixerat. Quâ de re in congreſſu cum F. Iohanne Bruſierdo ſub initia renaſcentis Evangelii non malè pronuntiavit Thomas Bilnæus. [h] *Hæc mirabilia, quæ miracula vocant, indies in eccleſiâ operata, virtute divinâ (uti putant) non fiunt: ſed illuſione potiùs Diaboli, qui (ſacrâ paginâ atteſtante) quingentis iam annis peractis ſolutus eſt; iuxta id quod ſcribitur in Apoc. Poſt mille annos ſolvetur Satanas.* Nec aliunde profecta ſunt vel falſa miracula, ad ſanctorum edita reliquias (quarum multas, [i] *candidato, ut diximus, in novatis eccleſiarum baſilicis univerſo mundo,* revelatas ferunt, anno octavo poſt milleſimum:) vel revelationum præſtigiæ, quibus anniverſaria illa, ad animas defunctorum apud inferos laborantium ſublevandas inſtituta, parentalia in Orbem Chriſtianum ſunt inducta. Nam tempore Roberti Francorum Regis, ut habet [k] Ranulphus monachus Ceſtrenſis, atque anno (ut quidem notat [l] Henricus Marleburgenſis) milleſimo: *venit quidam religioſus peregrinus de Hieroſolymis in Siciliam, didicitq́ à quodam incluſo, quòd in Ollâ Vulcani* (illâ videlicet [m] Gregorii Dialogiſtæ gehennâ) *flammas evomente, animæ defunctorum pro diverſitate delictorum torquebantur: quarum voces & ſtridores crebrò*

[g] 2. Theſſ. 2. 9.

[h] *Ex ſcripto ipſius Bruſierdi.*

[i] *Glab. Rodulph. li. 3. ca. 6.*

[k] *Ranulph. Higden. in Polychronic. lib. 6. cap. 15.*

[l] *Henr. Marleb. in Excerptis Chronic. MS. in bibliothecâ V. C. Guil. Camdeni. Vid. Io. Trithem. Chronic. Hirſaug. an. 1008.*

[m] *Greg. Dialog. lib. 4. cap. 30.*

crebrò ſe audiſſe teſtabatur.

14 *Sunt,*[n] *inquit, vicina nobis loca, ex quibus graviſſima flammarum furentium evomuntur incendia: in quibus etiam locis animæ reproborum diverſa luunt pro meritorum qualitate tormenta. Ad quorum ſemper exaggeranda ſupplicia innumerabiles ſunt dæmones deputati: qui intolerabiles eorum pœnas quotidie renovant, & eos ad rediviva ſupplicia indeſinenter inſtaurant. Quos tamen ego frequenter audivi querulis lamentationibus eiulantes, & lachrymabili vociferatione deflentes, quòd orationibus & eleemoſynis quorundam, adverſus eos infœderabiliter concertantium, frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum. Inter cætera de Cluniacenſium cœtu permaximam & eorum abbate querimoniam faciunt, quia quàm ſæpè per eos ſui iuris vernaculos perdunt.* Hoc cùm audiſſet Odilo Cluniacenſis abbas, ille *Monachorum Archangelus* (ita enim appellat [o] Fulbertus Carnotenſis:) [p] *conſtituit, ut in proximâ feriâ poſt feſtum Omnium Sanctorum, haberetur memoria pro defunctis: qui ritus poſtmodum tranſijt in Orbem terrarum.* Videmus nempe, & quanto jam cum ſucceſſu in *Orbe terrarum* ſeducendo verſatus fuerit Satanas; & quàm verum illud, quod hiſce temporibus ſcripſit Ditmarus epiſcopus Merſeburgius. [q] *Sæpè contigit, quòd in imagine mortuorum callidus homini apparet inimicus, hunc tentans modis deludere varijs: & ſtulti quique ſic eſſe autumant.*

15 Nos verò miſſis iſtis [r] *vel figmentis mendacium hominum, vel portentis fallacium ſpirituum*; ad Pontificem accedimus, qui anno à Nativitate Domini milleſimo Romanam ſedem occupavit. Fuit is Silveſter II. qui Diabolum è cuſtodiâ, in quam à Chriſto datus fuerat, eduxit, ut mundum denuo ſeduceret:

[n] *Petrus Damiani, in Vitâ Odilonis. tom. 1. Surij, Januar. 1.*

[o] *Fulbert. epiſt. 66.*

[p] *Ranulph. in Polychr. Henr. Malleburg. Ms.*

[q] *Ditmar. Chron. lib. 7.*

[r] *Auguſtin. de unit. Eccleſ. cap. 16.*

quemadmodum in libro [f] *De ſolutione Satanæ* affirmat Ioh. Wiccliffius. Quò etiam Benno Cardinalis (qui ab iſtis temporibus proximè abfuit) reſpexiſſe videtur, ita ſcribens. [t] *Gerbertus paulo poſt completum millenarium aſcendens de abyſſo permiſſionis divinæ, quatuor annis ſedit, mutato nomine dictus Silveſter ſecundus. Et per quæ multos decepit, per eadem Dæmonum reſponſa deceptus, morte improviſâ, Dei iudicio, eſt interceptus.* Nec obſervatu certè eſt indignum; quòd cùm mille fatalium annorum initium, vel ad Incarnationem vel ad Paſſionem & Aſcenſionem Dominicam, vel denique ad excidium Hieroſolymitanum & politiæ Iudaicæ everſionem rejiciendum eſſe dixerimus: quomodocunq; caput illius epochæ conſtitueris, finis ejus Satanæq; ſolutionis principium, trium Pontificum quos cum Satanâ pactionem feciſſe & magicas artes exercuiſſe prodit Benno, initia proximè attingere deprehendatur.

[f] *à Ioh. Balæo citat. in Imagine utriuſque Eccleſiæ, ad cap. 20. Apocalypſ.*

[t] *Benno in vitâ Hildebrandi.*

16 Et de *Silveſtro* quidem non Benno ſolus, ſed magna cum eo hiſtoricorum turba, id ipſum confirmat. ex quibus B. Platina, in ejus Vitâ: *Gerebertus ambitione & diabolicâ dominandi cupiditate impulſus, largitione primò quidem archiepiſcopatum Rhemenſem, inde Ravennatem adeptus, Pontificatum poſtremò, maiore conatu adiuvante Diabolo, conſecutus eſt; hâc tamen lege, ut poſt mortem totus illius eſſet, cuius fraudibus tantam dignitatem adeptus erat.* Nicolaus Lyranus in morali gloſsâ ad 14. caput, 2. libri Maccabæorum: *Per Alchimum,* inquit, *qui Demetrio coronam auream, & palmam obtulit, ut per hoc ſummum ſacerdotium obtineret, ſignificatur ambitioſus in tantum quòd facit Diabolo ſacrificium, ut per hoc promoveatur ad dignitatem: ſicut refert Guillermus in*

Chronica

Chronicâ de quodam nomine Gebertus, qui per hoc aſcendit ad archiepiſcopatum Remenſem, & poſteà ad Ravennenſem, & poſt ad ſtatum papalem. Vnde factus fuit talis verſus:

Scandit ab R, Gebertus ad R, poſt Papa manens R.

& per triplicem R ſignificatur, Remis, Ravenna, & Roma. Quo etiam referendum, quod apud Æneam Sylvium, in commentariorum de geſtis Baſileenſis Concilij libro primo legimus. *Nec nos fugit Marcellinum iuſſu Cæſareo idolis thurificâſſe: alium verò, quod maius & horribilius eſt, diabolicâ fraude Romanum pontificatum aſcendiſſe.*

17 Romæ quoque in templo S. Crucis in Hieruſalem, ad dextram ingredientibus baſilicam ſubterraneam S. Helenæ, hujuſmodi viſitur Inſcriptio; à Bernardino Carvaialo Cardinale poſita. [u] *Anno Domini MIII. tempore Ottonis III. Silveſter Papa II. qui fuerat antea eiuſdem Ottonis præceptor, non ſatis ritè forſan Pontificatum adeptus, à* SPIRITU *præmonitus, quâ die Hieruſalem accederet, ſe fore moriturum; neſciens fortè hoc ſacellum eſſe Hieruſalem ſecundum, ſui Pontificatus anno quinto, ſtatutâ die rem hîc divinam faciens, ipsâ die moritur.* A Spiritu, inquit, præmonitus. non illo quidem Sancto (ſi hiſtoricis credendum) ſed ejuſmodi quo olim Pythias ſuas afflavit Apollo Loxias, hodieque Silveſtri ſucceſſores actos cernimus. Sic enim, quemadmodum *dignum ſuis meritis exitum invenerit* Silveſter, inter alios narrat Benno. *Reſponſum à ſuo dæmone acceperat, ſe non moriturum, niſi priùs in Hieruſalem miſsâ ab eo celebratâ. Hâc ambage, hâc nominis æquivocatione deluſus, dum civitatem Hieruſalem prædictam ſibi credit; Romæ in eccleſiâ, quæ vocatur Hieruſalem, miſſam faciens in die ſtationis, ibidem miſerabili & horridâ morte*

[u] Laur. Schrader. Monument. Ital. lib. 2.

morte præventus, inter ipſas mortis anguſtias ſupplicat, manus & linguam ſibi abſcindi, per quas ſacrificando dæmonibus Deum inhonoravit.

18 Addit [x] Martinus Polonus (qui fuit Conſentinus archiepiſcopus, & Innocentij Papæ IV. Pœnitentiarius) eum *in Lateranenſi Eccleſiâ ſepultum eſſe; & tam ex tumultu oſsium, quàm ex ſudore* vel humectatione ipſius ſepulcri, deinceps *morituri Papæ præſagium* colligi ſolitum; idque *in eodem ſepulcro eſſe literis exaratum.* quo oſtento, num ſignificaverit Deus *miſericordiam conſequutum* eſſe Silveſtrum, (ut affirmat ille:) an Diabolus potiùs ſignificaverit, [y] *cum Pontificibus ſucceſſoribus eandem neceſsitudinem ſibi eſſe, quæ cum Silveſtro fuit:* (ut Barno noſtro eſt viſum:) quærant alij. Ego cum Baptiſtâ Platinâ dico. [z] *Verúmne hoc ſit, an ſecus, ipſi Pontifices viderint, ad quos pertinet.* Tantùm quæ ex Alberico monacho trium fontium, in [a] magno Chronico Belgico à Io. Piſtorio edito recitantur, hîc ſubjicio. *In dextero latere Eccleſiæ Lateranenſis prope altare ſanctorum Vincentij & Anaſtaſij martyrum ſepultus iacet Gerbertus Archiepiſcopus, qui Papa effectus, Silveſter fuit appellatus. Quòd autem tumba eius guttas quaſi lacrymarum emittat, quando Papa, aut magnus Cardinalis moriturus eſt, ſatis probatum eſt & ſatis vulgatum. Dicitur etiam, quicunq; tumbam eius viſitaverit & Dominicam orationem dixerit, quoties hoc fecerit, indulgentiam obtinere aliquot dierum à ſummis Pontificibus conſtitutam.* Hæc Albericus.

19 Erat iſte Silveſter, qui anno à nato Servatore milleſimo, Romanam tenuit cathedram, vel (ut Pontificiorum utar phraſi, quibus [b] *Eccleſia Romanorum Imperium Romanorum eſt)* [c] *Imperium Romanæ Eccleſiæ adeptus*

[x] *Martin. Chronic. lib. 4. pag. 348. edit. Antuerp.*

[y] *Rob. Barns, in vitâ Silveſtri II.*

[z] *Platin. in Silveſtr. II.*

[a] *edit. Francofurt. an. 1607. pag. 94.*

[b] *Turrian. in Conſtitut. Clement. lib. 7. cap. 47.*

[c] *Alphonſ. Garſias Matamorus, de Academijs & doctis viris Hiſpaniæ.*

adeptus eſt; [d] Baronij judicio, *homo aſtutus, & in gratiam ſe Principum inſinuandi maximus artifex*: unus denique (ut [e] Ioh. Naucleri cenſuram audias) *qui totum orbem fraude tectiſſimè diſſimulatâ coinquinavit, adeò ingenio, adeò multarum diſciplinarum ſtudio celebris*. Nec verò arte ſolùm celebris eſſe cupijt, ſed etiam Marte. Caſtra enim habuiſſe, & Cæſenam *circunfuſi exercitus obſidione vallâſſe*, ex Petro Damiani in vitâ [f] Mauri didicimus. Quin & [g] *primus* hic *inventus eſt*, *qui ſanctæ* (quam appellant) *militiæ*, quæ tot millium Chriſtiani nominis profeſſorum ſanguine ac vulneribus poſtea ſtetit, *claſſicum occinuerit*: editâ [h] *ex perſonâ Hieroſolymæ devaſtatæ* ad *Univerſalem Eccleſiam ſceptris regnorum imperantem* (ſic enim habet inſcriptio) Epiſtolâ.

[d] *Baron. Annal. tom.* 10. *an.* 999 §. 2.
[e] *Naucler. Chronogr. generat.* 34.
[f] *tom.* 7. *Hiſtor. Sanctor.* (*à Ia. Moſandro edit.*) *Ianuar.* 20.
[g] *Baron. Annal. tom.* 11. *an.* 1003. § 6.
[h] *Gerbert. epiſt.* 28. *pag.* 10 *edit. Pariſ. an.* 1611

20 Extat & ſanguinaria Silveſtri hujus conſtitutio (primogenito illius qui [k] *homicida erat ab initio* non indigna) occaſione Grimoaldi Epiſcopi à Widone Lemovicenſi Vicecomite in cuſtodiâ detenti, Romæ ſancita: *Ut omnis qui Epiſcopum captivaret, equorum indomitorum ad colla pedibus ligatus, diſrumperetur, & demùm à feris laceraretur*. Refert ex Ademaro monacho S. Martialis Lemovicenſis, Papirius Maſſonus, De Epiſcopis Urbis libro 4. Ad hunc etiam Stephanus primus Hungarorum princeps, *quarto à patris obitu anno* ([l] ſi vitæ ejus ſcriptori Chartuitio credimus) id eſt, *milleſimo* æræ Chriſtianæ anno, Aſtricum ſive Anaſtaſium Colocenſem epiſcopum miſit, oraturum, *ut recens converſæ Pannoniæ largam benedictionem impertiret, Strigonienſem eccleſiam ſuâ authoritate metropolim conſtitueret, reliquos Epiſcopatus ſuâ benedictione muniret, & ipſum Ducem regio diademate coboneſtaret*. Addit Gregorius VII. [m] in epiſtolâ ad Salomonem Hungaro-

[k] Ioh. 8. 44.
[l] *Chartuit. in ſcript. rer. Hungar. edit. Francofurt. an.* 1600 *pag.* 271. *Ant. Bonfin. rer. Hungar. Decad.* 2. *lib.* 1.
[m] *Greg. VII. lib.* 2. *epiſt.* 13. *tom.* 3. *Concil. edit. Binij, pa.* 1184.

rum regem, ab eodem Stephano regnum Hungariæ Romanæ Eccleſiæ *cum omni iure & poteſtate ſuâ oblatum eſſe, & devotè traditum.* cujus rei penes authorem ſides eſto.

21 Silveſtri quoque temporibus, [n] *ſanctionem de Imperatore à Germanis deligendo factam eſſe,* ex *Aquileienſis Eccleſiæ monumentis* traditum eſt : (quâ occaſione *plumas multas amiſiſſe Aquilam,* [o] dicunt quidam :) eodemque petente, *vetera ab Ottone Pipini, Caroli, & Ludovici privilegia Romanæ Eccleſiæ renovata* affirmat [p] Sigonius. de quo etiam in libro de privilegijs & juribus Imperij, ita ſcribit Theodericus Nihemius. *Hic Auguſtus* (Otto III.) *ſede vacante Silveſtrum Papam tertium (qui tunc fuit Ravennatenſis archiepiſcopus) ſublimavit in Papam. Cui octo civitates in Marchiâ Anconitanenſi, quamdiu viveret, pro eius ſtatu papali tenendo decentius, commendavit : aſſerens indecens eſſe, quòd Papa magiſter ſeu pædagogus ſuis careret bonis temporalibus, de quibus honorificè vivere poſſet.* Fertur & ipſius [q] Ottonis diploma ; quo donatio Silveſtro facta, his verbis expreſſa continetur. *Sicut pro amore ſancti Petri Dominum Silveſtrum Magiſtrum noſtrum Papam elegimus, & Deo volente ipſum ſereniſſimum ordinavimus & creavimus ; ita pro amore ipſius Domini Silveſtri Papæ, Sancto Petro de publico noſtro dona conferimus, ut habeat Magiſter quod Principi noſtro Petro à parte ſui diſcipuli offerat.* [r] *Octo igitur Comitatus pro amore magiſtri noſtri Domini Silveſtri Papæ Sancto Petro offerimus & donamus, ut ad honorem Dei & S. Petri cum ſuâ & noſtrâ ſalute habeat & teneat, & ad incrementa ſui Apoſtolatus noſtriq; Imperij ordinet. Hos autem ſibi ad ordinandum concedimus ; Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Foſſabrum,* * *Gallibeſi,*

[n] *Ioh. Naucler. Chronogr. generat. 34.*

[o] *Guilielm. Caxton in 6. Chronicorum parte, fol. 70. col. 1.*

[p] *Sigon. de regno Italiæ, lib. 7. ad ann. 998.*

[q] *e libro cum Gerberti epiſtolis, Pariſ. an. 1611 pag. 73. 74.*

[r] *vid. Gerbert. epiſt. 158. pag. 70.*

* Callium, Heſium.

heſi, & Auſimum : ut nullus unquam ei & S. Petro audeat aliquam inquietationem facere, aut eum aliquo ingenio fatigare.

22 Habebat autem Otto hoc tempore ([r] Ditmaro teſte) *omnes regiones, quæ Romanos & Longobardos reſpiciebant, ſuæ dominationi fideliter ſubditas : Româ ſolùm, quam præ cæteris diligebat ac ſemper excolebat, exceptâ.* Hanc enim ab eo deſciviſſe, cùm ex alijs conſtat, tum ex Petro [t] Damiani in vitâ Romualdi abbatis : neque defectionis cauſſas diſſimulant hiſtorici. Notat [u] Ditmarus, *Imperatorem antiquam Romanorum conſuetudinem iam ex parte magnâ deletam ſuis cupientem renovare temporibus, multa feciſſe, quæ diverſi diversè accipiebant.* [x] Sigebertus ſimiliter & Sigonius : cùm *iura regni & Eccleſiæ ad antiquum ſtatum reformare* Imperator inſtitueret ; Romanos id iniquè paſſos, conjurationem adverſus eum feciſſe, atque aliquot ex militibus ejus occiſis ipſum in prætorio obſediſſe. Affirmat [y] Blondus, *certum eſſe Romanos qui Ottonem ob factam eo impellente de Imperatoris electione ſanctionem oderant, cùm ferro armatis munitum nequirent confodere, eum veneno interfeciſſe.* Refert etiam in Mari Hiſtoriarum Iohannes de Columnâ ; [z] cogitâſſe Ottonem Romæ *ſuam (ſicut antiquitùs fuerat) ſedem ponere : cumq; in loco, in quo hactenus fuerat palatium Iuliani apoſtatæ, incepiſſet novum palatium ac nobile conſtruere, reclamantibus Romanis ab opere deſtitiſſe.* quale conſilium transferendi ad Urbem Romanam Imperij ante annos 340. cepiſſe Conſtantem nepotem Heraclij, ex Theophanis, Zonaræ & Cedreni Annalibus intelligimus. Quòd autem hujuſmodi conatus ſucceſſu caruerint, id *non ſine Dei numine* factum * Genebrardus autumat : *ut* ſcili-

[r] *Ditmar. Chronic. lib. 4.*

[t] *apud Surium, Hiſtor. Sanctor. tom. 3. Iun. 19. (p. g. 718. edit. ann. 1572.)*

[u] *Ditmar. Chronic. lib. 4.*

[x] *Sigebert. in Chronic. ad ann. 1002. Sigon. de regno Italiæ, lib. 7.*

[y] *Blond. Decad. 2. lib. 3.*

[z] *Antonin. Chronic. tit. 16. cap. 3. §. 4.*

* *Genebr. Chronograph. lib. 3. circ. ann. Chriſt. 315.*

cet *regnum Eccleſiæ à Daniele prædictum Romæ haberet ſedem.* Regnum Antichriſti à Paulo & Iohanne prædictum, ſi dixiſſet: rem ipſam diuinâſſet. Cùm enim ex Urbis ſepticollis *ſeptem Regibus* (ſummis videlicet magiſtratibus, qui regio præerant imperio) *quinque* ante Apoſtolorum tempora *ceciderint* (quorum nomina ex Onuphrij Panuinij in 1. Faſtorum librum ad Antonium Auguſtinum præfatione licet repetere) *ſextus* verò jam tum ſuperfuerit (quem Imperatorem fuiſſe non eſt dubium:) ſex illis *capitibus* collapſis, proximo loco Antichriſtum principem habitura erat magna *Babylon:* atque ita *è medio ſublato* eo qui tum *retinebat*, *revelandus* demum erat *exlex ille*, *quem Dominus abſumet Spiritu oris ſui*, & *evaneſcere faciet illuſtri adventu ſuo.*

Apocal. 17. 9. 10.

2. Theſſal. 2. 7. 8.

Cap. IIII.

De anno à Dominicâ Paſſione milleſimo, ac rebus quæ circa eum contigerunt obſervatu digniſſimis. ubi de Pontificatu Benedicti IX. & novi Cardinalium principatus inſtitutione.

1\. VT verò Satanæ ſolutionem à Silveſtri II. Pontificatu & anno à Servatoris noſtri nativitate milleſimo inchoat Iohannes Wicclifius: ita diſcipulus ejus Iohannes Purveius in commentarijs ad caput 20. Apocalypſeos (quæ anno 1528. ſine authoris nomine ſunt excuſa) Antichriſti regnum ab anno à Paſſione Domini milleſimo deducere maluit. ad quam ſententiam ipſe quoque Wicclifius accedere videtur, in 4. Trialogi ſui libro, cap. 33. ita ſcribens. *Mihi probabile videtur, quòd poſt ſolutionem Satanæ, quæ facta fuit in ſecundo millenario poſt Chriſti aſcenſionem, Eccleſia à ſequelâ Chriſti notabiliter deviavit.* Et certè, ut olim Pharaoni in quiete iterati objecit Deus viſum

viſum ſomnii; ita hìc utrumque annum, tam à nativitate quàm à paſſione Domini milleſimum, repetitis prodigiis & plagis cognatis ac prope iiſdem inſignire voluiſſe videatur, animis quoque hominum ejuſmodi extraordinariarum rerum expectatione anteoccupatis: ut ad attentiorem ſupervenientis calamitatis conſiderationem mundus ſuſcitaretur, & ſignificatio fieret, quòd *ſtata eſſet hæc res à Deo ipſo, & feſtinanter facturus eſſet illam Deus.* Geneſ. 41. 32.

2 Ita verò ſe rem habuiſſe, his verbis teſtatus eſt (qui tum vixit) Glaber Rodulphus, in 4. libri Proœmio. *Poſt multiplicia prodigiorum ſigna, quæ tam ante quàm poſt circa tamen annum Chriſti Domini milleſimum in orbe terrarum contigere; plures fuiſſe conſtat ſagaci mente viros induſtrios, qui non his minora propinquante eiuſdem Dominicæ paſſionis anno milleſimo fore prædixere: quod utiq́ evidentiſſimè contigit.* Tum capite 4. ejuſdem libri, ingentem immanemque famem (illi quam circa annum à natali Chriſti milleſimum propoſuerat, parem certè, ſi non ſuperiorem) *in univerſo terrarum orbe, peccatis hominum exigentibus per ſpatium trium annorum deſævientem*, longâ oratione deſcribit. *Sequenti* (inquit) *tempore cæpit in univerſo orbe terrarum fames convaleſcere, ac interitus penè univerſi humani generis imminere. Nam temperies aëris ſic intempeſtiva eſt effecta, ut nullius ſationis proveniret tempus congruum, nec meſſioni præcipuè ob inundantiam aquarum foret opportunum. videbantur enim ipſa elementa inter ſe pugnam diſcordiæ agere; cùm proculdubio vindictam exercerent humanæ inſolentiæ: aſſiduis enim imbribus ita compluta erat univerſa tellus, ut in ſpatio trium annorū nulli reperirentur ſulci utiles ſeminibus. Tempore quoq́ meſſis, herbæ agreſtes, atq́ infelix lolium totam*

operuerant ſuperficiem agrorum. Modius quoq; ſementis ubi magis proficiebat, reddebat in meſſe ſextarium; ipſeq́ ſextarius vix referebat pugillum. Cæperat enim primitus hæc ſterilitas ultionis in partibus Orientis depopulando Græciam, devenit in Italiam: dehinc infuſa per Gallias, tranſiit ad univerſos Anglorum populos. Tunc verò conſtricta tota gens indigentiâ victus: maiores ac mediocres fame pallebant cum pauperibus: ceſſit enim raptus potentum univerſali inopiæ. Interea poſt eſum beſtiarum & volucrum urgente fame acerrimâ, cæpere homines præripere in cibum morticina quæq́ ac dictu horrenda.

3 Tunc rabida inedies compulit vorari ab hominibus humanas carnes: arripiebantur autem viantes à ſe prævalentibus, membratimq́ dividebantur. Multi quoq́ de loco ad locum famem fugiendo pergentes hoſpitiis recepti, noctuq́ iugulati, quibus ſuſcepti ſunt, in cibum fuerunt. Plerîq́ verò pomo oſtenſo, vel ovo pueris ad remota circumventos, trucidatoſq́ devoraverunt: corpora defunctorum in locis plurimis ab humi evulſa, nihilominus fami ſubvenerunt. Quæ deniq́ rabiei inſanies in tantum excrevit, ut tutius moraretur ſolitarium abſq́ raptore genus pecudum quàm hominum. Nam veluti iam in uſum devenire deberet carnes humanas comedi; quidam decoctas detulit venundandas in forum Trenorchii, ac ſi fuiſſent alicuius pecudis. &c. Tunc nihilominus è cadaveribus mortuorũ paſſim præ multitudine ſepulturâ carentibus, lupi adeſcati poſt longum tempus prædam cepere ex hominibus. Et quoniam, ut diximus, ſepeliri ſingulatim ob multitudinem non quibant, constructa in quibuſdam locis à Deum timentibus, quæ vulgo dicuntur carnaria, in quibus quingenti & eo amplius, ſeu quantum capere poterant permixtim abſq́ ordine proiecta ſunt ſeminuda, vel abſq́ tegminibus defunctorum corpora. Quantus

tus dolor tunc, quanta mæſtitia, qui ſingultus, qui planctus, quæ lacrymæ à talia cernentibus datæ ſunt, non valet ſtylus quiſpiam explicare characteribus. æſtimabatur enim ordo temporum & elementorum præterita ab initio moderans ſecula in chaos decidiſſe perpetuum, atque humani generis interitum. Illud præterea ſtupore nimio permirabilimum, quoniam in tam clandeſtinâ divinæ ultionis calamitate rariſſimè reperiebantur, qui pro talibus contrito corde & humiliato corpore, ut expediebat, levarent corda cum manibus ad Dominum, ſibique ſubveniendum interpellarent. Tunc nempe Eſaianum illud elogium noſtro impletum eſt tempore quod dixit; Populus non eſt converſus ad percutientem ſe. Erat enim in hominibus quædam duritia cordis cum hebetudine mentis.

4 Hæc, & alia plura, in eo loco Glaber: qui deinde cap. 9. Eclipſin Solis admodum terribilem hoc anno factam, ita deſcribit. *Anno Dominicæ paſſionis milleſimo, die tertio Kalendarum Iuliarum, ſextâ feriâ, Lunâ viceſimâ octavâ, facta eſt eclipſis ſeu deliquium Solis ab horâ eiuſdem diei ſextâ uſq; in octavam, nimium terribilis. Nam ſol ipſe factus eſt ſapphirini coloris, gerens in ſuperiori parte ſpeciem Lunæ à ſuâ reilluminatione quartæ. Intuitus hominum in alterutrum velut mortuorum pallor conſpiciebatur: res verò quæcunque ſub aere crocei coloris eſſe cernebantur. Tunc corda humani generis ſtupor ac pavor tenuit immenſus &c.* Dein, paucis interjectis, ſolitam de horum temporum malitiâ (ne ea ſuperioribus illis hâc quoque in re non fuiſſe ſimilia exiſtimaremus) ſubdit querelam: *paſſim in orbe, cùm in Eccleſiaſticis, tum etiam in rebus ſecularibus, multa contra ius faſque patrata contigiſſe; penè nullius tutam fidem repertam eſſe; peccata terræ cælos pulsâſſe, & ſanguinem tetigiſſe ſanguinem: penè*

in

in univerſis mortalium ordinibus inſolentiam pullulâſſe, ac vigorem iuſtæ ſeveritatis tepuiſſe; impudentiſſimâ avaritiâ humana pectora invadente, periclitatam eſſe fidem in cunctis, exinde rapinas & inceſtus, litigia cæcarum cupiditatum, furta & adulteria immaniſſima proceſſiſſe. &c.

5 Solaris illius Eclipſis meminit etiam in Epitomâ vitæ Roberti Francorum Regis Helgaldus Floriacenſis: [a] *Die paſſionis Apoſtolorum ſanctorum Petri & Pauli, Sol ad ſimilitudinem quartæ Lunæ ſubtractis radijs fuſcatus apparuit in toto mundo, horâ diei ſextâ palleſcens ſuper homines: quorum viſus ita obnubilavit, ut nullus alium recognoſceret, donec quoddam recognoſcendi tranſiret ſpatium.* Lunaris verò Eclipſis, cometæ, famis & aliorum judiciorum divinorum, alter hiſtoricus Floriacenſis, [b] his verbis: *Anno quo defunctus eſt Rex Robertus, horâ noctis tertiâ eclipſis Lunæ apparuit: cometes etiam ſeptimo Idus Martij, horâ decimâ noctis, ad longitudinem haſtæ, ardens uſque ad auroram per trium dierum ſpatium viſa eſt. Subſecuta eſt innumerabilis multitudo locuſtarum, omnia virentia depaſcens. Sequenti etiam anno menſe Iulio tantus grandinum imber cecidit, ut ſata omnia, vineas, arbores, & omnes hominum labores attereret: poſt grandinem autem tanta cecidit tempeſtas, ut totam ſpem eorum quæ relicta erant, deleret. Extemplo per continuum triennium irremediabilis fames ſubſecuta eſt: ita ut vix humanis abſtineretur carnibus, & ut mures, canes, & cætera immunda pro delicijs haberentur. Hæc lues maximam humani generis delevit partem.*

6 Conferamus cum his, quæ ab Orientalium rerũ ſcriptoribus ſunt notata. *Fame Cappadociam, Armeniam & Paphlagoniam premente, locuſtis verò penè totum Orientem infeſtantibus, multos coactos eſſe patriâ relictâ, no-*

vas

[a] Inter hiſtoric. Francor. à P. Pithæo edit. pag. 77. edit. Francofurt. an. 1596.

[b] Ibid. pag. 85.

vas ſedes quæritare, refert [c] Zonaras: *quibus Imperator* Romanus *auri largitionibus ſublevatis perſuaſerit, ut ad ſua reverterentur*. Sed à Iohanne Scylitza Curopalatâ & exſcriptore ejus Georgio Cedreno, quæ circa annum à paſſione Domini milleſimum contigerunt, pleniùs ſunt expoſita: è quibus nonnulla, ſed pro epochâ annorum Mundi ſubſtitutâ eâ quæ Europæis noſtris notior eſt, ærâ Chriſtianâ (à Kalendis Ianuariis anni Iuliani 46. deductâ) viſum eſt excerpere. Anno igitur Domini, ex ſupputatione noſtrâ, 1032. *Iulij menſis 28. die, quæ fuit ſeptimanæ ſexta, horâ noctis ſecundâ, ſtella traiecit à meridie verſus Septentrionem, quæ terram totam fulgore illuſtravit. Pauloq; poſt triſtes nuncij de rebus Romanis allati ſunt; Arabes in Meſopotamiam uſq; ad Melitenam graſſari, Patzinacas Iſtro tranſmiſſo Myſiam infeſtare, Saracenos graſſationibus & incendijs orâ Illyrici vexandâ uſq; ad Corcyram perrexiſſe. Hoc ipſo anno fames ſimul ac peſtis Cappadociam, Paphlagoniam, Armeniam, & Honoriadem ita afflixerunt, ut incolæ patrijs relictis, alias ſibi quærerent ſedes. Quibus Imperator à Meſanactis in urbem rediens cùm occurreret, neq; ignoraret migrationis cauſſam, coëgit eos domum redire, pecuniâ & alijs ad vitam neceſſarijs rebus eos conſolatus. Die Auguſti XIII. qui fuit Dominicus, horâ primâ noctis, magnus fuit terræ motus.* Anno Dom. 1033. *die Februarij XXVIII. ſtella à Septentrione verſus meridiem traiecit, cum ſonitu ac fragore: & viſa eſt uſq; ad XV. Martij, ſupernè habens arcum. Martij die ſextâ, quæ feria fuit tertia, terræmotus extitit. Vitâ turpiter defuncto Azio* (vel Azizio) *Ægyptio, qui in Chriſtianos ſævierat, templumq; Chriſto Hieroſolymis dedicatum everterat, filius eius natus ex quâdam Romanâ, captivâ eius, inſtaurationem liberam fecit. Ad eam*

[c] *Ioh. Zonar. Annal tom. 3. in Romano Argyr.*

Ex verſione Guiliel. Xylandri.

rem ſuos miſit Imperator: ſed eo morte prævento, ſucceſſor Michaël opus abſolvit.

7 Anno Dom. 1034. *die XVII. Februarij, terræmotus Syriæ urbes afflixit. Cùm locuſtæ aliquandiu Orientales eſſent depaſtæ provincias, coacti ſunt incolæ liberos ſuos divendere, & in Thraciam migrare. quibus Imperator terna in ſingulos nomiſmata largitus eſt, & domum redire iuſſit. Interim locuſtas ventus vehemens corripuit, inq́ Helleſpontum abiecit, ubi in littus eiectæ arenam operuerunt. undecimâ horâ ſanctæ magnæ Dominicæ, grando impetu intolerabili delata, non frugiferas modò ſterileſq́ arbores confregit, ſed & domos deiecit, & templa ac ſegetes viteſq́ ſolo alliſit. itaq́ eo anno ſumma fuit ſterilitas. ſtella etiam Dominico, qui Paſcha inſequitur, die, horâ noctis tertiâ traiecit, fulgore ſuo luminibus omnium aliarum ſtellarum officiens, ita ut multi opinarentur Solem oriri. Examina locuſtarum, quæ per Helleſponti arenam in littore ſitam diſperſa periſſe docuimus, ſponte ſuâ revixerunt, & omnia Helleſponti invaſerunt: cumq́ provinciam Thracenſem per integrum triennium populata eſſent, apud Pergamum perierunt. Eodem anno per XL. dies terrâ concuſsâ, multi homines Hieroſolymis perierunt, fanorum ac ædium ruinis oppreſſi. Menſe Septembri, ignea columna apparuit verſus ortum, vertice ad meridiem inclinante. Per eos ipſos dies & Saraceni Myra ceperunt; & Berrhæenſes Chalepitæ, præfectum ipſis ab Imperatore miſſum expulerunt: & Pancratius Abaſgus pacem cum Romanis factam reſcidit, arceſq́ & caſtella pridem ijs conceſſa recuperavit. Et Patzinacæ Iſtrum tranſgreſſi, univerſam Myſiam uſq́ ad Theſſalonicam populati ſunt: & Afrorum naves Cycladibus inſulis non levia damna intulerunt.*

8 Quemadmodum verò ad annum à Nativitate Domini

Domini milleſimum, igneâ ex cælo elapsâ faculâ atq; ingentis draconis figurâ ſubſecutâ, quæſitum eſt an hoc oſtento prophetiæ Apocalypticæ & ſolutionis antiqui ſerpentis conſiderationem animis hominum ſubjicere Deus voluerit: ita jam ad annum à paſſione ejuſdem milleſimum viſis nocturno tempore facibus cœleſtibus, locuſtarumque innumerabili multitudine ſuccedente (quod in Occidente factum ex Floriacenſi hiſtorico, in Oriente ex ſcriptoribus Græcis audivimus:) quæri ſimiliter poteſt, num rerum iſtâ viſibili repræſentatione, novam hominibus occaſionem oblatam Deus vellet de vaticinio illo identidem cogitandi; quo fuerat prædictum, ſtellâ è cœlo cadente, apertoque puteo abyſſi, locuſtas ex putei illius fumo in terram exituras. Apocal. 9.1.2.3. Quid quòd Draconem etiam portentoſum in aëre circa hæc tempora conſpectum confirmat, qui ſe oculatum rei teſtem facit, Arnolfus monachus Ratisbonenſis? Sic enim ille in Dialogo de rebus S. Emmerammi, narrationem ſtupendam profectò atque in omni memoriâ omnino inauditam proponit.

9 [d] *Ante aliquot annos in Pannoniâ conſtitutus, die quâdam à tertiâ horâ uſq; ad ſextam diabolum vel draconem in aëre ſuſpenſum vidi. Erat autem magnitudo eius incredibilis, longitudo tanta, ut quaſi unius miliarij ſpatio videretur eſſe protenſus. Cuius caput criſtatum, & inſtar montis elevatum, nec non corpus, iuxta hoc, quod Dominus ad beatum Iob de Leviathan loquitur, ſquammis horribilibus compactum, & ceu parmis vel ſcutis ferro munitis, tectum: in lateribus & in tergo, quædam fuliginoſa fædabat nigredo: ventris quoque inverſione, & pariter corporis, in qua ſolo tenus iacere ſolebat, pallor ſub venetus decolorabat, ad ſimi-*

[d] *Arnolf. de S. Emmerammo, lib. 2. tom. 2. Antiqu. lect. Henr. Caniſii, pag. 98. 99.*

Iob. 41.

*litudinem ſulphurei laris. Tractus verò ac incurvationes, atq́ extenſiones eius immanes, poſtremo, totius corporis motus, & particularis & totus, atque ut breviter in id temporis adverſantia concludam, omnia draconis molimina, erant mortalibus, inquantum Deus permiſit, noxia, tantoque noxiora, quanto proximiora. Nam cùm tempus eſſet æſtivale, utpote ſextâ feriâ hebdomadæ poſt Pentecoſten ſecundæ, ex gelu, quod draconi præ cæteris animantibus magis eſt naturale, adeò immutatus eſt aër, ut & febris multos invaderet, ac iumentorum non minimam partem frigus conſumeret. Alas & crura vel pedes, quos pictores fingere ſolent, penitus nec habuit nec habere viſus eſt: quippe cui ſquammæ & coſtæ ſufficiunt, pro deambulatione. Groſſitudo pectoris erat parilis groſſitudini capitis. Poſt hoc paulatim diminuebatur uſque ad extrema caudæ, cuius extremitas penè adæquabat abietes magnas. Hunc tam ingentem hoſtem, aut * Diabolum aut Diaboli amicum, nolens Dominus diutiùs terrere populum fidelium, ſubitò fecit ab Aquilone moveri & denſitati nubium cum grandi impetu intermiſceri. Quem curſu velociſſimo ſuper nos, ut tranſeuntem vidimus, ſibiloque eius pariter cum fiſtularum ſtridore non ſine metu audivimus, mox nubes quæ à mane uſque in illam horam quaſi ſtabant immobiles, in tantum commotæ & concitatæ ſunt, ut totâ illâ die pariter & nocte non ceſſarent tonitrua ſeu coruſcationes, imo perſeverarent uſque ad veſperam ſequentis diei.* Hæc ille.

* πτηνὸς ὄφις, Δαίμων ὕλας, Alatus draco Dæmon terræ. *Syneſius, hymno 3.*

" ζῶον ὑπερφυὲς, Διονύσου ἄγαλμα, ᾧ Ἰνδοὶ ἔθυον. δράκων, μῆκος πεντάπλεθρον. *Maximus Tyrius, ſermone* 38.

10 Omnem fidem videbatur excedere, quod à Taxilâ Indorum rege miraculi loco Alexandro oſtenſum legimus, " Draconem 500. pedes longum, cui ut vivo Liberi patris ſimulacro ſacrificabant Indi. quid verò ille ad noſtrum hunc? cujus *longitudo tanta, ut quaſi unius miliarij ſpatio videretur eſſe protenſus.* Itaque

que ex Arnolfo quærit,qui in hoc dialogo ſermonem cum eo confert, Ammonitius: *Nunquid in illo tempore recordatus es aliquid horum, quæ beatus Iohannes in Apocalypſi ſuâ de dracone & beſtiâ ſcribit?* Reſpondet ille. *Verè in memoriam venerunt hæc, maximè autem urgebat me recordatio ſcripturæ eiuſdem Apocalypſis, in quâ continetur: Væ vobis, quia Draco venit ad vos cum irâ magnâ, ſciens, quòd modicum tempus habeat. Quamvis enim ſcirem, per beſtiam & draconem Antichriſtum & Diabolum deſignari; & diem univerſalis iudicij minimè tunc inſtare: tamen ob inſolitam rerum oſtentationem turbatus, cogitavi multa, & ſuſpiravi timidus pro morte meâ ſive aliorum qui mecum videbant iſta terribilia.* Nempe communem errabat monachus hîc errorem: ac nihil minùs cogitabat quàm Romæ latibulum Antichriſti repertum iri, in quâ [e] *ſurgebant quotidiè innumera ædificia Eccleſiarum ſive monaſteriorum*; è quibus *viginti à ſanctimonialibus, quadraginta à monachis, ſexaginta à canonicis* poſſideri inaudierat. Nec ſibi ſolùm perſuaſit, *cecidiſſe Babylonem in Româ*; utpote *Chriſti fide ac multiplici veneratione Sanctorum* (ſic enim loquitur) dotatâ, & *corporibus tot Martyrum* ditatâ: ſed etiam *illam civitatem rerum maximam* meritò dici poſſe defendit: imò verò addit, *hanc urbem intuentes undique collectas plurimas gentes, aſſumere verba ſacræ Scripturæ* [f] *& dicere: Omnipotens Roma, glorioſa dicta ſunt de te, quia civitas Dei es facta.* an ut impleretur alia Scriptura, quæ dicit, [g] *univerſam terram admirabundam ſecutam eſſe beſtiam?* Hanc enim eſſe illam beſtiam, cui inſcriptum eſt [h] *nomen blaſphemiæ*, ſi non (cum [i] Hieronymo & [k] Proſpero) ex pervulgato illo ROMAE ÆTERNAE [l] nomine, at ſaltem ex addito inſolente hoc OMNIPOTENTIS ROMAE titulo;

Apocalypſ. 12.12.

[e] *Arnolf. tom. 2 antiqu. lect. H. Caniſ. pag. 113. 114.*

[f] Pſalm. 87. 3.

[g] Apocal. 13. verſ. 3.

[h] verſ. 1.

[i] *Hieronym. ad Algaſiam, quæſt. 11.*

[k] *Proſp. de prædict. & promiſſ. Dei: in Dimid. temp. cap. 7.*

[l] *Wolfgang. Lazius, in comment. Republ. Roman. lib. 2. cap. 2. Iohan. Fileſacus, de Parœciar. orig. cap 4. init. Philip. Berterius, Πιθανῶν Diatrib. 2. cap. 3.*

titulo ; quis ita obtusâ eſt acie ut non poſſit animadvertere ?

11 Proximo loco poſt Romam *rerum maximam*, ob Dominici ſepulcri religionem, apud homines ſuperſtitioſos in honore fuerunt Hieroſolyma. ubi ſimul ac poteſtas templi inſtaurandi ab Ægyptio Dominatore Chriſtianis primùm data eſt : (quod paulò ſuperiùs, ex Curopalatâ & Cedreno audiuimus :) ſtatim *ex univerſo orbe tam innumerabilis multitudo cæpit confluere ad ſepulcrum Salvatoris Hieroſolymis, quantam nullus hominum priùs ſperare poterat. Primitùs enim ordo inferioris plebis ; deinde verò mediocres : poſt hæc permaximi quiq; Reges & Comites ac Præſules : ad ultimum verò, quod nunquam contigerat, mulieres multæ nobiles cum pauperioribus illuc perrexere.* Habet iſta initio 6.cap.lib.4. Hiſtoriæ ſui temporis Glaber Rodulphus Cluniacenſis monachus : ad finem ejuſdem capitis porrò ſubjungens. *Dum quidam de ſollicitatoribus qui eo tempore habebantur conſulti à pluribus fuiſſent, quid tantus populorum concurſus ad Hieroſolymam deſignaret, olim ſeculo inauditus præterito. Reſponſum eſt à quibuſdam ſatis cautè, non aliud portendere, quàm adventum illius perditi Antichriſti, qui circa finem ſeculi iſtius, divinâ teſtante authoritate præſtolatur affuturus.*

12 Nec nihil facit ad hujus temporis ſtatum illuſtrandum, quod in capite præcedente ab eodem authore eſt propoſitum. *Tunc ergo primitùs cæpêre in Aquitaniæ partibus ab Epiſcopis & Abbatibus ceteriſq; viris ſacræ religionis devotis ex universâ plebe coadunari conciliorum conventus, ad quos etiam multa delata ſunt corpora ſanctorum, atq; innumerabiles ſanctarum apophoretæ reliquiarum : dehinc per Arelatenſem provinciam, atq; Lugdunenſem,*

nenſem, ſicq́; per univerſam Burgundiam uſq́; in ultimas Franciæ partes, per univerſos Epiſcopatus indictum eſt, qualiter in certis locis à præſulibus magnatibuſq́; totius patriæ de reformãdâ pace & ſacræ fidei inſtitutione celebrarentur concilia. Quod etiam tota multitudo univerſæ plebis audiens, lætanter adiere maximi, mediocres, ac minimi: parati cuncti obedire quicquid præceptum fuiſſet à paſtoribus Eccleſiæ; non minùs videlicet quàm ſi vox emiſſa de cælo hominibus in terrâ loqueretur.

13 Cujuſmodi verò ſanctiones ab Epiſcopis tum fuerint editæ, his verbis, in anni à Paſſione Domini milleſimi hiſtoriâ, oſtendit Sigebertus Chronographus. Anno 1033. *Eclipſis Solis facta eſt circa meridiem III. Kal. Iulij. Huiuſmodi decretum à Franciæ Epiſcopis datum eſt ſervari ſubiectis ſibi populis. Vnus eorum dixit, cælitùs ſibi delatas eſſe literas, quæ pacem monerent renovandam in terrâ. Quam rem mandavit ceteris, & hæc tradenda dedit populis. Arma quiſquam non ferret, direpta non repeteret; & ſui ſanguinis vel cuiuſlibet proximi ultor minimè exiſtens, percuſſoribus cogeretur indulgere. Ieiunium in pane & aquâ omni ſextâ feriâ obſervarent, & in Sabbatho à carne & liquamine abſtinerent, ſoloq́; hoc contenti ieiunio, in omnium peccatorum remiſſionem, nullam ſibi ſcirent aliam adijciendam pænitentiam: & hæc ſe ſervare ſacramento firmarent. Quod qui nollet, Chriſtianitate privaretur; & exeuntem de ſæculo nullus viſitaret, nec ſepulturæ traderet. Alia quoq́; importabilia quamplura dedêre mandata, quæ oneri viſa ſunt replicare. Hanc mandatorum novitatem cùm multi cupidi novarum rerum libentiùs iuſto amplecterentur; Gerardus Cameracenſis, qui ſolus Lothorienſium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc recipienda, ſed ſingula capitula refellebat:*

fellebat: dicens genus hominum ab initio trifariam eſſe diviſum, in oratoribus, pugnatoribus, agricultoribus; & unum duorum, & duos unius egere auxilio. Ideò debere arma ferri, & rapinas reddi, per auctoritatem legis & gratiæ: ultorem percuſſi, vel occiſi non exacerbari cogendo, ſed ſecundùm Euangelium ei reconciliari. Ieiunium in ſextâ vel ſeptimâ feriâ nec omnibus unum eſſe imponendum, quia non eſt omnibus una poſſibilitas, nec omnes hoc uno ieiunio contentos eſſe, quia non eſt una omnibus pœnitendi qualitas. Hæc ſacramento firmare, vel ſacramenti violationem periurio augere, non eſſe utile; his contradicentes excommunicari, infirmis viſitationem, vel mortuis ſepulturam negari, eſſe deteſtabile: ſufficere authentica Patrum decreta, & ſuper his neglectis impoſitum congruentis pœnitentiæ modum.

14 Quod verò ad *corpora ſanctorum* attinet, *atque innumerabiles ſanctarum apophoretas reliquiarum*, de quibus à Glabro facta eſt mentio: quantum hîc per *prodigia mendacia* Chriſtiani nominis profeſſores ludificatus ſit Diabolus: vel unica illa hiſtoria, ab eodem authore in 3°. quarti libri capite expoſita, ſatis declarat. quam, ut Divæ Hallenſis & Aſpricollis “ νεωκόροις gratificer, placet attexere. *Fuit homo plebeius, mangonum callidiſſimus, ignoti tamen nominis & patriæ; quoniam pro diverſitatibus locorum quærens latebram ne agnoſceretur, fraudulenter imponebat ſibi vocabula vel de quâ forct provinciâ. Cuſtodiebat quoq; è tumulis clanculè oſſa evellens à cineribus nuperrimè defunctorum hominum, ſicque impoſita in diverſis apophoretis, venditabat apud plurimos pro ſanctorum Martyrum ſeu Confeſſorum reliquijs. Hic verò poſt innumeras huiuſce illuſiones in Gallijs patratas, perfuga venit ad loca Alpium, ubi perſæpè brutæ gentes inhabitant, habentes in arduis plurima domicilia: ibi nempe ſe*

“ æditiuis, *cultoribus.* Act. 19.35.

Stephanum

*Stephanum nuncupavit, qui aliàs Petrus, aliàs Iohannes dictus fuerat. Illic ergo more ſolito noctu colligens à loco abiectiſſimo ignoti oſſa hominis, quæ poſuit in * caſſellâ & feretro, dicebat ſibi angelica oſtenſione revelatum fuiſſe, quem fingebat eſſe ſanctum martyrem nomine Iuſtum. Mox quoque vulgus (ut ſe in talibus habere ſolet) ignavum, quicquid ruſticanæ plebis fuit, totum ad hanc famam confluit: pænitet inſuper ſi non eſt ſibi morbus quo curari depoſcat. tunc ducit debiles, confert munuſcula, pervigil tenet excubias, præſtolans repentina fore miracula; quæ, ut diximus, aliquoties permittuntur fieri à malignis ſpiritibus tentatoriè, peccatis hominum præcedentibus: quod tunc proculdubiò evidentiſſimè claruit. Multimodæ quippe membrorum reformationes ibidem viſæ ſunt extitiſſe, ac inſignia pendere oſcillorum multiformia. nec tamen Moriannæ, vel Coticæ, ſeu Gratinonæ urbium præſules (in quorum diœceſibus talia profanabantur) diligentiam huius inquirendæ rei adhibuere: quin potiùs conciliabula ſtatuentes in aliquibus nihil aliud niſi inepti lucri quæſtum à plebe, ſimulque favorem fallaciæ exigebant.* Tandem, poſt alia multa interjecta, totam narrationem ita concludit Glaber. *Nos idcirco iſta retulimus, ut à multiformis dæmonum, ſeu humanorum errorum, qui in orbe paſſim abundant, præcipuè in fontibus ſeu arboribus, ab ægris incautè veneratis, caveatur.*

* capſellâ.

15 Ad Pontificem jam venio, qui anno à paſſione Chriſti milleſimo Romanam conſcendit cathedram. De eo Hermannus Contractus: [m] *Anno* 1033. *Romæ defuncto Iohanne, Benedictus IX. qui & Theophylactus Papa* CXLIX. *ordinatus, licèt indignis tanto ordine moribus & factis, ſedit annis plus XII.* Per largitionem verò fuiſſe ordinatum, cùm annos ad X. vel XII. natus eſſet, confirmat, toties à nobis citatus teſtis, qui his

[m] *Herm. Contr. Chronic. tom. 1. antiqu. lect. Henr. Caniſ. pag. 584.*

his ipſis temporibus vixit, Glaber Rodulphus. Is e-nim, in quinto quarti libri capite, cùm dixiſſet, *medi-ocres ac minores exemplo maiorum ad immania fuiſſe flagi-tia devolutos : (Quis enim*, inquit, *unquam antea tantos inceſtus, tanta adulteria, tantas conſanguinitatis illicitas per-mixtiones, tot concubinarum ludibria, tot malorum æmulati-ones audiverat ?)* ſubjungit. *Inſuper ad cumulum tanti mali, cùm non eſſent in populo, vel rari, qui ceteros corrigen-tes talia redarguerent, impletum eſt prophetæ vaticinium, quod ait, Et erit ſicut populus ſic ſacerdos. Præſertim cùm tunc in ſeculari poteſtate, tum etiam in Eccleſiaſticâ religione totius regiminis perſonæ conſtiterant in puerili ætate : pro-pter peccata enim populi contigit tunc illud Salomonicũ, quod ait, Væ tibi terræ. Nam & ipſe univerſalis Papa Romanus nepos ſcilicet duorum, Benedicti atque Iohannis, qui ei præ-ceſſerant, puer fermè decennis, intercedente theſaurorum pecuniâ electus extitit à Romanis: à quibus exinde frequen-ter eiectus ac inhoneſtè receptus nulla poteſtate viguit. Et, ut iam ſuperiùs taxavimus, ceteros tunc temporis Eccleſia-rum prælatos, aurum potiùs vel argentum exaltabat quàm meritum. Proh pudor ! de his evidentiſſimè Scriptura ait, immo os ipſius Dei : Principes extiterunt, & non cognovi.* Similiter etiam, lib. 5. cap. 5. ubi notâſſet, *omnia mini-ſteria Eccleſiaſtica ita eo tempore habita eſſe venalia, quaſi in foro ſecularia mercimonia* ; vel, ut Henricus Cæſar ibi-dem loquitur, *Omnes gradus Eccleſiaſticos à maximo Pontifice uſq; ad Hoſtianum oppreſſos fuiſſe per ſuæ damna-tionis pretium, ac iuxta vocem Dominicam in cunctis graſ-ſatum eſſe ſpirituale latrocinium* : addit, Romanam ſe-dem *præfato morbo peſtifero per viginti quinque annorum ſpatia miſerrimè laboraſſe. Fuerat enim* (inquit) *eidem ſe-di ordinatus quidam puer circiter annorum XII. contra ius faſque,*

faſq́, quem ſcilicet ſola pecunia auri & argenti plus commendavit, quàm ætas aut ſanctitas: & quoniam infelicem habuit introitum, infeliciorem perſenſit exitum.

16 Præter *turpitudinem illius converſationis & vitæ* à [n] Glabro notatam: ſtudiorum inſuper idololatriæ atque artium diabolicarum inſimulat eum Benno Cardinalis. Sic enim ille in vitâ Hildebrandi: quem in hiſce ſtudiis Theophylacti hujus & Laurentii Amalphitani Archiepiſcopi diſcipulum fuiſſe aſſerit. *Theophylactus ſacrificijs dæmoniorum deditus in ſylvis & montibus, mulieres poſt ſe currere faciebat, quas magicis artibus ad ſui amorem coëgerat. Teſtantur hoc libelli ipſius inventi in domo eius, poſtquàm vitam malè finiverat. Et hæc fabula adhuc ruſticis Romanorum eſt notiſſima. Is dum ad Eccleſiam rediret de ſylvarum ſecretis, ubiq́ ſecum habens Laurentium principem maleficiorum, cum eo etiam publicè de Matheſi diſputabat; & vulgus avidum novarum rerum, novis divinationibus in ſui admirationem excitabat. Nomen autem Laurentij apud ſimplices pro eo habebatur celebre, quia videbatur aliquando ex improviſo prophetare. Et de complice & diſcipulo ſuo Papâ ſecurus, gaudebat etiam publicè in conventu epiſcoporum & cardinalium & ſenatorum auguria ſua magnificare, & ad cantum avium ſubitò auguria denuntiare, quid ipſo die vel heſterno vel nudiuſtertius factum eſſet in Oriente & occidente, in meridie, in ſeptentrione, & in remotioribus vel extremis terrarum partibus, ſive de bellis ſive de morte principum.*

[n] Glab. Rod. lib. 5. cap. 5.

17 Sed & in vendicandâ ſibi Antichriſtianâ illâ poteſtate, coronam Romani Imperii quibus collibitum eſſet conferendi, eoſdem magiſtros habuiſſe Hildebrandum, ex eodem Bennone intelligimus. Defuncto enim Conrado *Romanorum Imperatore Auguſto,*

Theophylactus, qui & Benedictus nonus, habito conſilio cum familiari ſuo Laurentio, & alijs ſuis complicibus, molitus eſt filium Imperatoris Conradi Henricum Imperatorem ſucceßione imperij exturbare & in eccleſiâ ſchiſmata diverſa ſeminare. Hoc enim eſt quod amplius exigitur à mundi principio à tenebrarum principe. Miſit igitur coronam Romani Imperii Petro regi Vngarico. Sed ad Petrum expugnandum direxit Imperator Henricus ducem Lotharingiæ Godfridum, virum fidelem, & bello ſtrenuum, & inter regni principes clariſſimum. Qui primo conflictu, Petrum bello captum, & omnes vicinas nationes, ne in eum aliquid præſumerent, deterruit; & ut digna factis tanti ſchiſmatis authori Theophylacto redderet, Romam venire diſpoſuit. Quo audito, Theophylactus timore perterritus, vendidit papatum complici ſuo, archipresbytero Eccleſiæ S. Iohannis de portâ Latinâ, magiſtro Hildebrandi, acceptis ab eo libris mille quingentis.* Hæc Benno.

* *cum hoc verſiculo:* Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam. *Vid. Faſcic. rer. expetend. ac fugiend. Orthuini Gratij, fol. 42 c. & Io. Stumpfii hiſtoriam Germanicam de vitâ Henrici IIII. lib. 1.*

18 Referunt etiam Polonicarum rerum ſcriptores, ° Benedictum hunc, Polonici regni hęredem Caſimirum, qui Cluniacenſium ordinem ingreſſus ac Diaconus factus fuerat, religione abſolutum ſuis *Regem donâſſe, atq; uxorem illi ducere & filios procreare, conceßiſſe*: ſed certis quibuſdam in rem ſuam adjectis conditionibus; quæ à Johanne Longino Canonico Cracovienſi, (Dlugoſſum Cromerus appellat) ita explicantur. *Dona Apoſtolica exemplum non habentia, nec unquam alicui perſonæ aut regioni conceſſa, rata eſſe decernit; ſi illa lex à Polonorum Legatis ſuſcipienda, & perpetuò ſervanda promittatur. Princeps Poloniæ Caſimirus, diſpenſante ſummo Pontifice, monaſterio Cluniacenſi exeat, habituq; regulâ & gradu diaconatus abdicatus, ſolutus & liber, paternum & avitum regnum inſtauraturus illud reſumat,*

° *Matthias Michovienſis, lib. 2. Chronic. Polon. cap. 13. Martin. Cromerus, de reb. Polon. lib. 4. Io. Longinus in Annalib. Ms. à Baronio citat. tom. 11. Annal. ann. 1041. §. 11. & an. 1045 §. 1. 2.*

mat, nubendi & in ſpem Poloniæ regni ſucceſſores generandi habens plenam poteſtatem. ſed tum Polonorum regiones ac regnũ in ſignum præſtiti per Apoſtolicam, acceptiq́ in magno neceſsitatis ſuæ articulo beneficij, beato Petro & ſucceſſoribus Romanis Pontificibus de quolibet capite (nobilium capitibus circumſcriptis) uſualem nummum annis ſingulis ſolvere; cæſariem capitis & comam barbaro more non nutrire, ſed auribus patentibus, ſed inſtar religioſorum Latinarum nationum tonſuratum caput geſtare; & in præcipuis Chriſti & Virginis Matris eius feſtivitatibus panno linteo albo, in ſtolæ modum dependente, cervicem exornare perpetuò ſit aſtrictum. Ut his tribus inſignibus ex monacho & ex diacono, Apoſtolicâ conceſsione & benignitate, cùm aliter concretum periculum diſpelli non poſſet, Polonus Regem ſibi creatum & redditum recognoſcens, tam in Deum, quàm in religionem Chriſti, ſit gratior atq́ devotior. Quomodo autem ab hoc exmonacho Rege rebus in Poloniâ compoſitis, pactum tributum exegerit Benedictus, alio in loco idem tradit hiſtoricus. *Miſſo* (inquit) *ſpeciali ad Caſimirum Poloniæ Regem Nuntio, requirit illum, ut iuxta Legatorum Polonorum Apoſtolicam Sedem pro ſui Regis diſpenſatione plurimis inſtantijs flagitantium ſponſionem ad ſuam ſubſecutam confirmationem, capitis cenſus de univerſis regni Poloniæ provincijs conquiſitis, & conquirendis, mandaret pro beato Petro, & ſuo ſucceſſore Romano Papâ collectoribus Apoſtolicis ſingulis annis exhiberi. Volens Caſimirus Rex Poloniæ parere pactis ſummo Pontifici Benedicto primum per Legatos Polonorum, deinde pro ſe promiſſis, generalem omnium ſuarum provinciarum indicit conventum: in quo & pollicitatio, Apoſtolicæ Sedi per Legatos Polonorum facta, concordi omnium devotione & conſenſu decreta & innovata eſt; & univerſali mandato ſolu-*

tio unius uſualis oboli de capite, tam civitates quàm oppida vicoſq́; & rura colentium in duabus provincÿs, videlicet Gneſnenſi & Cracovienſi, ac diæceſibus eiſdem ſubiectis; impetrata. Ab eo quoq́; tempore regnum Poloniæ factum eſt Romanæ Eccleſiæ, imò Vicario Ieſu Chriſti ſummo Pontifici feudale & tributarium, nec unquam tributi prædicti ſolutionem paſſum eſt quacunque occaſione aut pacto intermitti, aut reſcindi.

19 Qualis verò per hęc tẽpora in Romanâ Eccleſiâ orta fuerit confuſio, Pontificatum adminiſtrante tricipite quodã Cerbero, his verbis alibi attingit idem author. *Multifaria tunc erat Sedem Romanam ambientium, & de eâ contendentium, colliſio. Nam Sabinenſis Epiſcopus, qui ſe Silveſtrum nominabat, & Iohannes Archipresbyter ſancti Iohannis ante portam Latinam, qui & Gregorius Sextus, contra Benedictum Nonum Papatum uſurpabant.* Quâ occaſione, [p] eremitam quendam ad Imperatorem ſcripſiſſe ferunt.

[p] *Greg. Heymburgenſis, in Confutat. Trimit. Papæ, part. 2.*

Imperator Heinrice,
Omnipotentis vice,
Vna Sunamitis
Nupſit tribus maritis.
Diſſolve connubium,
Et triforme dubium.

Sed hiſtoriam hujus ſchiſmatis ab Ottone Friſingenſe lib. 6. Chronic. cap. 32. (& eum ſecuto Gotfrido Viterbienſe, in 17. Chronicorum ſuorum parte) pleniùs explicatam habemus. *Circa idem tempus* (ait Otto) *pudenda confuſio Eccleſiæ Dei in urbe Româ fuit: tribus ibi invaſoribus (quorum unus Benedictus dicebatur) ſedẽ illã ſimul occupantibus: atq́; ad maioris miſeriæ cumulũ diviſis ſimul cum redditibus Patriarchÿs, uno ad ſanctum Petrum,*

Petrum, altero ad ſanctam Mariam maiorem, tertio, id eſt, Benedicto, in Palatio Lateranenſi ſedente, flagitioſam & turpem vitam (ut egomet in Vrbe, Romanis tradentibus audivi) duxêre. Hunc miſerrimum ſtatum Eccleſiæ, religioſus quidam presbyter, Gratianus nomine, videns, zeloque pietatis matri ſuæ compatiendo, animadvertens, præfatos viros adijt, eiſque à ſede ſanctâ cedere, pecuniâ perſuaſit; Benedicto redditibus Angliæ, quia maioris videbatur auctoritatis eſſe, relictis. Ob ea cives præfatum presbyterum tanquam Eccleſiæ Dei liberatorem, in ſummum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium * *ſeptimum vocaverunt.* [q] Waltramus Naumburgenſis Epiſcopus & [r] Sigebertus monachus Gemblacenſis, rem ita narrant. *Benedictus ſimoniacè papatu Romano invaſo, cùm eſſet rudis literarum, alterum, ad vices Eccleſiaſtici officij exequendas, ſecum Papam conſecrari fecit. Quod cùm multis non placeret, tertius ſuperducitur, qui vices duorum expleret Romæ. Vno itaque contra duos, & duobus contra unum de papatu altercantibus, Rex Henricus Conradi F. contra eos Romam vadit: & eis canonicâ & imperiali cenſurâ depoſitis, Suidgerum Babenbergenſem Epiſcopum Papam fecit, qui & Clemens, Romanæ Eccleſiæ CXLVI. vocatus eſt. Et viciſsim ab eo Rex Henricus in Imperatorem benedictus eſt: iurantibus Romanis, ſe ſine eius conſenſu, eiusque ſucceſſorum, nunquam Papam electuros.*

* Sextum

[q] *Waltram. de Inveſtiturâ Epiſcoporum: cum alijs authorib. de Iurib. Imperij, edit. Baſil. an. 1566. pag. 716. 717.*

[r] *Sigeb. Chron. ann. 1046. & 1047.*

20 De morte hujus Benedicti apud authores altum eſt ſilentium: ſi Bennonem fortè exceperis, qui *Theophylactum in ſylvis à Dæmone ſuffocatum* aſſerit. De conditione verò quam poſt mortem ſubiit, apud Petrum Damiani [s] in Epiſtolâ ad Fratres eremi ex relatione Humberti Epiſcopi Silvæ candidæ, extat narratio planè τερατώδης: quam quia monſtrum hoc hominis

[s] *Petr. Damian. epiſt. 5. cap. 5. tom. 3. Biblioth. Patr.*

nis ſatis bellè nobis depingit, hîc viſum eſt attexere. *Vaclus quidam dum iter ageret; accidit, ut iuxta molendinum equo inſidens pertranſiret. Ecce repentè monſtrum immane conſpexit: quo viſo ſubitus eum terror invaſit, & ſtupefactus intremuit. Videbatur autem monſtrum illud, in aures aſelli caudamq́ue deſinere, cætera urſus erat. Cumq́ue viator ad hoc portentum territus obrigeſceret, fugamq́ue præcipitem formidoloſus iniret; informe prodigium humanæ vocis verba formavit: Noli, inquit, ô vir, expaveſcere. hominem me olim fuiſſe, ſicut & ipſe nunc es, proculdubio crede: ſed quia beſtialiter vixi; poſt finem vitæ, beſtiæ præferre ſpeciem merui. Porrò cùm ille perquireret, quis fuiſſet: Ego, ait ille, ſolo nomine Benedictus fui, qui nuper Apoſtolicæ Sedis apicem indignus obtinui. Inquiſitus autem, quid iam retributionis haberet: Nunc, inquit, uſq́ue ad diem iudicij per dumoſa atque ſqualentia, per ſulphurea loca & fætorem exhalantia, atq́ue incendijs conflagrata, rapior atque pertrahor. Poſt extremum verò iudicium, corpus meum ſimul & animam irremediabilis cruciatus, & gehennalis barathri me irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi recuperationis ſpes in poſterum reſtet. Poſt hæc verò & huiuſmodi verba, diſparuit. Sed cùm ego* (inquit Petrus) *cur ille in hâc ſpecie conſpectus ſit, indagare quæro; non deeſſe myſterium ab eo quod viſum eſt, deprehendo. Nam quia miſerabilis ille, ab ipſo Pontificatus primordio uſq́ue ad finem vitæ, in luxuriæ cæno converſatus eſt: non incongruè viſus eſt & ab auribus incipere, & in caudam aſini terminare. Aſinus quippe luxurioſum eſt animal: ſicut Propheta deſignat, cum de carnis immũditiæ deditis ait:* "Et carnes aſinorum carnes eorum. *Quod autem per cætera membra, urſi tenebat ſpeciem; vitam in omnibus docetur duxiſſe carnalem. Nam ſicut à Phyſicis traditur, urſa cùm parit, non catulum, iuxta*

Vid. Martinum Polonum in Chronic. Platinam, Stellam, &c. in Bened. IX.

"Ezech. 23.20

conſuetudinem

conſuetudinem beſtiarum, ſed fruſtum carnis effundit: mox quod effuſum eſt, crebriùs lingendo & lambendo componit; ſicq́; ad ſui ſimilitudinem linguâ formante producit. Iurè igitur, quia luxuriosè & carnaliter vixit, in aſini ſimilitudine & urſi figurâ comparuit.

21 Hæc, ſi Humberto credimus, fuit viſio; & hæc, ſi Petrum Damiani audire volumus, interpretatio ejus: cujus utriuſque fide authoribus relictâ, priuſquàm ab hoc Pontifice diſcedam (quem ut *ignavum & nullius pretij*[t] Platina & Stella, *probroſum & infamem*[u] Volaterranus, *hominem nefarium* perſtringit [x] Baronius) hoc præterire non poſſum, quod à quibuſdam ſcriptoribus annotatum invenio; ejus tempore, [y] *Cardinalium* nomen in pretio eſſe cæpiſſe. Nec parvam ſanè eo tempore Cardinalium fuiſſe authoritatem, ex Polonicæ legationis hiſtoriâ, à Ioh. Longino commemoratâ, intelligitur. Bohemorum enim Duce Brzetiſlao de Gneſnenſis templi ſpoliatione à Polonis apud Benedictum IX. poſtulato, quum pro Polonis pronuntiâſſet Pontifex, *pleroſq́; Cardinalium* (inquit Longinus) *Nuntij Bohemorum adeunt, pluribuſq́; largitionibus & promiſsis illos ſollicitant, ut ſuis conſilijs & ſuffragijs decretum Apoſtolicum de reſtituendis ſanctuarijs Eccleſiæ Gneſnenſi reſcindant; aut ſi reſcindere non poſſent, reſpectibus aliquibus, executionem eius ſuſpendant. Ineſcati Cardinales pretijs, & precibus, cæptam in ſacrilegium Principemq́; ſeveritatem & ipſi remittunt, & Pontifici remittendum perſuadent.* De ijſdem Leo IX. in epiſtolâ ad Michaëlem & Leonem Acridanum [z] *poſt mille ac fermè viginti à Paſsione Salvatoris noſtri annos* ſcriptâ, ita meminit: *Sicut cardo immobilis permanens, ducit & reducit oſtium: ſic Petrus, & ſui ſucceſſores liberum de omni Eccleſiâ*

Sub Pontifice nullius pretij, Cardinalium nomen in pretio eſſe cæpit.

[t] *Plat. & Stel. in Bened. IX.*

[u] *Volater. Anthropolog. lib. 22*

[x] *Baron. Annal. tom. 11. an. 1054. §. 54.*

[y] *Genebrard. Chronograph. lib. 4. Balæus de Act. Rom. Pontif. lib. 5. num. 87.*

Baron. ann. 1039. §. 5.

[z] *Leo IX. epiſt. 1. cap. 5. & 32.*

cleſiâ habent iudicium, cùm nemo debeat eorum dimovere ſtatum: (quia ſumma ſedes à nemine iudicatur:) unde clerici eius Cardinales dicuntur, cardini utiq́ illi, quo cetera moventur, viciniùs adhærentes.

22 Acceſſit deinde, exacto à paſſione Servatoris anno ſupra milleſimum viceſimo & ſexto, Nicolai II. in Lateranenſi Concilio de Romani Pontificis electione edita conſtitutio, [a] quâ Cardinalibus Epiſcopis, quòd in *electo Epiſcopo ad Apoſtolici culminis apicem provehendo, Metropolitani vice fungerentur*, in eodem eligendo primæ partes ſunt delatæ. Statutum enim, *ut obeunte Romanæ Eccleſiæ univerſalis Pontifice, inprimis Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè ſimul de electione tractarent*, ipſi deinde ceteros *Cardinales adhiberent*, ſicque *reliquus Clerus & populus ad conſenſum novæ electionis accederet*: ſalvo tamen Imperatori debito honore & reverentiâ. Itaque altero pòſt anno defuncto Nicolao, cùm Hildebrandi operâ Anſelmus Lucenſis, auctoritate verò Cæſaris Henrici Cadalous Parmenſis epiſcopus electus eſſet Pontifex: contra ordinationem Antipapæ à Cæſare conſtituti obijcit Cardinalitij collegij princeps Petrus Damiani; quòd *electio per Epiſcoporum Cardinalium fieri debeat principale iudicium; ſecundo loco iure præbeat Clerus aſſenſum; tertio popularis favor attollat applauſum; ſicque ſuſpendenda ſit cauſſa, uſque dum regiæ celſitudinis conſulatur auctoritas, niſi* (ſicut in Anſelmi electione contigiſſe innuit) *periculum fortaſſis immineat, quod rem quantocyùs accelerare compellat.* Et, ipſum Cadaloum compellans: *Quid tibi*, inquit, *de Cardinalibus videtur Epiſcopis? qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam alijs prærogativis, non modò quorumlibet Epiſcoporum,*

[a] *Gratian. diſtinct. 23. ca. 1. In nomine tom. 3. Concil. part. 2. pag. 1666. edit. Binij.*

Baron. Annal. tom. 11. an. 1061. § 9. 16.

rum, ſed & Patriarcharum, atq; primatuum iura tranſcendunt. Salvo quippe univerſalis Eccleſiæ ſacramento, iſti ſunt oculi unius lapidis, id eſt, Romanæ Eccleſiæ, de quibus per Zachariam dicitur: [b] *Ecce lapis, quem dedi coram Ieſu; ſuper lapidem unum ſeptem oculi ſunt. Ipſi lucernæ unius candelabri; de quibus ipſe poſtmodum loquitur dicens:* [c] *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ſuper illud. Ipſi ſunt & candelabra, in quorum medio Ieſus,* [d] *iuxta beati Iohannis verba, diſcurrit,* &c.

[b] Zachar. 3.9.

[c] Zachar. 4.2.

[d] Apocal. 1.1.

23 Tandem excluſo à Pontificis electione tum Imperatore tum populo Romano [e] (quòd ſcilicet, *Docendus eſſet populus, non ſequendus*; ac, *Maior eſſet dignitas legis, quæ regitur Spiritu ſancto, quàm legis ſecularis:*) cùm ad ſolos Cardinales tota res rediјſſet; non Epiſcoporum modò, ſed Presbyterorum etiam atque Diaconorum Cardinalium novus exortus eſt principatus; atque hujuſmodi verborum formula in eorum creatione à Pontifice demùm uſurpata. [f] *Eſtote fratres noſtri, & Principes mundi.* vel (ut Pius II. primos à ſe creatos Cardinales affatus eſſe dicitur: [g]) *Maximâ, dilectiſſimi Filij, & excellentiſſimâ dignitate donati eſtis: ad Collegium Apoſtolicum vocati, conſiliarij noſtri & coniudices orbis terrarum eritis: inter cauſſam & cauſſam, inter ſanguinem & ſanguinem, inter lepram & lepram diſcernere vos oportebit: ſucceſſores Apoſtolorum circa thronum ſedebitis. Vos Senatores urbis &* REGUM *ſimiles eritis veri mundi Cardines, ſuper quos militantis oſtium Eccleſiæ volvendum ac regendum eſt.* Parùm erat Romano Pontifici, quòd ab hominibus coleretur ut *Apoſtolicus*, vel etiam ut *Apoſtolus* (quo nomine in codicibus municipalis Anglorum Iuris paſſim appella-

[e] *Iohan. Baconthorp. in Prologo 4. Sententiar. quæſt. 10.*

[f] *Auguſt. Triumph. de pot. ſt. Eccleſ. quæſt. 8. artic. 4. Antonin. Summ. part. 3. tit. 21. cap. 1. §. 2.*

[g] *Sacrar. Ceremoniar. Rom. eccleſ. lib. 1. ſect. 8. cap. 3.*

[h] Hebr. 3. 1.

tum invenimus:) ni æmulum ſe oſtenderet [h] *Apoſtoli & Pontificis profeſſionis noſtræ Chriſti Ieſu.* Petrus Damiani in epiſtolâ ad Coëpiſcopos Cardinales, explicans myſteria Eccleſiæ Lateranenſis (quæ Romani Pontificis [i] *Eccleſia parochialis* eſt) poſtquàm dixiſſet, [k] Eccleſiam hanc *culmen ac ſublimitatem totius Chriſtianæ religionis effectam, Eccleſiam eſſe Eccleſiarum, & Sancta Sanctorum; ſummam illam & univerſalem Eccleſiam, quæ omnem ambitum totius orbis amplectitur, omnes qui ſalvari appetunt in maternæ pietatis gremio confovet & tuetur:* addit. *Hâc Ieſus Sacerdos, ſummus videlicet Pontifex, arce ſubnixus, totam in orbe terrarum Eccleſiam ſuam in Sacramenti unitate confœderat, ut unus Sacerdos, una meritò credatur Eccleſia. unde per Prophetam dicitur:* [l] *Ecce vir, Oriens nomen eius, & ſubter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Et ipſe conſtruet templum Domino & portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo.*

[i] Anton. Sum. part. 3. tit. 21. cap. 2. §. 6.
[k] Baron. Annal. tom. 11. an. 1057. §. 27.
[l] Zachar. 6. 12. 13.

24 Apoſtolos inſtituerat Chriſtus, eiſque thronos promiſerat, [m] in quibus ſedentes judicarent duodecim tribus Iſraël. Viſum igitur & Antichriſto novum *Collegium Apoſtolicum* conſtituere, Apoſtolorum loco tradito Cardinalibus *Anteceſſoribus Apoſtolorum* (ſic enim appellat [n] Manfredus) qui *circa thronum* ejus ſedentes, *Orbis terrarum* cum eo forent *conindices.* Verùm [o] *exploravimus eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt; & comperimus eos mendaces.* Comperimus iſta [p] *clariſſima Eccleſiæ lumina* non priùs noſtro effulſiſſe cælo, quàm [q] *ſtellâ è cælo cadente in terram*, apertus eſt puteus abyſſi, atq; à fumo ejus Sol & aër obſcuratus. Comperimus novos iſtos *Mundi Principes*, non priùs exortos, quàm è carcere ſuo emiſſus eſt *Mundi Princeps*, id eſt

[m] Luc 22. 30.
[n] Manfr. in tract. de Card. cap. 6.
[o] Apocal. 2. 2.
[p] Pius V. conſtitut. 36. in Bullario à P. Matthæo edit. pag. 617.
[q] Apoc. 9. 1. 2.

eſt, Diabolus. Comperimus hiſce [r] *baſibus templum Dei*, non priùs fuiſſe innixum, quàm [s] *in Templo Dei* tanquam Deus conſedit homo ille peccati, filius ille perditionis. Comperimus denique ab iſtis qui [t] *in Eccleſiâ Catholicâ Salvatoris noſtri Collegium Apoſtolicum ſub purpureâ cruentaq́ veſte imitari gloriantur*, non priùs [u] *ſacroſanctam militantem Eccleſiam tanquam purpureo totam decoratam eſſe amictu* (ſic enim loquitur Leo Papa 10.) quàm [x] purpurata meretrix, coccinæ inſidens beſtiæ, vino ſcortationis ſuæ inebriavit incolas terræ.

25 Nam quòd Cardinalis Bellarminus, [y] electionis Pontificiæ *revocationem ad paucos, & eminentiam, quæ inde ſequuta eſt Cardinalium, tam recentem eſſe* negat, *ut nova dici poſſit; cùm anni quingenti, vel ſexcenti ab eo tempore numerentur*: ſciat, hominum prudentum judicio id merito ac jure in religione cenſeri novum, cujus inſtitutio Chriſti & Apoſtolorum temporibus eſt poſterior; id verò omne noviſſimum & recentiſſimum, quod poſt Satanæ ſolutionem (cujus ſpatium, ut *quingentorum* fuerit annorum, *exiguum* tamen videtur non nobis tantùm ſed etiam * Spiritui Sancto) in Eccleſiam eſt introductum. Quanquam enim non deſint qui ipſos Apoſtolos Cardinalatus munere functos eſſe affirmant, [z] atque hâc *mirabili ratione* (ſic enim ipſi appellant, nec injuriâ) inſtitutionem eam divino jure niti defendunt; quòd Cardinales, Papæ Vicario Chriſti tanquam Principi aſſiſtentes, Apoſtolorum Chriſto aſſiſtentium perſonas repræſentent: (vel, ſi [a] Cameracenſem Cardinalem audire malumus: *Apoſtoli Petro tanquam Papale officium gerenti, aſſiſtebant, tanquam Cardinalatus miniſterium exercentes. de quorum Cardinalatu ſpiritualiter intelligi poſſit illud pro-*

[r] *Cardinales* Templi Dei baſes *appellat Pius V. loco citato.*

[s] 2. Theſſ. 2. 4.

[t] *Iſidor. Moſconius de maieſtat. militantis Eccleſ. lib. 1. part. 1. cap. 5. pag. 102.*

[u] *Leo X. conſtitut. 8. in Bullario à P. Matthæo edit. pag. 208.*

[x] Apoc. 17. 2. 3. 4.

[y] *Bellarm. Apolog. contra Præfat. monitor. R. Iacobi, cap. 4. pag. 34. 35. edit. Rom. ann. 1610.*

* *Vid. infrà ca. 6 §. 3. in explicat. Apocal. 20. 3.*

[z] *Barbat. in d. 1. quæſt. Baſilica, num. 20. & 29. Iſidor. Moſcon. de maieſt. milit. eccleſ. lib. 1. part. 1. cap. 5. pag. 104. 105.*

[a] *Petr. de Aliaco, in tract. de Eccleſiæ & Cardinalium authoritate. parte 1. operum Ioh. Gerſon. edit. Pariſ. an. 1606 col. 899. 900.*

*pheticum : * Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.)* tamen Bellarminus ab ultimâ antiquitate *eminentiam* ſuam Cardinalitiam repetens, neque à Chriſto incipit neque ab Apoſtolis : ſed

Poſt evolutos mille demùm Conſules,

id eſt, poſt emiſſum è carcere ſuo Satanam. quò ſpectat illa Wicclifſi noſtri aſſertio : [b] *Electio Papæ à Cardinalibus per Diabolum eſt introducta.* Et illa : [c] *Quæ maior infidelitas, quam approbare electiones Cardinalium qui ex nobis * indubiè ſunt Diaboli incarnati : quòd ſi eligerent qualemcunque perſonam in Papam, tunc ipſe eſſet Pater beatiſſimus, & immediatus Chriſti vicarius. Hæc autem hæreſis loco ſortis Apoſtolorum, quâ elegerunt Matthiam, per diabolum introducta, ponit zizania ad Catholicos in fide catholicâ diſcordandum. Medicina ergo foret, tales electiones, cum non ſint Apoſtolicæ, refutare.* Neq; verò ignoro iſtam Wicclifſi propoſitionem in Conſtantienſi concilio damnatam eſſe à factione Pontificiâ: ſed ſcio etiam (quod [d] Cameracenſis Cardinalis tacere non potuit) in eodem Concilio eorum opinionem aliquos reſuſcitare auſos eſſe, qui *ſtatum Cardinalium,* utpote *inutilem & damnoſum, nec ab Apoſtolis vel Concilijs inſtitutum, & ſine cauſſâ rationabili uſurpatum, tanquam oneroſum Eccleſiæ, extirpandum eſſe dixerunt.*

26 Et iſti tamen ſunt in quibus (ſi Romanæ ſedis [e] aſſentatoribus credimus) *Maieſtas Reipubl. Chriſtianæ reſidet ; Vicem gerentes Apoſtolorum ; Orbis cardines ; Eccleſiæ columnæ, capita, lumina ; lucernæ ardentes ; Candelabra lucis, decoris, præſtantiæ atque ſplendoris ; ſtellæ fixæ in cœlo ; Patres conſcripti in Diademate Principis ;* DIVI, *Venerabiles, Reverendiſſimi, Religioſiſſimi, Splendidiſſimi, illuſtres, ſuperilluſtres, illuſtriſſimi, item maximi, potentiſſimi ;*

* 1. Sam. 2. 8.

Trudent.

[b] *Wicliff. artic. 40. in Concil. Conſtantienſ. ſeſſ. 8.*

[c] *Wicliff. in Speculo militantis Eccleſiæ cap. 10. Ms. in Bibliothecâ Regiâ Weſtmonaſter. Orthuin. Grat. Faſcic. rer. expetend. & fugiend. fol.* 137. *d. e.*

* *al.* dubio

[d] *Petr. de Aliaco, in lib. de Reformat. Eccleſ.*

[e] *Iſidor. Moſcon. de maieſt. milit. eccleſ. lib. 1. part. 1. cap. 5. pag. 113. Anaſtaſ. Germonius, de ſacrorum Immunitatib. lib. 3. cap. 6. § 70.*

mi; Seniores populi, Senatores & Patritij maximi, Principes, REGES denique. Nec mirum ſanè cuiquam videri poteſt, ſi Romanus Pontifex ſeipſum ſupra Reges omnes efferens, etiam *membra* ſua (ſic enim appellantur Cardinales;[f] ***adeò Papæ annexi, quòd tanquam pars corporis ipſius, ſanguinem de eorum corpore non minuunt inconſulto Papa:***) ſupra Principes omnes evexerit, atque[g] *Cardinalatus celſitudinem ac ſplendorem dignitati* REGIAE comparaverit. quâ de re extat ineptiſſima Cardinalis Bellarmini diſputatio, in Apologiæ adverſus Sereniſſimi Regis noſtri Præfationem Monitoriam editæ 4°. capitulo, quod *De comparatione Regis & Cardinalis* eſt inſcriptum. quæ quoniam à doctiſſimo Epiſcopo Elienſi, pro eo ac merebatur, eſt excepta, verbum non addam; ſed Romanos hoſce regulos, Nicolai Clemangii Archidiaconi Baiocenſis oratione ſalutatos tandem dimittam. *Cardinalium* ([h] ait ille) *qui Papæ aſſident ſpiritus, verba tumentia, geſtus tam inſolentes; ut ſi artifex quiſq́ vellet Superbiæ ſimulacrum effingere, nullâ congruentiùs ratione id facere poſſet, quàm Cardinalis effigiem oculis intuentium obiectando. ex ſortis tamen infimæ Clericatu in hanc elationem cum ſedis Apoſtolicæ pompatus incremento, pervenerunt: quippe quibus id olim erat negotij, ut efferendis mortuis, ſepulturæq́ mandandis inſervirent. Nunc verò phylacteria ſua in tantum dilataverunt, ut non modò Epiſcopos (quos epiſcopellos ſolent paſſim vocare) ſed Patriarchas, Primates, ſed Archipræſules velut infra ſe poſitos deſpiciant, imò ſe iam ab illis ſupplicibus propemodum adorari ſinant, quinetiam* REGES *ipſos æquiparare contendant.*

[f] *Gondiſ. à Villadiego, in trac. de orig. Card. quæſt. 5. num. 13. Iſidor. Moſcon. loc. citat. pag. 114. 139.*

[g] *Sixtus V. in conſtitut. 50. de creatione Cardinalium. Ioh. Franciſc. Leo, in Theſauro fori Eccleſiaſtici, part. 1. cap. 2. §. 2.*

[h] *Nic. Clemang. in lib. de corrupto Eccleſiæ ſtatu. Vid. eiuſd. lib. contra Annatas, in Ort. Gratij Faſcicul. fol. 192. d.*

CAP.

Cap. V.

De ſtatu rerum poſt annum ab Hieroſolymitano excidio milleſimum, ubi de Pontificatu Gregorii VII. ſive Hildebrandi, in quo ad ſuam ἀκμὴν pervenit Antichriſtus: ac doctorum de fundato per hoc tempus Imperio Pontificio & ſoluto Satanâ judiciis.

1 POſt exactos ab Hieroſolymitano excidio annos *mille*, à [a] Turcis captus eſt in prælio Imperator Orientis Romanus Diogenes, Aſia minor invaſa, Antiochia occupata, Aſiaticæ Eccleſiæ devaſtatæ, Oriens denique ſubactus. Hiſtoriam, quia cum primis memorabilis eſt, ex Guilielmo Tyrenſi archiepiſcopo, qui eam in 1. libro Belli Sacri cap. 9. copioſè deſcripſit, viſum eſt apponere: *Regnante apud Græcos Romano, qui cognominatus eſt Diogenes, & cum omni proſperitate Conſtantinopolitanum adminiſtrante Imperium, egreſſus eſt de intimis finibus Orientis, Perſarum & Aſſyriorum Satrapa potentiſſimus,* [*] *Belpheth nomine, infinitam incredularum nationum ſecum trahens multitudinem, quæ numerum diceretur excedere, & univerſam terræ ſuperficiem operiret. Aſcendens ergo in curribus, & equis, in gregibus, & armentis, & magnifico nimis apparatu, fines ingreſſus eſt Imperij, cuncta ſibi ſubijciens à ſuburbanis campeſtribus, uſque ad urbes muratas & oppida munitiſſima. Non erat qui reſiſteret; non erat qui pro ſalute, pro liberis & coniugibus, & (quod gravius eſt) pro libertate contendens, ſe opponeret. Interea nunciatur Imperatori gladius incumbens, vis maior, & hoſtilis exercitus Chriſtianum devaſtans imperium: qui pro republica ſollicitus, expeditiones convocat equitum, & peditum colligit copias, quantas imminens compellebat neceſſitas, & quantas univerſum Imperium poterat miniſtrare. Quid plura? Congregatis legionibus & equitatu copioſo hoſtibus procedit obviam; & Imperij penetralia*

[a] *Onuphr. Panvin. Faſtor. lib. 4. Genebrard. chron. lib. 4. Ioh. Scyllitza Curopalates in Hiſtoriarum compendio. Ioh. Zonaras, Annal tom. 3.*

[*] Axan *ſive* Aſam *Sultanum, appellat Ioh. Curopalates & Zonaras.*

tralia, iam tenenti, & ad interiora iam progreſſo, in manu forti, ſed favore divino deſtitutus occurrit. Certatur utrinque acerrimè, & copijs penè paribus, ſed odijs maioribus, qualia ſacrilegij dolor & Zelus fidei ſolet ſuggerere. Quid multa? Perit Chriſtianus exercitus, fidelium proſternitur acies; ſanguis, Chriſti redemptus ſanguine, ab impijs effunditur; quodq́; miſerabilius eſt, capitur Imperator. Redit qui evaſerat particulatim exercitus, confuſionem, quæ acciderat nuncians. Conſternati ſunt qui hoc audierunt, in gravia ſe dantes lamenta, & de vitâ & ſalute deſperantes.

2 *Interea vir infidelis, ſed magnificus, de tanto elatus ſucceſſu, & de collatâ victoriâ factus ſublimior, Imperatorem ſibi præcepit præſentari; & in contumeliam nominis & fidei Chriſtianæ ſedens in throno regio, eum mandat pedibus ſubijci; & ſcabelli vice, coram poſitis Principibus, aſcendens & deſcendens, corpore utitur Imperiali: tandemq́; pro tanto obſequio eum libertati reſtituens, cum paucis ex ſuis magnatibus, qui cum eo capti fuerant, abire permiſit. Hoc verò audientes Principes Imperij, alium ſibi præficiunt: indignum arbitrantes, ut qui tam indigna in proprio pertulerat corpore, in ſceptris ageret, & dignitate fungeretur Auguſtali: inſuper privatum oculis, & ignominioſè tractatum, vitam vix indulſerunt agere privatam. Princeps autem ſupra nominatus, propoſito liberè ſatisfaciens ſuo, univerſas à Laodicia Syriæ uſq́; ad Helleſpontum, qui Conſtantinopoli præterlabitur, itinere dierum triginta in longitudine, decem verò, vel quindecim in latitudine, occupavit regiones, cum ſuis civitatibus & municipijs, univerſo populo captivato. " Tradidit eos Dominus in manus inimici, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. Inter quas nobilis & eximia provinciarum multarum moderatrix, princeps ciuitas, principis Apoſtolorum ſedes prima,* * *capta eſt; ſed noviſſima; & facta eſt in-*

" Pſal. 106.41

* Antiochia. *Vid. Sigebert. Chronic. ann.* 1079.

fidelibus ſerviens ſub tributo. Sic igitur Cœleſyriam, utramque Ciliciam, Iſauriam, Pamphyliam, Lyciam, Piſidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, & utrunque Pontum, Bythiniam, & Aſiæ minoris partem, nobiles provincias, & omni commoditate inſignes, plebibus refertas fidelibus, infra modicum tempus in ſuam iuriſdictionem recepit; captivans populos, eccleſias deijciens, & cultum Chriſtianum furore perſequens exterminato. Quòd ſi copiam habuiſſet navium, ipſam urbem regiam ſibi procul omni dubio ſubieciſſet. Tantam enim Græcis incuſſerat formidinem, ut vix regiæ civitatis ſe crederent mœnibus; & maris interpoſiti non ſatis tutum arbitrarentur præſidium.

3 Nec majorem Eccleſijs cladem in Oriente attulit Turcarum furor & violentia, quàm in Occidente Eccleſiaſtici ordinis negligentia & nequitia; quæ circa hæc tempora tanta fuit, ut literas ex inferno miſſas commenti ſint quidam, [b] *in quibus Satanas & omne contubernium infernorum omni Eccleſiaſtico cœtui gratias emiſit: quòd cùm in nullo ſuis voluptatibus deeſſent, tantum numerum ſubditarum ſibi animarum, ſua prædicationis incuriâ, paterentur ad inferna deſcendere, quantum ſecula nunquam retroacta viderunt.* Auxit malum, dirum illud ſchiſma, quod inter Imperatorem & Pontificem Romanum, inter Antipapas & Anticæſares, ſtatim eſt ſecutum. [c] *cumque priùs infelix mundus in maligno poſitus, vias ſequeretur periculoſas & inutiles; huius ſchiſmatis occaſione ad deteriora declivus, omnem Dei & hominum poſt tergum dederat reverentiam.* Unde de horum diſſenſionibus ſcribens Sigebertus Gemblacenſis: [d] *Hinc,* ait, *in Eccleſiâ ſcandala, & in Regno augeſcunt diſſidia, dum alter ab altero diſſidet; dum regnum & ſacerdotium diſſentit; dum alter alterum excommunicat, alter alterius*

[b] Mat. Paris Hiſtor. ann. Dom. 1072.

[c] Guil. Tyrius lib. 1. Bell. ſacr. cap. 13. Antonin. Chronic. tit. 16. cap. 1. §. 21.

[d] Sigebert. Chronic. ann. 1088.

us excommunicationem, aut ex cauſſa aut ex perſonæ præiudicio deſpicit: & dum alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex ſuo libitu, quàm ex iuſtitiæ reſpectu abutitur, auctoritas illius, qui dedit poteſtatem ligandi ac ſolvendi, omnino deſpicitur. Nimirum, ut pace omnium bonorum dixerim, hæc ſola novitas, ne dicam hæreſis, necdum in mundo emerſerat, ut Sacerdotes illius, * *qui dicit Regi Apoſtata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quòd malis Regibus nullam debeant ſubiectionem, & licèt ei ſacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen fidelitatem debeant, nec periuri dicantur qui contra Regem ſenſerint; imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, à noxâ iniuſtitiæ & periurij abſolvatur.* De eâdem calamitate agens [c] Onuphrius Panuinius: *Huiuſmodi* (inquit) *rerum occaſione pernicioſiſsima ſeditio, & hæreſis omnium peſtilentiſsima Chriſtianum populum hoc tempore maximè pervagata eſt: & orbis terrarum, ſi unquam, hâc tempeſtate à cardine bellorum procellis iactatus eſt; & genus humanum undiq; armorum turbine involutum fuit, ita ut nullius ſchiſmatis tempore graviora Eccleſiam pericula, & calamitates paſſam fuiſſe legamus.* Addit Ioh. Aventinus, "Annalium Boiorum, lib°. 5°. *Falſi tum prophetæ, falſi apoſtoli, falſi ſacerdotes emerſere, qui ſimulatâ religione populum deceperunt; magna ſigna atque prodigia ediderunt; & in templo Dei ſedere, atq; extolli ſuper omne id quod colitur, cœperunt: dumq; ſuam potentiam dominationemq; ſtabilire conantur, charitatem, ſimplicitatem Chriſtianam extinxerunt. --- Plerique omnes boni, aperti, iuſti, ingenui, ſimplices, tum Imperium Antichriſti cœpiſſe, quòd ea quæ Chriſtus ſervator noſter tot annos antè nobis cantavit, eveniſſe eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidere.*

* Iob 34. verſ. 18. 30.

[c] *Vita Gregor. VII. ex lib. 4. Onuphr. Panuin. de variâ creatione Rom. Pontif. à Iac. Gretſero edit. ad calcem 2. tomi Defenſ. Bellarm. col. 273.*

" *edit. Ingolſtad. an. 1554. pag. 591.*

4 Sed calamitoſiſſimam hanc tempeſtatem nemo deſcribit copioſiùs, quàm Waltramus Naumburgenſis Epiſcopus; vel quicunque author fuit Apologetici operis *De unitate Eccleſiæ* ex Fuldenſi Bibliothecâ ab Ulrico Hutteno in lucem editi. [f] *Inter* Hildebrandum Papam (ait ille) *& inter Regem Henricum graves ortæ ſunt atq; inexorabiles diſcordiæ: Papâ plurimum annitente, ut Rex deponeretur à Regiâ poteſtate pariter & dignitate; Rege verò contranitente, ut defenderet ſe ab hoſtium ſuorum circumventione, qui pro parte eiuſdem Papæ certantes quærebant eum opprimere. Exinde diviſa eſt Eccleſia, & diviſa ſunt Eccleſiæ ſacerdotia, atq; omnia ſcandalorum orta ſunt genera: exinde crevit grave & diuturnum bellum, & non ſolùm civile bellum, ſed & pluſquam civile bellum, & factæ ſunt abſq; divino pariter & humano reſpectu vaſtationes Eccleſiarum, & cædes hominum: exinde etiam corruptæ ſunt divinæ pariter & humanæ leges, ſine quibus non ſubſiſtit vel Dei eccleſia, vel Imperij reſpublica; & exinde violata eſt fides & publica & catholica exinde etiam illa crevit iniuſtitia, ut pro veritate falſa teſtimonia, & pro fide catholicâ abundent periuria; ut poſtquàm leges bello ſiluere coactæ, impleatur iam iſta Domini ſententia per Oſee Prophetam. Non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non ſcientia Dei in terrâ: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Item: [g] *Ecce quidam Epiſcopi ſeceſſerunt in partem Hildebrandi, habentes eam pluris pretij quàm univerſitatem catholicæ Eccleſiæ Dei. Ex quo factum eſt, ſeminante inimico homine in agro Dominico multorum ſcandalorum zizania, ut in Epiſcopijs eorum fierent non iam baptiſteria, ſed homicidia; non ſacri chriſmatis conſecratio, ſed humani ſanguinis effuſio;*

[f] *Germanic. ſcript. à M. Frehero edit. Francofurt. ann.* 1600 *pag.* 180

[g] *Ibid. pag.* 195

ſio; non alia quælibet Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſolent fieri per Epiſcopos Dei, ſed execramenta, quæ ſolent fieri per miniſtros Diaboli: qui (ſicut Sanctus Cyprianus Epiſcopus ſcribit) videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitavit novam fraudem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos; hæreſeſq́ue invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, corrumperet veritatem, ſcinderet unitatem. Denique (inquit [h] author) *ipſe Diabolus videtur nunc de carcere ſuo ſolutus eſſe: poſtquam, ſicut ſcriptum eſt in Apocalypſi,* * *exivit nationes ſeducere, & in bellum trahere, quas antea modis, quibus poterat, per mala multa & varia ſeducebat.*

[h] *Ibid. pag.* 216.

* Apoc. 20. 7. 8

5 Similiter Leodienſis Eccleſia,[i] ad epiſtolam Paſchalis II. Papæ reſpondens: *Ecce* (inquit) *ſolutus eſt Satanas, habens iram magnam; quem exterreat valida manus Dei.* Et paulò pòſt: *Hildebrandus Papa author eſt huius novelli ſchiſmatis, & primus levavit Sacerdotalem lanceam contra diadema Regni.* Sed & Lambertus Schafnaburgenſis, partis Hildebrandinæ monachus, in anni 1076. hiſtoriâ: *Iam ſolutus carcere ſuo Satanas non ſolùm corporali, ſed & ſpirituali armaturâ oppugnabat pacem eccleſiaſticam; & quorum corpora iugulabat, animas quoq́ue ne in æternum viverent extinguere ſatagebat.* & Gerhohus Reicherſpergenſis in ſuo de Inveſtigatione Antichriſti Syntagmate (unde excerpta quædam Gretſerus nuper edidit:) *Hinc iam cædes,* ait, [k] *hinc membrorum in laicis & clericis truncationes, & oculorum effoßiones: hinc publicæ civium contra cives congreßiones; alijs pro paſtoribus legitimis, alijs verò contra paſtores dimicantibus. Ex eo tempore, à multis fidelibus ac prudentibus impletum, atq́ue impleri cœptum creditur; quod in Apocalypſi*

[i] *Leodienſ. epiſt. tom. 2. concil. edit. Colon. ann.* 1551. *pag.* 814. *b.*

[k] *edit. Ingolſt. ann.* 1611. *pag.* 41.

Iohannis ſic prophetatum eſt: Cùm conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo; & exibit & ſeducet gentes multas, quæ ſunt ſupra quatuor angulos terræ, Gog & Magog, &c.

6 Et ſane *dualitatem illam Papatus, & diſcordiam inter Sacerdotium & Regnum, multum profeciſſe ad ſolutionem Satanæ* (quam jam tum factam eſſe multi prudentes viri, etiam qui in adverſas partes conceſſerant, ex vaticinio Apocalypſeos obſervârunt) facilè Gerhoho concedimus: verùm toto cælo erret neceſſe eſt, cùm per Henricum Regem, potiùs quàm per Gregorium Pontificem, ſolutum Diabolum exiſtimat. Fuit is Henricus ejus nominis III. vel, ut alii numerant, IV. qui [l] *ſexagies & bis acie collatâ dimicâſſe* traditur; *neq; ineruditus neq; ignavus, ſed fato quodam ab omnibus ita impetitus; ut rem religionis tractare ſibi videretur, quiſquis in illum arma produceret.* quemadmodum habet in 3. libro de geſtis Regum Anglorum Guilielmus Malmesburienſis. Gregorius verò, illius nominis fuit Septimus, ante Pontificatum Hildebrandus dictus: quod nomen [m] Paulus Bernriedenſis, Teutonicâ linguâ *peruſtionem* ſignificare ait cupiditatis terrenæ; & ab illo deducit *igne*, de quo locutus eſt Servator, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, niſi ut ardeat?* quod etiam [n] trahit ad *illud famoſum ſomnium*, quo viſum Hildebrando, *quòd ex ore eius ignis exiret, qui totum mundum igniret.* Non tamen diſſimulat, ab aliis longè aliam traditam, & nominis notationem (ab* *infernali* videlicet *titione* deductam) & ſomnii interpretationem; qualem ſcilicet habuit ille Iothami apologus, Iudic. 9. 15. *Exeat ignis ex Cynosbato, & abſumat cedros Libani*: vel Ieremiæ de *ollâ ſuccenſâ* viſio

[l] *Guiliel. Malmesbur. in hiſt. Guiliel. I. Anglorum Regis.*

[m] *Paul. Bernriedenſ. in vitâ Gregor. VII.* edit. Ingolſtad. an. 1610. pa. 19

[n] *Ibid. pag.* 21.

* Hell-brand.

Ierem.

Ierem. 1. 13.) ad quam reſpiciens, qui hiſce temporibus ſcripſit, gravis inprimis author: [o] *Ecce*, inquit, *noſtri temporis Gregorius Papa, qui & Hildebrandt, quum aliquando os ſuum aperuit, Eccleſiam diviſit, & Propheticam ollam ab aquilone intantum accendit, ut per hos XVII. aut eo amplius annos, ubiq́; ſint in regno Romani imperij bella & ſeditiones, Eccleſiarum & monaſteriorum incendia & deſtructiones; & ut ſit Epiſcopus adverſus Epiſcopum, clerus adverſus clerum, populus adverſus populum, immo filius adverſus patrem, & pater adverſus filium, & frater adverſus fratrem.*

7 Factâ enim adverſus Henricum Cæſarem conjuratione, princeps quidem malleolos ad incendendum orbem faceſque comparavit Hildebrandus: deinde pediſſequi ejus, *Odo* (aliis *Urbanus*, [p] Bennoni rectiùs *Turbanus* dictus) à Diabolo [q] ſucceſſor Hildebrandi deſignatus, atque ab Hildebrandinis, [r] *ut incendia Hildebrandi iam defuncti reſuſcitaret*, ſubintroductus; & *Raynerus* monachus, *Paſchalis* II. dictus, cujus eſt illa, in epiſtolâ ad Robertũ Flandrenſium Comitem ſcriptâ, ſeditioſa vox ac ſanguinaria; ut Hildebrandi diſcipulum poſſis agnoſcere. [ſ] *Henricum hæreticorum caput, & eius fautores pro viribus perſequaris. Nullum profectò gratius Deo ſacrificium offerre poteris, quàm ſi eum impugnes, qui ſe contra Deum erexit, qui Eccleſiæ Dei regnum auferre conatur*, &c. Ad quem Leodienſis Eccleſia appoſitiſſimè: [t] *Apoſtolicus, qui hoc ſacrificium belli indicit Roberto filio ſuo, vellet (puto) redire ad zelum Phinees; vellet facere, quod fecit Moſes, ut manus Levitarum conſecret in ſanguine fratrum ſuorum. Perierunt filij Aaron offerentes ignem alienum: utinam non pereat hic, qui etiam modò offert Deo, ignem alienum; & non illum*

[o] *De unitate Eccleſ. pag.* 162 *edit. M. Freheri.*

[p] *Benno in vitâ Hildebrand.*

[q] *Fragment. de vitâ Guilielm. Conqueſt. ex lib. monaſterij S. Stephani Cadomenſis, edit. in Gu. Camdeni Angl. Norman. &c. pag.* 29.

[r] *Apolog. de unitat. Eccleſ. conſervanda. pag.* 195. *edit. M. Freheri.*

[ſ] *Tom.* 2. *Concil. edit. Colon. ann.* 1551. *pag.* 810 *a.*

[t] *Ib. pag.* 816. *b.*

illum ignem, quem venit Ieſus mittere in terram, & vult ut ardeat.

8 An ad priorem partem nominis *Hellebrandini* alluſerit Petrus Damiani,[u] cùm Hildebrandum "*virgam Aſſur, Sanctum* ſuum *Satanam* appellat, equidem neſcio: quod ad poſteriorem attinet, res ipſa clamat, fuiſſe illum furialem Mundi incendiarium; adeoq; ipſum Acheronta moviſſe, ut ad ἀκμὴν demùm perduceretur tyrannis Antichriſti, & ad ſummum imperium efferretur homo ille peccati,[x] *cuius adventus eſt ex efficaciâ Satanæ, cum omni potentiâ, & ſignis, ac prodigijs mendacibus, & cum omni ſeductione iniuſtitiæ in ijs qui pereunt.* De artium Diabolicarum ſtudijs quibus eſt imbutus ab anteceſſoribus ſuis Benedicto IX. & Gregorio VI.[y] *peſſimis magiſtris peior diſcipulus*, plura in Vitâ ejus tradit Benno; atq; hoc inter cætera. *Cùm vellet, manicas ſuas diſcutiebat, & in modum ſcintillarum ignis diſſiliebat: & ijs miraculis oculos ſimplicium, velut ſigno ſanctitatis ludificabat. Et quia Diabolus per paganos Chriſtum publicè perſequi non poterat, per falſum monachum ſub habitu monaſtico, ſub ſpecie religionis, nomen Chriſti fraudulenter ſubvertere diſponebat.* Hiccine uerò *ignis* ille erat,[z] quem Chriſtus *venit miſſurus in terram?* an ille potiùs,[a] quem beſtia Apocalyptica factura erat *è cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum?* Certè ut Spiritus Sanctus de beſtiâ hâc agens, quæ *ſeducit incolas terræ, propter ſigna quæ datum eſt ei ut faciat*, ab igne Eliæ ſermonem mutuari voluit: ita Paulus Bernriedenſis[b] varia Hildebrandi portenta per ignem edita commemorans, Eliæ eum identidem aſſimilat.

9 Quòd autem "*aduentus* ejus fuerit *ex operatione Satanæ,*

[u] *Petr. Damian. tom. 3. Biblioth. Patr. edit. 2. col. 664. 665.*
" Eſai. 10. 5.
[x] 2. Theſſ. 2. 9. 10.
[y] *Benno, in vita Hildebrandi.*
[z] Luc. 12. 49.
[a] Apocal. 13. 13. 14.
[b] *Paul. Bernried. in vita Gregor. VII. pag. 20. 22.*
" 2. Theſſ. 2. 9.

Satanæ, in ſignis & prodigijs mendacibus, non ab uno proditum eſt Bennone, ſed ab Epiſcopis inſuper triginta, qui anno 1080. ex Italiâ, Galliâ & Germaniâ Brixinæ Noricæ convenerunt. In eâ enim Synodo Hildebrandum, [c] *quòd per artem magicam, necromanticam, & Dæmonum ſuffragio ſedem Apoſtolicam invaſerit*, accuſatum; & ut [d] *falſum monachum, magum, divinaculum, ſomniorum prodigiorumq́ue coniectorem* condemnatum, & Cæſarianarum & Hildebrandinarum partium ſcribunt hiſtorici. In Mariani Scoti [e] Chronico legimus, triginta Epiſcopos ab Henrico Cæſare Romanã urbem obſidente congregatos, dixiſſe in Synodo Gregorium *prophanum, ſceleſtum, amatorem diſcordiæ, virum ſanguinum, Sedem Apoſtolicam uſurpâſſe per necromantiam.* A Brixinenſis Synodi Epiſcopis *pſeudomonachum vel necromanticum appellatum* teſtatur etiam lib°. 1°. de geſtis Friderici, cap°. 1°. Otto Friſingenſis epiſcopus. Et ipſa Decreti concluſio conceptis verbis extat à Conrado Liechtenavio abbate Urſpergenſi (& poſt eum à [f] Carolo Sigonio & [g] Onuphrio Panuinio) conſignata. *Divinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco à verâ fide exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum; & niſi ab ipſâ Sede, his auditis, deſcenderit; in perpetuum condemnandum.* Unus repertus eſt Baronius, [h] qui rem in quæſtionem vocare auſus, iſta à Conrado abbate ad decretum Brixinenſe ex Bennone addita pronuntiat. quaſi aut ſolus Brixinenſis Concilij ſententiam aperuiſſet Abbas; aut apud nos Cardinalis Baronij antiquior eſſe deberet quàm Cardinalis Bennonis authoritas.

[c] *Ioh. Trithem. in Chronic. Hirſaugienſ. ann.* 1081.

[d] *Ioh. Aventin. Annal. Boior. lib* 5.

[e] *Marian. Chron. lib.* 3. *an.* 1081.

[f] *Sigon. Hiſtor. de regno Ital. lib.* 9. *an.* 1080.

[g] *Onuphr. in vita Gregor. VII. col.* 268.

[h] *Baron. Annal. tom.* 11. *an.* 1080. § 20.

Q 10 Sive

10 Sive verò dæmoniacorum ſtudiorum cultor Hildebrandus fuerit, ſive non ; illud conſtat ſtudioſiſſimum fuiſſe propagatorem *doctrinæ dæmoniorum*, [i] quæ *matrimonium contrahere* prohibet, & *abſtinere à cibis iubet, quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui norunt veritatem.* Patet hoc ex duabus Synodis, Romæ ſexto Pontificatus ejus anno habitis : in quarum alterâ editus eſt iſte canon. [k] *Quia dies Sabbathi apud ſanctos Patres noſtros in abſtinentiâ celebris eſt habitus, nos eorundem auctoritatem ſequentes, ſalubriter admonemus, ut quicunq; ſe Chriſtianæ religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carnium eâdem die, niſi maiore feſtivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abſtineat.* in alterâ damnatum eſt [l] *ſcriptum quod dicitur ſancti Vdalrici, ad papam Nicolaum, de nuptijs presbyterorum, & capitulum Paphnutij de eâdem re.* Sed de * κληρογαμία, quam *ſpiritu parùm ſancto* (Georgij Wicelij verba ſunt in *Viâ Regiâ*) *Hildebrandus notabiliter actus, ex Eccleſiâ Romanâ ſuſtulit*, Sigeberti Gemblacenſis & Lamberti Schaſnaburgenſis in hiſtoriâ anni 1074. (qui Hildebrandini Pontificatus fuit ſecundus) narrationes operæ pretium fuerit cognoſcere. Sic igitur Sigebertus ; & cum ſecuti alij [m] multi. *Gregorius Papa, celebratâ ſynodo, ſimoniacos anathematizavit, & uxoratos ſacerdotes à divino officio removit, & laicis Miſſam eorum audire interdixit, novo exemplo, & (ut multis viſum eſt) inconſiderato præiudicio, contra ſanctorum Patrum ſententiam,* &c. *Ex quâ re tam grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore ſancta Eccleſia graviori ſchiſmate diſciſſa ſit ; his pro iuſtitiâ, illis contra iuſtitiam agentibus. -- continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modò cauſsâ quæſtus ac iactantiæ ſimulantibus*

[i] 1. Tim. 4. verſ. 1. 3.

[k] *Concil. Rom. V. ſub Gregorio VII. tom. 3. Concil. edit. Binij, part. 2 pag. 1285. Gratian. De Conſecr. diſt. 5. Quia dies.*

[l] *Bertold Conſtantienſ. Chronic. an. 1079.*

* conjugio clericorum.

[m] *Radulphus de Diceto, & Hiſtoria Roffenſis MS. Matth. Paris, & Mat. Weſtmonaſter. ann. 1074. Vincent. Specul. hiſtorial. lib. 25 cap. 45. I. de Columna, apud Antonin. tit. 16 cap. 1. §. 21. Magnum. Chronic. Belgic. à Piſtorio edit. pag. 123.*

lantibus

lantibus, multis incontinentiam periurio aut multipliciori adulterio cumulantibus. adhæc, hâc opportunitate laicis inſurgentibus contra ſacros ordines, & ſe ab omni eccleſiaſticâ ſubiectione excutientibus; laici ſacra myſteria temerant, & de his diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & chriſmate utentes; in extremo vitæ viaticum Dominicum, & uſitatum Eccleſiæ obſequium ſepulturæ, à presbyteris coniugatis accipere parvi pendunt; decimas presbyteris deputatas igne cremant: & (ut in uno cetera perpendas) laici corpus Domini à presbyteris coniugatis conſecratum ſæpè pedibus conculcaverunt, & ſanguinem Domini voluntariè effuderunt; & multa alia contra ius & fas geſta ſunt in Eccleſiâ. Et hâc occaſione multi pſeudomagiſtri exſurgentes in Eccleſiâ, profanis novitatibus plebem ab eccleſiaſticâ diſciplinâ avertunt.

11 Lambertus hiſtoriam ita pertexit. *Hildebrandus Papa cum Epiſcopis Italiæ conveniens, iam frequentibus ſynodis decreverat, ut ſecundùm inſtituta antiquorum canonum, presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur; nec quiſquam omninò ad ſacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamq; cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Epiſcopos Galliarum tranſmittebat, præcipiens, ut ipſi quoq; in ſuis eccleſijs ſimiliter facerent, atq; à contubernio ſacerdotum omnes omninò fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Adverſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait;* [n] *Non omnes capiunt hoc verbum, qui poteſt capere capiat. Et Apoſtolus:* [o] *Qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere quàm uri: violentâ exactione homines vivere cogeret, ritu Angelorum, & dum*

[n] Matt. 19. 11. 12.
[o] 1. Cor. 7. 9.

conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immundiciæ fræna laxaret. Quòd ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe ſacerdotium quàm coniugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus, Angelos comparaturus eſſet. Nihilominus ille inſtabat, & aſsiduis legationibus Epiſcopos omnes ſocordiæ ac deſidiæ arguebat; & niſi ocyùs iniunctum ſibi negotium exequerentur, Apoſtolicâ ſe cenſurâ in eos animadverſurum comminabatur. Archiepiſcopus Moguntinus ſciens non parvo conſtare operam hanc, ut tanto tempore inolitam conſuetudinem revelleret, atq; ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſeneſcentem iam mundum reformaret; moderatiùs agebat cum eis. & primò eis in dimidium annum inducias & deliberandi copiam dedit; hortans eos, ut quod neceſſario faciendum ſit, ſpontè faciant, & tam ſibi quàm Romano Pontifici neceſsitatem adimant aliquid in eos, quod ſecus ſit, decernendi.

12 Ad ultimum congregatâ ſynodo in Erphordiâ menſe Octobri, preſsiùs iam imminebat, ut relegatâ omni tergiverſatione, inpræſentiarum, aut coniugium abiurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent. Multas e contra illi rationes afferebant, quibus inſtantis perurgentiſq; improbitatem eludere, ſententiamq; caſſare niterẽtur. Cumq; adverſus Apoſtolicæ ſedis authoritatem, quâ ſe ille ad hanc exactionem, præter voluntatem propriam compulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplicationes preceſq; proficerent: egreſsi tanquam ad conſultandum, conſilium ineunt, ut in ſynodum non redeant, ſed iniuſsi omnes in domos ſuas diſcedant. Nonnulli etiam confuſis vocibus clamitabant, melius ſibi videri, ut in ſynodum regreſsi ipſum Epiſcopum priuſquàm execrabilem adverſus eos ſententiam promulgaret, cathedrâ Epiſcopali deturbarẽt, & meritâ morte mulctato, inſigne monumentum

mentum ad poſteros tranſmitterent, ne quis deinceps ſucceſſorum eius talem ſacerdotali nomini calumniam ſtruere tentaret. Cùm ad Epiſcopum relatum eſt, hoc eos machinari, commonitus à ſuis, ut tumultum qui oriebatur maturâ moderatione præverteret; miſit ad eos foras, rogavitq́ ut ſedato pectore in ſynodum regrederentur, ſe cùm primum opportunitas arriſiſſet, Romam miſſurum & dominum Apoſtolicum, ſi qua poßet ratione, ab hâc ſententiæ auſteritate deducturum. Addit Lambertus, ſequente anno ab eodem Epiſcopo Moguntiæ congregatam denuò eſſe Synodum. *ubi inter alios* (inquit) *Epiſcopos qui convenerant, aderat Curienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis literas & mandata deferens, quibus ei ſub interminatione gradus & ordinis ſui præcipiebat, ſicut antea quoq́ multis legationibus præceperat, ut presbyteros omnes qui intra ſuam diœceſim, eſſent, cogeret, aut in præſentiarum coniugibus renunciare, aut ſe in perpetuum ſacri altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes, qui undiq́ aßidebant clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & totius corporis geſtu in eum debacchabantur, ut ſe vitâ comite Synodo exceſſurum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps tali quæſtione omninò ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut cauſſam, quam ipſe toties inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum quando vellet, & quomodo vellet, peroraret.* Hæc Lambertus.

13 Videant verò Doctores Pontificii, atque ii inprimis qui ſe Socios Ieſu appellant, ad quos ſpectet illa Bennonis Cardinalis ſententia objurgatoria. *Obſtupeſcant Pſeudoprophetæ ad vocem Petri,* [p] *in facie humani, in caudâ ſcorpiones,* [q] *lupi ſub ovinâ pelle latentes, corpora trucidantes in oris gladio, & animas pariter devorantes,*

[p] Apoc.9.7.10.
[q] Matth.7.15.

tes: quorum RELIGIO nihil aliud redolet, niſi PRODITIONEM & avaritiam; [r] penetrantes domos viduarum captivas duxerunt mulierculas oneratas peccatis, ſub occaſione impacati temporis [s] attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis DAEMONUM, quas accepit Hildebrandus magiſter eorum à magiſtris ſuis, à Theophylacto qui cognominatus eſt Benedictus Papa IX. &c. De noſtri temporis Hildebrandinis non eſt hic dicendi locus: in iſtis, de quibus nunc agimus, [t] denſiſſimis Ægypti tenebris, quando apertus eſt puteus abyſſi & Sol atque aër à fumo ejus obſcuratus, hujus generis Pſeudoprophetæ, in facie humani, in caudâ ſcorpiones (ipſiſſimæ locuſtę Apocalypticæ, quæ ex fumo illo putei exierunt in terram) monachi illi erant, Eccleſiæ & Reipublicæ perturbatores; de quibus in nuper citatâ [u] De Unitate Eccleſiæ Apologiâ ita ſcribit Waltramus. Poſtquàm moti ſunt homines ab Oriente, & receſſerunt à vero lumine, tunc adverſus Deum impietatis ſuæ turrim ædificaverunt, tunc dogmatum ſuperbias confinxerunt, curioſitate volentes non licitâ in ipſius cæli alta penetrare: & vocatus eſt locus ille Babel, id eſt, confuſio. quale myſterium iniquitatis nunc operatur per quoſdam, qui dicuntur Monachi, confundentes Eccleſiam pariter & Rempublicam perverſo dogmate ſuo: qui adverſantur, & extollunt ſe adverſus regiam poteſtatem, & adverſus Apoſtolicam ſedem: putantes legitimum non eſſe regnum, niſi quod per ſcelus fuerit quæſitum; nec idoneum eſſe Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, niſi per quem pandatur omnibus hæreticis ianua & introitus in ovile Dominicum. &c. qui ne pueros quidem vel adoleſcentes permittunt in monaſterijs habere ſtudium ſalutaris ſcientiæ: ut ſcilicet rude ingenium nutriatur ſiliquis dæmoniorum, quæ ſunt conſuetudines humanarum traditionum; ut eiuſmodi ſpurcitijs

[r] 2. Tim. 3. 6.
[s] 1. Tim. 4. 1.
[t] Ott. Friſingenſ. Chronic. li. 6. cap. 36. Apocalypſ. 9.
[u] Germ. ſcript. à M. Frebero, edit. Francof. an. 1600. pag. 228. 233. & 222.

ſpurcitijs aſſuefacti non poßint guſtare quàm ſuavis eſt Dominus. qui dicit in Euangelio de talibus : [x] *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui tuliſtis clavem ſcientiæ. Vos enim (inquit) non intratis, nec ſinitis introeuntes intrare.* [x] Luc. 11. 52.
Item : *Corpus Eccleſiæ* [y] *quaſi capitio tunicæ cingunt, qui conſtrictis doctrinæ ſalutaris prædicatoribus, velut eius collum prementes, in eâ claudere iter vocis volunt. quale ſcilicet myſterium iniquitatis prætendunt plures Monachi in veſte ſuâ; per quos fiunt, & facta ſunt ſchiſmata atque hæreſes in Eccleſiâ : qui etiam à matre filios ſegregant, oves à paſtore ſollicitant, Dei ſacramenta diſturbant : qui etiam Dei traditione contemptâ, alienas doctrinas appetunt, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt.* Et alibi : Diabolus *videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitavit novam fraudem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos : hæreſeſq́; invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, corrumperet veritatem, ſcinderet unitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit novi itineris errore, rapit de ipſâ Eccleſiâ homines : & dum ſibi appropinquâſſe iam lumini, atque evaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras infundit : ut cum Euangelio, & obſervatione eius, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente adverſario atque fallente, qui ſecundùm Apoſtoli vocem* [z] *transfigurat ſe velut Angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros iuſtitiæ : aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti : ut dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.*

[y] Iob. 30. 18.

[z] 2. Corin. 11. 14. 15.

14 Sed redeo ad *Pſeudomonachum, totius veſaniæ peſtiferam*

ſtiferam

ſtiferum Principem; (ita enim [a] Brixinenſis Concilii Epiſcopi appellàrunt Hildebrandum: de quo (ait [b] Onuphrius Panuinius) *comminiſcitur neſcio quis fabulator inconcinnas fabellas: quòd cùm filius eſſet fabri lignarij, ex ſarmentis ordine compoſitis inſcium ipſum has literas ordine conſeruiſſe, quibus adſtans homo literatus legerit, ex eâ compoſitione ſcandularum*; DOMINABOR A MARI USQUE AD MARE. Et tamen Cardinali Baronio [c] ridiculum hoc *leviſſimi hominis* commentum, eſt *præoſtenſum divinitùs ſignum* (*manum pueri ducte ante numine* ſcilicet) quòd Fabri filii futura eſſet *ampliſſima in mundo auctoritas*. ut non humilioris *ſolùm tituli*, *quo Deus Filium ſuum hominem factum voluit inſigniri*, quando *ipſe exinanivit ſeſe formâ ſervi acceptâ*, Hildebrandum ſuum conſortem eſſe voluerit Cardinalis; ſed etiam ſublimis illius *nominis* quod *donavit illi Deus ſupra omne nomen*, intruſo homine peccati in thronum ipſius Chriſti Regis noſtri, de quo illud à Pſalmographo editum eſt oraculum [d] DOMINABITUR A MARI USQUE AD MARE. In Iohannis Aventini ſeptimo Annalium Boiorum libro, Eberhardo Salisburgenſi Epiſcopo iſta tribuitur ſententia: *Hildebrandus ante annos centum atque ſeptuaginta, primus ſpecie religionis* ANTICHRISTI *imperij fundamenta iecit. Hoc bellum nefandum primus auſpicatus eſt, quod per ſucceſſores hucuſque continuatur.* Et libro quinto ita ſcribit ipſe Aventinus: *Hildebrandus, qui & Gregorius ſeptimus, primus Imperium Pontificium condidit, quod ſucceſſores per quadringētos quinquaginta continenter annos, invito mundo, invitis Imperatoribus adeò duxere, ut inferos ſuperos in ſervitutem redegerint, atque ſub iugum miſerint, atque cuncta fulmine perterritent:*

[a] *Conrad. abbas Vſpergenſ. in Chronic. ann.* 1080.
[b] *Onuphr. in vita Gregor. VII. à Gretſero edit. Col.* 234. *Gobelinus Perſona, in Coſmodrom. ætat. 6. ca* 54.
[c] *Baron. ann.* 1073. §. 16.
[d] Pſalm. 72. 8.

Quo

Quo bruta tellus & vaga flumina,
Quo Styx, & inviſi horrida Tænari
Sedes, Atlantæusq́ue finis
Concutitur, mutant ima ſummis.

Utcunq́ue libet de cælo ad inferos præcipitant, rurſus ex inferis ad aſtra tollunt. Iam Imperator Romanus nihil amplius, appellatio modò eſt ſine corpore, ſine ſpecie.

15 Nec minùs clarè Onuphrius Panuinius, quantumvis ſummus authoritatis Pontificiæ atque Hildebrandinæ dignitatis fautor & amplificator. *Huic uni* ([c] inquit) *cùm omnes Latinæ Eccleſiæ, tum præcipuè Romana acceptum referre debet, quòd libera ſit, & ab Imperatorum manu eruta, quòd tot divitÿs, opibus, & profanâ ditione locupletata; quòd Regibus, Imperatoribus, & omnibus Chriſtianis Principibus ſit præfecta: à quo poſtremò, ut omnia verbo uno complectar, maximus iſte, eximiuſque ſtatus, in quo Eccleſia Romana eſt omnium Chriſtianorum domina; cùm antea, tanquam vilis ancilla, non ab Imperatoribus modò, ſed à quovis principe Romani Imperatoris præſidÿs fulto, premeretur: ab hoc maximæ illius & omni ſeculo tremendæ venerandæq́ue Romani Pontificis &* INFINITAE *penè poteſtatis ius manavit. Nam etſi antè Romani Pontifices, tanquam religionis Chriſtianæ capita, Chriſtiq́ue Vicarÿ, & Petri ſucceſſores colerentur; non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel aſſerendis, vel tuendis. Cæterùm Imperatoribus ſuberant; ad eorum nutum omnia fiebant; ab eis creabantur: de eis iudicare, vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Nortmannorum fretus, opibus Comitiſſæ Mathildis mulieris per Italiam potentiſſimæ confiſus, diſcordiaq́ue Germanorum principum bello civili laborantium inflammatus, præter maiorum*

[c] *Onuphr. in vitâ Gregor. VII. col. 271. 272.*

iorum morem, contemptâ Imperatoris auctoritate & poteſtate, cùm ſummum Pontificatum obtinuiſſet, Cæſarem ipſum (à quo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat) non dico excommunicare, ſed etiam regno imperioq́ privare auſus eſt. Res ante ea ſecula inaudita. Nam fabulas, quæ de Arcadio, Anaſtaſio, & Leone Iconomacho circumferuntur nihil moror. Vnde Otto Friſingenſis horum temporum ſcriptor: [f] Lego (inquit) & relego Romanorum Regum & Pontificum geſta, & nuſquam invenio aliquem eorum ante hunc Henricum à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum, &c. [g] Gotfridus Viterbienſis, eodem modo: Ante hunc Imperatorem non legimus aliquem à Romano Pontifice excommunicatum, aut Imperio privatum: niſi fortè illud pro excommunicatione reputetur, quòd Philippus primus Chriſtianus Imperator ad breve tempus à Romano Pontifice inter pœnitentes legitur collocatus; aut illud quod Theodoſius ob cruentam hominum cædem à liminibus Eccleſiæ legitur ſequeſtratus. Et Ioh. [h] Trithemius: Ipſe primus eſt inter omnes Imperatores per Papam depoſitus. Scholaſtici certant, & adhuc ſub Iudice lis eſt, utrum Papa Imperatorem poſſit deponere: quam quæſtionem, cùm ad nos non pertineat, indiſcuſſam relinquamus.

[f] Ott. Friſing. Chronic. lib. 6. cap. 35.

[g] Gotfrid. Viterb. Chronic. part. 17.

[h] Trithem. Chronic. Hirſaug. an. 1106.

16 Addit verò [i] Otto Friſingenſis, non defuiſſe tum qui dicerent, Deum ad hoc Regnum imminui voluiſſe, ut Eccleſiam exaltaret. qui rectiùs dixiſſent, [k] ſublatum è medio, quod retinebat, Imperium; ut ſuo præſtituto tempore revelaretur Antichriſtus, exaltato in Eccleſiâ filio illo perditionis, qui adverſatur & extollitur * ὑπὶ πᾶν τὸ λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα. Sed pergit Otto. Regni quippe viribus, ac beneficentiâ regum exaltatam & ditatam nemo ambigit Eccleſiam: conſtatq́ non priùs eam in tantùm Regnum humiliare potuiſſe, quàm ipſo ob amorem

ſacerdotij

[i] Ott. Friſing. Prolog. lib. 7. Chronic.

[k] 2. Theſſal. 2.6.7.

* ſupra omne quod dicitur Deum, aut Auguſtum, vel numen. 2. Theſſal. 2.4.

ſacerdotij eviſcerato, ac viribus exhauſto, non eius tantùm, id eſt ſpirituali, ſed ſuo proprio, materiali ſcilicet gladio percuſſum deſtruetur: quod iudicare, vel diſcutere, ſupra noſtras vires eſt. Videntur tamen culpandi Sacerdotes per omnia, qui Regnum ſuo gladio, quem ipſi ex regum habent gratiâ, ferire conantur: niſi fortè David imitari cogitent, qui Philiſtæum primò virtute Dei ſtravit, poſtmodùm proprio gladio iugulavit. Liberiùs aliquanto, in reſponſione ad epiſtolam Paſchalis II. Eccleſia Leodienſis. [l] *Eſſet* (inquit) *Apoſtolicum, imitari Apoſtolum: eſſet Propheticum, imitari Prophetam. Sed peccatis noſtris merentibus, Apoſtolicus, qui etiam modò orare deberet pro Rege, quamvis peccatore, " ut tranquillam & quietam vitam agamus, " agit bellando, ne tranquillam & quietam vitam agamus. Cùm ita ſibi conſonent Apoſtolica & Prophetica verba: quæro humiliter ego filia à matre meâ ſanctâ Romanâ Eccleſiâ; unde hæc authoritas Apoſtolico, ut præter ſpiritualem gladium exerat in ſubiectos alterum occiſionis gladium?* Deinde Gregorium ſeptimum hâc in re à Gregorij primi & majorum ſuorum inſtitutis deſciviſſe docet. *Gregorius primus huius nominis Papa, quid omnes ante ſe Papæ ſuper hoc ſenſerint, & quid omnes poſt ſe ſentire debeant, oſtendit, ſcribens Sabiniano diacono:* [m] *Vnum eſt, quod " humiliter ſuggeras sereniſſimis Dominis noſtris; quia ſi ego " ſervus eorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſ- " ſem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec Duces nec " Comites haberet, atque in ſummâ confuſione eſſet: ſed quia " Deum timeo, in mortem cuiuſlibet hominis me miſcere for- " mido. Hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, utebantur ſolo gladio ſpirituali, uſque ad ultimum Gregorium, id eſt, ad Hildebrandum, qui primus ſe & ſuo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli.*

[l] Leodienſ. epiſt. tom. 2. Concil. edit. Colon. an. 1551. pag. 815.

1. Tim. 2. 2

[m] Gregor. I Regeſt. li. 7 Indict. 1. epiſt. 1.

17 Quænam autem fundamenta fuerint Antichriſtiani imperij ab Hildebrando poſita, oſtendunt Canones ab eo editi, quos DICTATVS PAPAE novus Dictator appellavit. quorum quidem *maior pars* (ut ipſe agnoſcit [n] Onuphrius) *antea parùm in uſu fuerat, & à nemine prædeceſſorum ſuorum unquam attentata.* Sunt verò decreta hujuſmodi: [o]

Quòd Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata.

Quòd ſolus Romanus Pontifex iure dicatur Univerſalis.

Quòd ille ſolus poßit deponere Epiſcopos, vel reconciliare.

Quòd legatus eius omnibus Epiſcopis præſit in Concilio, etiam inferioris gradus: & adverſus eos ſententiam depoſitionis poßit dare.

Quòd abſentes Papa poßit deponere.

Quòd cum excommunicatis ab illo, inter cetera, nec in eâdem domo debemus manere.

Quòd illi ſoli licet pro temporis neceßitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonicâ Abbatiam facere, & è contra divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire.

Quòd ſolus poßit uti imperialibus inſignijs.

Quòd ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.

Quòd illius ſolius nomen in Eccleſijs recitetur.

Quòd unicum eſt nomen in mundo.

Quòd illi liceat Imperatores deponere.

Quòd illi liceat de ſede ad ſedem, neceßitate cogente, Epiſcopos tranſmutare.

Quòd de omni Eccleſiâ quocunq; voluerit clericum valeat ordinare.

Quòd ab illo ordinatus alij Eccleſiæ præeſſe poteſt, ſed non

[n] *Onuphr. in vitâ Greg. VII. col. 248.*

[o] *Greg. VII. Regeſt. li. 2. poſt epiſt. 55. tom. 3. Concil. edit. Binij, part. 2. pag. 1196.*

non militare: & quòd ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere.

Quòd nulla Synodus abſq; præcepto eius debet generalis vocari.

Quòd nullum capitulum, nullusq; liber Canonicus habeatur abſq; illius auctoritate.

Quòd ſententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

Quòd à nemine ipſe iudicari debeat.

Quòd nullus audeat condemnare Apoſtolicam ſedem appellantem.

Quòd maiores cauſſæ cuiuſcumq; Eccleſiæ ad eam referri debeant.

Quòd Romana Eccleſia numquam erravit; nec in perpetuum, ſcripturâ teſtante, errabit.

Quòd Romanus Pontifex, ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus, teſtante ſancto Ennodio Papienſi Epiſcopo, ei multis ſanctis Patribus faventibus; ſicut in decretis beati Symmachi Papæ continetur.

Quòd illius præcepto, & licentiâ ſubiectis liceat accuſare.

Quòd abſque Synodali conventu poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare.

Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.

Quòd à fidelitate iniquorum ſubiectos poteſt abſolvere.

18 His jactis principiis, quibus [p] *gradum ſibi fecit, & viam, ad ea omnia, quæ animo conceperat, peragenda:* legatos ad Henricum Cæſarem miſit Hildebrandus, [q] denuntiaturos ei, *ut ſecundâ feriâ ſecundæ hebdomadæ* in

[p] *Onuphr. in vitâ Greg. VII. col. 250.*

[q] *Lamb. Schafnaburg. Chronic. an. 1076.*

in Quadrageſimâ (anni 1076.) *ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus, quæ obijcerentur, cauſſam dicturus; alioquin ſciret, ſe abſq́ omni procraſtinatione eodem die de corpore ſanctæ Eccleſiæ Apoſtolico anathemate abſcindendum eſſe.* Cæſar legatione *vehementer permotus*, Synodum Wormatiæ habuit: in quâ [r] *univerſi penè Teutonici Epiſcopi, præter Saxonicos, Hildebrandum Papam abdicârunt; mittentes ad illum epiſtolam, poſt multas culpationes in illum iniectas, ita concluſam. Quia ergo & introitus tuus tantis periurijs eſt initiatus, & Eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam per converſationem tuam tam multiplici infamiâ dehoneſtâſti: obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cetero ullam ſervaturos eſſe, renunciamus. & quia nemo noſtrûm, ut tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit Epiſcopus; tu quoque nulli noſtrûm amodò eris Apoſtolicus.* [s] Cui decreto non ſolùm Germaniæ, & Galliæ multi Epiſcopi, ſed & Italiæ plerique conventu Papię Imperatoris juſſu habito, ſubſcripſere. [t] *poſitiſq́ ſacroſanctis Euangelijs, iuramento firmaverunt, nullo modo ſe deinceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros.* atque eò res proceſſit, ut [u] *Epiſcopos penè omnes in Italiâ* ab obedientiâ receſſiſſe, conqueratur ipſe Gregorius. Extant apud Brunonem in hiſtoriâ Belli Saxonici, [x] Henrici Cæſaris ad Hildebrandum ſcriptæ binæ epiſtolæ: quarum alterius, quia brevior eſt, exemplum placet ſubjungere.

19 *Henricus Dei gratiâ Rex, Hildebrando. Quum hactenus ex te ea quæ patris ſunt expectarem, tibiq́ in omnibus magnâ fidelium noſtrorum indignatione obedirem: percepi à te viciſſitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regniq́ noſtri pernicioſiſſimus hoſtis eſſet. Nam quum inprimis omnem*

[r] *Conrad. Liechtenau. Abb. Vrſperg. in Chron. ann.* 1076.

[s] *Onuphr. in vitâ Greg. VII. col.* 259.

[t] *Paul. Bernriedenſ. in vitâ Gregor. VII. pag.* 82.

[u] *Ibid. pag.* 98.

[x] *Germanic. ſcript. à M. Frehero edit. tom.* 1. *pag.* 122.

omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illâ ſede debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes; longiùs inde progrediens, regnum Italiæ peſsimis artibus alienare tentâſti. Nec hac contentus, in reverendiſsimos Epiſcopos, qui nobis velut dulciſsima membra uniti ſunt, manum mittere non timuiſti; eoſq́ue ſuperbiſsimis injurijs, acerbiſsimiſq́ue contumelijs contra divina & humana iura (ut ipſi aiunt) exagitâſti. Quæ omnia quum ego quâdam patientiâ diſsimularem: tu hanc non patientiam ſed ignaviam æſtimans, in ipſum caput inſurgere auſus es; mandans quæ noſti, ſcilicet (ut tuis verbis utar) Quòd aut tu morereris, aut mihi animam regnumq́ue tolleres. Hanc inauditam contumaciam ego non verbis ſed re confutandam dijudicans, generalem conventum omnium Regni primatum, ipſis ſupplicantibus, habui. Ubi quum ea quæ hactenus metu & reverentiâ tacebantur, in medium deducta fuiſſent, veris aſſertionibus illorum, quas ex ipſorum literis audies, palàm factum eſt, te nullatenus in Apoſtolicâ ſede poſſe perſiſtere. Quorum ſententiæ, quòd iuſta & probabilis coram Deo hominibuſq́ue videbatur, ego quoq́ue aſſentiens, omne tibi Papatus ius, quod habere viſus es, abrenuntio; atq́ue ut à ſede Vrbis, cuius mihi patriciatus Deo tribuente, & jurato Romanorum aſſenſu debetur, deſcendas edico.

20 Cæſaris literas cum decreto Epiſcoporum ad Gregorium in Romanâ Synodo conſidentem pertulit Rulandus Clericus Parmenſis; hiſq; verbis Papam affatus eſt. [y] *Dominus meus Rex, & Epiſcopi omnes Ultramontani & Italici, præcipiendo mandant, ut invaſam ſedem B. Petri & Romanam Eccleſiam amodò dimittas. Non eſt enim dignum, ſine præcepto illorum, & imperiali dono, tantum honorem ſcandere.* Et converſus, Clero Romano dixit: *Vobis dicitur, fratres, ut ad futuram Pentecoſtes*

[y] *Paul. Bernri-edenſ. vit. Greg. VII. pag. 83.*

tecoſtes

tecoſtes ſolennitatem regio conſpectui vos repræſentetis, ſuſcepturi de manibus Regis Papam & Patrem : quia hic, non Papa, ſed lupus eſſe dignoſcitur rapax. Ad hujus verba mox Iohannes Portuenſis Epiſcopus facto impetu ſurgens, immenſâ voce clamavit ; *Capiatur.* nec quicquam propiùs eſt factum quàm ut ab Urbis Præfecto & militibus in ipsâ Eccleſiâ confoderetur. Hildebrandus deinde *velut alter Machabæus* (ut inquit [z] Gerhohus Reicherſpergenſis) *gladium* arripiens ; *B. Petri Apoſtolorum principis* nomine invocato, Cæſarem anathemate, his conceptis verbis, percellit. [a] *Henrico Regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Eccleſiam inauditâ ſuperbiâ inſurrexit, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico ; & omnes Chriſtianos à vinculo iuramenti, quod ſibi fecêre vel facient, abſolvo ; & ut nullus ei ſicut Regi ſerviat, interdico.* Atq; ita [b] *abſoluit omnes à iuramento, qui fidem Regi juraverant, ut contra eum impelleret abſolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis diſplicuit (ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus fecit) & aſſerebant, tam inefficaciter, quàm illicitè factum, quod factum eſt. Sed non auſim aſſertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apoſtolici factũ refellere :* inquit horum temporum author, qui Henrici Imperatoris vitam deſcripſit. Sed quod is auſus non eſt, Iohannes Aventinus efferre non eſt veritus.

[z] *Gerhoh. Syntagm. à Greiſeſero edit. cap.* 13

[a] *Tom.* 3. *Concil. part.* 2. *pag.* 1282. *edit. Biniĳ.*

[b] *Author vitæ Henr. IV. in Faſcic. rer. expetend. & fugiẽd. Ort. Gratiĳ, fol.* 46.

21 *Pleriq;* ([c] inquit) *tum privatim, publicè indignum facinus clamitant : pro concione Gregorio maledicunt, Hildebrando malè precantur : ipſum odio atq; libidine dominandi præcipitem agi vociferantur, Antichriſtum eſſe prædicant. Pietatis ſub ſpecie (inquibant) debacchatur, honeſtis nominibus bonum publicum ſimulat ; titulo Chriſti, negotium Antichriſti agitat. In Babyloniâ in* [d] *templo Dei ſedet,*

[c] *Io. Aventin. lib.* 5. *Annal. Boior. edit. Ingolſtad. ann.* 1554. *pag.* 573 574.

[d] 2. Theſſ. 2. 4.

det, ſuper omne id quod colitur, extollitur, quaſi Deus ſit, ſe errare non poſſe gloriatur: in excolendâ gloriâ ſuâ, pertinaci ſpei atq́ concupiſcentiæ Imperatoris ſuo arbitrio conſtituendi, ſe devovit. Homines non peccatis, ſed lege Chriſti, atq́ ſacramentis ſolvit; pacem atq́ pietatem religionis noſtræ labefactat, bella, ſeditiones concitat: ſtupro, cædi, periurijs, perfidiæ, rapinis, incendio indulget. Non ſolùm ad ambitionem ſuam occulendam fabulas comminiſcitur, annales corrumpit, res geſtas invertit, ſed etiam cæleſtia oracula adulterat: divinas literas falsò interpretando, ſuæ libidini ſervire cogit, ſacram hiſtoriam lacerat, inter mulierculas de ſacris philoſophatur literis. Quicquid dixerit, legem Dei putat: ad aviditatem ſuam incongrua conquirit teſtimonia, ſententias depravat, ad voluntatem ſuam ſcripturam trahit repugnantem. Nimium ſibi de Phariſæorum ſupercilio ſumit, ut quoſq́ damnare vel ſolvere arbitretur; cùm apud Deum non ſententia ſacerdotis, ſed vita hominis quæratur. Præterea Hildebrandus ille divinæ maieſtati refragatur; Chriſtianiſſimo principi divinitùs conſtituto, & à Deo inaugurato reſiſtit: verſutus, fallax, obſcurus, callidus, imperium orbis, titulo Chriſti, ſub ovinâ pelle ambit. Alios, pecudes ignavas, ſtultos, ſtipites, caudices, aſinos, qui eius ſycophantias vaframentaq́ non intelligant, putat. Huc omnes nervos intendit, ut duce gregis oppreſſo, in ordinemq́ redacto, in oves deſertas præſidio Imperatoris, licentiùs impuniuſq́ graſſetur. Si [e] omnis poteſtas à Deo eſt, maxima quoque nempe Cæſarea ab eo ſit neceſſe eſt. Chriſtus, [f] cùm eum populus rebus imponere conaretur, aufugit: & [g] duos de hæreditate ambigentes, qui eum arbitrum ceperant, ad Cæſarem, cui Imperium orbis terrarū commiſſum eſt, ablegavit. Pontificibus quoq́ Iudæorū præcipit; [h] Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. [i] cui vectigal ſolvit, tributum pendit, cenſum dedit.

[e] Rom. 13. 1.
[f] Ioh. 6. 15.
[g] Luc. 12. 13.
[h] Matt 22. 21.
[i] Matt. 17. 27.

[k] 1. Pet. 2. 17. *Idem nos D. Petrus docet:* [k] *Deum timete, Regem honore*
[l] Rom. 13. *afficite. D. Pauli præceptũ eſt;* [l] *Fidẽ Regi ſervate. Quod ſi quiſpiam cælitũ aliter docuerit, devotus eſto. Flagitiũ huiuſcemodi Hildebrandi inexpiabile, ſcelus hactenus inauditum,*
[m] Rom. 13. 4. *procul ab orbe Germano abigendũ, enſe (quẽ Imperator ſupremus ad* [m] *vindictã malorũ Cæſari tradit) reſecandũ: lupus ſub ovinâ pelle ſæviens, ferro tollẽdus. Septimus ille non verbis et diſputatiõibus, ſed vinculis et carcere fatigãdus eſt.*

[n] Faſcic. Ortuin. Grat. fol. 39. 40. 22 Refert Benno, [n] *ut primum ad excommunicandum Cæſarem* Hildebrandus *de ſede ſurrexit, ſedem ipſam noviter lignis fortiſſimis compoſitã, ſubitò Dei nutu terribiliter ſciſſam eſſe in plures partes: ut manifeſtè daretur intelligi, ſeſſor ille (tam periculoſâ excommunicatione, tantâ præſumptione) quanta quamq; terribilia ſchiſmata ſeminaret contra Eccleſiam Chriſti, contra ſedem B. Petri; quàm crudeliter diſſiparet cathedram Chriſti, inculcando leges Eccleſiæ, imperando cum potentiâ & auſteritate.* Poſt promulgatam verò excommunicationem, *Saxones* (aliâs ad deficiendum ſatis propenſos) *inſtinctu Hildebrandi*
[o] Sigeb. Chron. an. 1077. *Papæ rebellâſſe*, author eſt in Chronico [o] Sigebertus Gemblacenſis. Quò ſpectat illud Annæ Comnenæ
[p] Alexiad. edit. Auguſt. ann. 1610. pa. 31. 32. in 1. [p] libro Alexiados. Ὁ γὰρ κατάπτυστος οὗτος Πάπας μετὰ πνευματικῆς χάριτος καὶ εὐαγγελικῆς εἰρήνης ἐπὶ τὸν πόλεμον ὁ δεσπότης χωρεῖ ὅλῃ χειρὶ καὶ γνώμῃ τὸν ἐμφύλιον, ὁ εἰρηνικὸς πάντα καὶ τοῦ εἰρηνικοῦ μαθητής. τοὺς γὰρ Σαξόνων ἡγεμόνας μεταπεμψάμενος, καὶ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα ἐν ὑποσχέσεσιν ὑποτείνας, καὶ ῥῆξας ποιήσειν τ᾽ ἑαυτέρας ἀπάσης ὑπαγγειλάμενος, εἰς ἑαυτὸν ὑπεσύρετο τοὺς ἄνδρας. Οὕτως ἐκεῖνος εὔκολον εἶχε τὴν δεξιὰν εἰς χειροθεσίαν ῥηγῶν. *Iſte verò execrandus Papa, cum ſpirituali* ſcilicet *gratiâ & Evangelicâ pace, totâ* (quod aiunt) *manu ac mente, princeps ad bellum civile progreditur: ille nimirum pacificus atq; pacifici diſcipulus. Ad Saxonum enim mittens duces, ac tum alias multas conditiones eis offerens, tum etiam*

am ſe facturum eos reges totius occidentis promittens, ita ad ſe viros allicit. uſq; adeò facilem ac promptam habuit ille dextram ad ordinationem regum.

23 Demùm eò res eſt perducta, ut Germaniæ Principes alium Imperatorem creare conſtituerent, niſi à Pontifice ante annum Henricus anathemate ſolveretur: miſſaque legatione coactus fuerit Cæſar anathematis abſolutionem ab Hildebrando ſupplex expetere. Hìc verò Pontifex: [q] *Si veraciter, inquit, eum facti pœnitet, coronam & cetera regni inſignia in argumentum veræ & ex animo factæ pœnitudinis noſtræ poteſtati dedat, & ſe poſt tam contumax admiſſum regio nomine & honore deinceps indignum profiteatur. Durum nimis hoc viſum eſt Legatis. Cumq; vehementer inſiſterent, ut ſententiam temperaret, nec calamum conquaſſatum iudicij auſteritate penitùs contereret: vix & ægrè tandem exoratus, annuit ut cominus veniret, & ſi veram pro admiſsis pœnitudinem gereret, culpam quam ſedi Apoſtolicæ contumeliam irrogando contraxerat, ſedis Apoſtolicæ decretis nunc obediendo expiaret. Venit ille ut iuſſum fuerat, & cùm caſtellum triplici muro ſeptum eſſet, intra ſecundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu, ſuo depoſito cultu regio, nihil præferens regium, nihil oſtentans pompaticum, nudis pedibus, ieiunus à mane uſq; ad veſperam perſtabat, Romani Pontificis ſententiam præſtolando. Hoc ſecundo, hoc tertio die fecit.* atque ita [r] *perverſoris iudicis iniuriam & violentiam patienter, & publicè, & cum lachrymabili afflictione, nudis pedibus, in laneis veſtibus, hyeme præter ſolitum aſperâ, apud Canuſium ſpectaculum Angelorum factus & hominum, & Hildebrandi ludibrium, triduo pertulit.* quâ de re ſic ipſe Hildebrandus in [ſ] literis ad proceres Germaniæ ſcriptis: *Ad oppidum Canuſij,* inquit,

[q] *Lambert. Schafnaburg. hiſt. an. 1077.*

[r] *Benno in vitâ Hildebrandi.*

[ſ] *Greg. VII. Regeſt. lib. 4. epiſt. 12. pag. 1216. edit. Binij.*

quit, *in quo morati ſumus, cum paucis advenit; ibiq́ per triduum ante portam caſtri, depoſito omni regali cultu miſerabiliter, utpote diſcalceatus & laneis indutus perſiſtens, non priùs cum multo fletu Apoſtolicæ miſerationis auxilium & conſolationem implorare deſtitit; quàm omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compaſſionis miſericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem inſolitam noſtræ mentis duritiam mirarentur; nonnulli verò in nobis non Apoſtolicæ ſeveritatis gravitatem, ſed quaſi tyrannicæ feritatis crudelitatem eſſe clamarent. Deniq́, inſtantiâ compunctionis eius, & tantâ omnium, qui ibi aderant, ſupplicatione devicti, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam, & ſinum ſanctæ matris Eccleſiæ recepimus.* quomodo verò receptus fuerit, apertiùs alibi exponit idem. [t] *Solam ei communionem reddidi: non tamen in regno, à quo eum in Romanâ Synodo depoſueram, inſtauravi; nec fidelitatem omnium qui ſibi iuraverant, vel erant iuraturi, à quâ omnes abſolvi in eâdem Synodo, ut ſibi ſervaretur, præcepi.*

[t] *Tom. 3. Concil. part. 2. pag. 1288. edit. Binij.*

24 Eandem hiſtoriam hiſce verſibus expreſſit Domnizo presbyter, lib. 2. de vitâ Mathildis Comitiſſæ, cap. 1. [u]

[u] *à Sebaſt. Tengnagel. edit. Ingolſtad. ann. 1612. pag. 186.*

Ante dies ſeptem, quàm finem Ianus haberet,
Ante ſuam faciem conceſſit Papa venire
Regem cum plantis nudis à frigore captis
In cruce ſe iactans Papæ, ſæpiſſimè clamans
Parce beate Pater, pie parce mihi peto planè.
Papa videns flentem miſeratus ei, ſatis eſt, eſt;
Nam benedixit eum, pacem tribuit ſibi, demum
Miſſam cantavit, corpus dedit & Deitatis.

expletoq́ ſacro miniſterio (ut addit Lambertus Schafnaburgenſis)

naburgenſis) *Regē ad prandium vocavit, benigniſſimeq́ue refectum, & de omnibus quæ eum obſervare oporteret diligenter inſtructum, cum pace ad ſuos qui longiùs extra caſtellum remanſerant, dimiſit.* Sed quali cum pace dimiſſus fuerit, his verbis, apertè ac palàm profert author Apologetici, De Unitate Eccleſiæ. [x] *Ad comprobandum Eccleſiaſticæ reconciliationis teſtimonium, ſacram communionem corporis & ſanguinis Domini de manu Pontificis accepit; menſam cum eo adiit, ac deinde dimiſſus eſt in pace: qualem ſcilicet pacem Iudas ſimulavit, non qualem Chriſtus reliquit. Aderat enim & legatio hoſtium ſuorum, quærentium omnibus modis interrumpere initum hoc reconciliationis pactum, quibus Papa reſcripſit talibus verbis: Ne ſolliciti, inquiens, ſitis, quoniam culpabiliorem eum reddo vobis. Certè culpabiliorem facere aliquem, præcipuè autem Regem, quem præcipit Petrus Apoſtolus honorificare, hoc non eſt oves Chriſti paſcere.* Et pòſt: *Ecce autem propria ſunt Regum quædam ornamenta, ſicut corona & purpura, atque alia regni inſignia, à quibus Regem abſtinere ad arbitrii ſui tempus decrevit Papa: huius ſcilicet intentionis gratiâ, ut ſic aut contemptibilior eſſet ipſius Regis in regno perſona, donec roboraretur regnum, quod iam parabatur in electione alterius regis, dum fuerat ipſe legitimus Rex in Italiâ; aut ſi non permiſſus à ſe regalia reſumeret ornamenta, certiorem perinde haberet exercendæ circa eum cauſſam excommunicationis: quod videtur non eſſe officium pietatis, nec ſignum concordiæ & unitatis.* ut verum omnino ſit quod [y] Sigebertus, & poſt eum alii retulerunt [z] hiſtorici, ab Hildebrando *ſub falsâ pace* Cæſarem eſſe abſolutum.

25 His autem auditis, quid dixerint Itali, ex [a] Lamberto Schafnaburgenſi operæpretium fuerit cognoſcere.

[x] *tom. 1. ſcript. Germ. M. Freheri. pag.* 161.

[y] *Sigeb. Chro ann.* 1077.

[z] *Matth. Paris, hiſt. ann.* 1077. *Vincent. Specul. hiſtor. lib.* 25. *cap.* 51. *Guil. Nangiac. Chron. Ms. ann.* 1077.

[a] *Lamb. Schafnab. hiſtor. ann.* 1077.

ſcere. Exclamabant illi, ſe Hildebrandi *excommunicationem nihili æſtimare, quem ipſum omnes Italiæ Epiſcopi iuſtis ex cauſſis iampridem excommunicâſſent; qui Sedem Apoſtolicam per ſimoniacam hæreſim occupâſſet, homicidijs cruentâſſet, adulterijs alijſq; capitalibus criminibus polluiſſet: Regem ſecus ac deceat egiſſe, crimenq; gloriæ ſuæ intuliſſe nunquam abolendum, quòd homini hæretico & probris omnibus infamato maieſtatem regiam ſummiſerit; & quem iuſtitiæ patronum, legumq; Eccleſiaſticarum vindicem ſibi parâſſent, is fœdiſſimâ ſubiectione ſuâ fidem planè Catholicam, authoritatem Eccleſiæ, dignitatem Reipublicæ prodiderit: ſe in ultionem eius omnes quas potuerint Papæ iniurias irrogâſſe, & nunc, quod dictu quoque turpe ſit, ſe in medijs perturbationum fluctibus relictis ipſum ſibi conſuluiſſe, & cum hoſte publico privatâ neceſſitudine in gratiam rediſſe. Hæc potiſſimùm* (inquit Lambertus) *Principes Italiæ iactando & paſſim per populum ſerendo ingens Regi odium brevi conflaverant. Adultâ poſtremò ſeditione, una omnium voluntas, una ſententia erat; ut abdicato patre, qui ultrò regni faſcibus indignum ſe effeciſſet, filium eius licèt impubem adhuc & regni negotijs immaturum Regem ſibi facerent; & cum eo Romam profecti Papam alium eligerent; per quem & ipſe protinùs Imperator conſecraretur, & omnia Papæ huius apoſtatici geſta caſſarentur. Perlato ad Regem tam moleſtæ conſpirationis nuncio, miſit properè quicquid apud ſe Principum erat, ut quaquâ ratione, quaquâ poſſent induſtriâ efferatæ multitudinis animos mitigarent: ne moleſtè acciperent, aut in contumeliam ſuam factum reputarent, quod extremâ neceſſitate compulſus communis commodi ratione feciſſet; nec Teutonicis Principibus, qui ſibi per calumniam regnum eripere deditâ operâ machinarentur, nec Romano Pontifici, qui ad evertendum ſtatum ſanctæ eccleſiæ*

ſpiritual-

ſpirituali gladio circumquaq́; fulguraret aliter ſatisfieri potuiſſe, quàm ut ante ſtatutam diem excommunicatione abſolveretur: nunc ſe omnibus anguſtijs, quibus vias eius concluſiſſent inimici, liberatum, omnem deinceps curam induſtriamq́; ad vindicandas ſuas, & illorum iniurias tranſlaturum.

26 Nec prætermittendum hîc quod de Mathilde Comitiſsâ Pontifici, poſthabito Cæſare conſobrino ſuo, ſtudioſiùs inſeruiente, & patrimonium, quod in Italiâ habebat ampliſſimum, eidem offerente, [b] in libro 2°. de vitâ ejus, cap. 1°. tradit Domnizo preſbyter.

> *Poſtpoſuit Regem, per tres tenuit pia menſes*
> *Gregorium Papam, cui ſervit, ut altera Martha,*
> *Auribus intentis capiebat ſedula mentis*
> *Cuncta patris dicta, ceu Chriſti verba Maria.*
> *Propria clavigero ſua ſubdidit omnia Petro;*
> *Ianitor eſt Cœli ſuus hæres, ipſaq́; Petri,*
> *Accipiens ſcriptum de cunctis Papa benignus,*
> *Tunc libertati Canoſinam ſanctificavit*
> *Eccleſiam*, &c.

Hæc illa eſt Mathildis, de quâ Coſmas Pragenſis, [c] in anni 1073. hiſtoriâ: *His diebus venerat Romam Mathildis potentiſſima domina, quæ poſt obitum patris ſui Bonifacij totius Longobardiæ ſimul & Burgundiæ ſuſcepit regni gubernacula, habens poteſtatem eligendi & inthronizandi ſive eliminandi CXX. ſuper Epiſcopos. Huius quaſi propriæ dominæ ad nutum omnis ſenatorius ordo parebat, & ipſe Gregorius Papa per eam divina & humana negotia diſponebat: quia erat ſapientiſſima conſiliatrix, & in omnibus adverſitatibus ſive neceſſitatibus Romanæ Eccleſiæ maxima fautrix.* Item Leodienſis eccleſia in ſcripto adverſus Paſchalem

[b] *inter ſcript. Hildebrandin. à Sebaſt. Tengnagel. edit. Ingolſtad. ann. 1612. pag. 188. Vid. chartulam Donationis Mathildis, ibid. pag. 234.*

[c] *Coſm. Prag. Chronic. Bohem. lib. 2.*

[d] tom.2.Concil. edit.Colon.ann. 1551.pag.817.

lem II. edito : [d] *Hildebrandus Papa ultimam manum ſacris canonibus impoſuit ; quem legimus præcepiſſe Mathildi Marchioniſſæ, in remiſſionem peccatorum ſuorum, ut debellaret Henricum Imperatorem. Quod iuſtè necne, ipſe vel alij fecerint, nullâ authoritate diſcimus.* & author [e] Apologetici de *Vnitate Eccleſiæ conſervandâ* : Mathildis, *poſt octavum quoq́; annum, quo defunctus eſt Hildebrand familiaris eius, defendit proniſſimè contra ſedem Apoſtolicam & contra Imperatorem, partem ipſius, qui propter frequens cum eâ & familiare colloquium generavit plurimis ſcææ ſuſpicionis ſcandalum, dum non obſervavit attentiùs divinum illud Lucij Papæ mandatum. Duo presbyteri & tres diaconi in omni loco non deſerant Epiſcopum, propter teſtimonium ſcilicet Eccleſiaſticum. Poſuit autem Hildebrand partem ſuam cum illâ muliere rixoſâ, ut per hunc quoque ſexum oppugnetur vel Eccleſia, vel Reſpublica.*

[e] Script. Germ. à M. Frehero edit.tom.1.pag. 219.

17 Lambertus quoque Schafnaburgenſis, [f] licèt id pugnet, ut Hildebrandus, homo ſcilicet ſanctitate, zelo, *ſignis etiam & prodigijs* illuſtris, ab omni *ſiniſtri rumoris maculâ* abſolvatur : turpis tamen amoris ſuſpicionem haudquaquam evaſiſſe, non potuit non agnoſcere. Sic enim ille de Mathilde ſcribit. *Hæc vivente adhuc viro ſuo, quandam viduitatis ſpeciem, longiſſimis ab eo ſpatijs excluſa, prætendebat ; cùm nec ipſa maritum in Lotharingiam extra natale ſolum ſequi vellet, & ille (Ducatus, quem in Lotharingiâ adminiſtrabat, negotijs implicitus) vix poſt tertium vel quartum annum ſemel Marcham Italicam inviſeret. Poſt* * *cuius mortem Romani Pontificis lateri penè comes individua adhærebat, eumq́; miro colebat affectu. Cumq́; magna pars Italiæ eius pareret imperio & omnibus quæ prima mortales ducunt ſupra ceteros terræ illius Principes abundaret ; ubicunque operâ eius Papa indiguiſſet,*

[f] Lambert. Schafn.hiſtor. ann.1077.

* imò & eo vivente : ut apparet ex verbis Gregorij in fine epiſt.2 lib. 4. (pag.1213. Vit.Bin.ij.)

digniſſet, ocyùs aderat, & tanquam patri vel Domino ſedulum exhibebat officium. Vnde nec evadere potuit inceſti amoris ſuſpicionem; paſſim iactantibus Regis fautoribus & præcipuè clericis, quibus illicita & contra ſcita canonum contracta coniugia prohibebat, quòd die ac nocte impudenter Papa in eius volutaretur amplexibus, & illa furtivis Papæ amoribus præoccupata, poſt amiſſum coniugem ultrà ſecundus contrahere nuptias detrectaret. Poſt mortem tamen Hildebrandi, Welphoni filio Welphonis Ducis Baioariæ nupſiſſe docet [g] Bertoldus Conſtantienſis: *non tam pro incontinentiâ* (ſi illi credimus) *quàm pro Romani Pontificis obedientiâ, videlicet, ut tanto viriliùs S. Romanæ Eccleſiæ contra ſchiſmaticos poſſet ſubvenire.* quanquam aliter fortaſſe judicaverit, qui harum nuptiarum hiſtoriam à [h] Coſma Pragenſi deſcriptam perlegerit; quam hoc epilogo concludit author. *Hæc ſufficit breviter dixiſſe, quæ utinam non dixiſſem.*

28 Sed à Mathilde & Italis, ad hoſtes Cæſaris in Germaniâ convertendus eſt ſermo. [i] Hi Forcheimij convenientes, Rodulphum Suevorũ Ducem, approbante legato Hildebrandi, in Romanorum Regem elegerunt: atque in eodem conventu *conſenſu communi comprobatum,* ac *Romani Pontificis auctoritate eſt corroboratum, ut Regia poteſtas nulli per hæreditatem (ſicut ante fuit conſuetudo) cederet; ſed filius Regis, etiamſi valde dignus eſſet,* potiùs *per electionem ſpontaneam, quàm per ſucceſſionis lineam Rex proveniret: ſi verò non eſſet dignus Regis filius, vel ſi nollet eum populus, quem Regem facere vellet, haberet in poteſtate populus.* Hâc verò diviſione factâ, [k] *ſurrexit Rex adverſus Regem, gens adverſus gentem, Epiſcopus contra Epiſcopum, populus contra populum. Exinde verò quantæ cædes factæ ſint hominum, quantæ de-*

[g] *Bertold. append. ad Herm. Contract. ann.* 1089. 1095.

[h] *Coſm. Prag. Chron. Bohem. lib. 2. an.* 1074.

[i] *Bruno, de Bello Saxonico, pag.* 134. 135. *edit. M. Freheri.*

[k] *Apolog. de Vnitat. Eccleſ. pag.* 186. *edit. M. Freheri.*

ſtructiones Eccleſiarum, quanta etiam rerum confuſio exinde facta ſit in omni Eccleſiâ, indigere videtur tragœdiâ magis, quàm hiſtoriâ. Magno ſe iudice quiſque tuetur, dum uterque Rex iuſtè arma ſe induiſſe arbitratur: Henricus ſcilicet, quòd natus & nutritus in regno ſucceßiſſet progenitoribus ſuis in regnum ex Dei ordinatione, ac proinde accepiſſet iuxta doctrinam Apoſtoli vindicem gladium in impios atque iuſtos vel Eccleſiæ vel Reipublicæ: Rudolphus autem, quòd obediens eſſe deberet Pontifici ſedis Apoſtolicæ, qui per Epiſcopos partis ſuæ prædicâſſet, eum non teneri obnoxium periurij vel perfidiæ, ſi contra eum arma tuliſſet, qui, utpote excommunicatus, Rex iam eſſe non poſſet: quum hoc ſit, inquiunt, fidei atq; fidelium in Eccleſiâ, occidere ſcilicet ac perſequi eos, quicunque communicantes vel faventes excommunicato Regi Henrico, noluerint declinare poſt partium ſuarum ſtudia. Nova (inquit author meus) *& inaudita eſt prædicatio eiuſmodi; quum Eccleſia non habeat ſibi conceſſum gladium, niſi ſpiritus, quod eſt verbum Dei.*

29 Cæterùm ad novum Regem Rodolphum coronam miſit Hildebrandus, [l] cui inſcriptus erat iſte verſus,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

& in Henricum denuò anathematis ſententiam promulgavit. cujus hoc initium: [m] *Beate Petre Princeps Apoſtolorum, & tu beate Paule doctor gentium, dignamini (quæſo) aures veſtras ad me inclinare, meq; clementer exaudire.* finis iſte: *Agite nunc, quæſo, Patres & Principes ſanctiſsimi, ut omnis mundus intelligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in cælo ligare & ſolvere, poteſtis in terrâ Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum poſſeßiones pro meritis tollere unicuiq; & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus,*

[l] *Sigebert. & Matth. Paris, in Chronic. ann. 1077. Gotfrid. Viterbienſ. Chronic. part. 17. Vincent. Specul. hiſt. lib. 25. cap. 51. Antonin. Chronic. tit. 16. cap. 1. §. 21.*

[m] *tom. 3. Concil. part. 2. pag. 1288. 1289. edit. Binij. Paul. Bernriedenſ. in vitâ Greg. VII. pag. 234. 237.*

patus,

patus, Epiſcopatus frequenter tuliſtis pravis & indignis, & religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia iudicatis, quid de ſecularibus vos poſſe credendum eſt? & ſi Angelos dominantes omnibus ſuperbis principibus iudicabitis; quid de illorum ſervis facere poteſtis? Addiſcant nunc Reges & omnes ſeculi principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis, & timeant parvipendere iuſsionem Eccleſiæ veſtræ: & in prædicto Henrico tam citò iudicium veſtrum exercete, ut omnes ſciant, quia non fortuitò, ſed veſtrâ poteſtate cadet, & confundetur, utinam ad pœnitentiam, ut ſpiritus ſit ſalvus in die Domini. Nec ſatis habuit Henrico *omnem poteſtatem & dignitatem regiam tollere,* niſi etiam ad anathema ſuum illud adderet. *Ipſe Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſsione belli, nullas vires, nullamq́ in vitâ ſuâ victoriam obtineat.* Imò & ulteriùs progreſſus, [n] *in Paſcha Domini feriâ ſecundâ, cùm ad Eccleſiam S. Petri ad miſſam clerus & populus conveniſſet, poſt Euangelium in ambonem aſcendit, ſicut erat indutus Pontificalibus indumentis. & in præſentiâ Epiſcoporum & Cardinalium, in frequentiâ cleri & Senatus & populi Romani, publicè clamavit inter multa ſuæ divinationis verba: Regem Henricum uſque ad proximum S. Petri feſtum, ſine dubio moriturum, aut à regno penitùs deijciendum, intaptum, ut ulteriùs non poſſet congregare quàm ſex milites. Prædicavit etiam Epiſcopis & Cardinalibus & omnibus qui aderant, de ambone clamans: Nullo modo habete me pro Papâ ulteriùs, ſed ab altari me avellite, ſi uſque ad prædictum feſtum prophetia hæc effectum non habuerit.*

[n] *Benno, in vitâ Hildebrandi.*

30 Sed quem exitum habuerit arioli hujus divinatio, in anni 1080. hiſtoriâ oſtendunt Sigebertus & [o] alij chronographi. *Hildebrandus Papa quaſi divinitus revelatum ſibi prædixit, hoc anno falſum regem eſſe moriturum.*

[o] *Matth. Paris, & Matth. Weſtmonaſter. ann. 1080. Vincent. Specul. hiſt. lib. 25. cap. 65. Onuphr. in vitâ Gregor. VII. col. 268.*

riturum. Et verum quidem prædixit, ſed fefellit eum de falſo Rege conjectura, ſecundùm ſuum velle ſuper Henrico Rege interpretata. Rex enim Henricus cum Saxonibus gravi prælio congreditur; & in congreſſu falſus Rex Rodulphus cum multis Saxoniæ principibus extinguitur. De hoc congreſſu ita ſcribit Helmoldus in Chronic. Slavorum, lib. I. cap. 29. *Congregavit* Henricus *exercitum grandem, ut expugnaret Rudolphum, fuitque cum eo famoſiſſimus ille Dux Godfridus, qui poſtea liberavit Hieruſalem, multique potentum. Saxonum verò atque Suevorum exercitus erant cum Rudolpho. Pugnaverunt ergo reges mutuo, & victa eſt pars Rudolphi, cecideruntque Saxones & Suevi. Porrò Rudolphus vulneratus in manu dextrâ, fugit Marcipolim, mortique iam proximus, dixit ad familiares ſuos. Videtis manum dexteram meam de vulnere ſauciam. Hâc ego iuravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec inſidiarer gloriæ eius. Sed iuſſio Apoſtolica, Pontificumque petitio, me ad id deduxit, ut iuramenti tranſgreſſor, honorem mihi indebitum uſurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis; quia in manu unde iuramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ij, qui nos ad hoc inſtigaverunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti ſimus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens cum gravi moleſtiâ diem clauſit extremum.* Similia habet Conradus Liechtenavius Urſpergenſis abbas, & Ioh. Cuſpinianus in Henrici IV. hiſtoriâ.

[b] *Benno in vitâ Hildebrandi.*

31 [b] *Tempore autem tranſacto, quod Hildebrandus in divinatione ſuâ præfixit, Rege verò neq; mortuo, neq; militibus ſuis imminuto, timens ſe ſuis verbis deprehenſum, & ore proprio condemnatum, ad callida argumenta ſe convertit; perſuadens vulgo indocto, non de corpore Regis, ſed de animâ Regis prophetâſſe. quaſi anima Regis milites omnes præter*

præter ſex perdidiſſet, vel illo ſpatio mortua eſſet. Et his verbis vulgus indoctum deluſit. Ipſum verò Regem Romam poſtea petentem [q] *noluit recipere; immo reſpuit eum alloqui vel videre, niſi offerret ſibi regale ſceptrum, & redderet in manus ſuas regiam poteſtatem, & honorem, & regnum: quale ſcilicet myſterium iniquitatis* (inquit author æqualis horum temporum) *dicitur à Domino ſuper principem Tyri, quoniam elevatum eſt cor eius, & dixit, Deus ego ſum, & in cathedrâ Dei ſedi. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo; ideoq́ vel Petrus princeps Apoſtolorum non uſurpavit ſibi ordinare aliquid de regno: ſed, Subiecti, inquit, eſtote omni* humanæ *creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſsis ad vindictam malefactorum, ad laudem verò bonorum.*

[q] *Apolog. de Vnitat. Eccleſ. pa. 183. edit. M. Frelicri.*

32 *Ergo Rex quum obſtinatum Papæ animum non poſſet inclinare ad ſtudium pacis, aliâ pactionis conditione, niſi cederet regno, quod Deo ordinante obvenerat ſibi avitâ pariter & paternâ ſucceſsione: tunc demum uſus belli neceſsitate,* [r] cum exercitu Romam perrexit, *urbemq́ obſidione occluſit, & qui ſibi aditum, illis exitum negavit. Miſsi circumquaq́, qui caſtella frangerent, villas everterent, bona diriperent: provinciæq́ue nocuit foris, quod Roma ſe clauſerat intus. Foris bella, intus metus erat: undiq́ machinæ ſurgebant; hinc murum aries pulſabat, inde miles ſcalis aſcendere parabat. Contrà qui in urbe erant, tela, ſaxa, præuſtas ſudes, ignemque iactabant, interdum egreſsi cominus committebant: utrinq́ fortiter pugnatum eſt; hos cauſſa, illos periculum fortes fecit. Igitur ubique mors, ubique luctus erat. Roma contremuit, dum impulſa turrium altitudo corruit. Fugit Apoſtolicus, & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deſeruit. Tandem Romam præſumptionis ſuæ pœnituit; & quæ priùs meruiſſe poterat, ut*

[r] *Author vitæ Henr. IV. in Faſcic. rer. expetend. & fugiend. Orthuini Gratij, fol. 47.*

à Rege donis honoraretur, nunc ingenti pecuniâ apud Regem vix obtinuit, ne tota ſubverteretur. Mox ſedatis omnibus, Rex cauſſam cur veniſſet in publicum protulit; quod de Apoſtolico crimen accepiſſet, retulit: multiſq; hoc ita factum confeſsis, Clementem Papam ad electionem omnium inſtituit: à quo ipſe communi omnium favore conſecratus Imperator, & Patricius factus, Romæ ſe per aliquod tempus, dum omnia in ſolidam reformaret concordiam, continuit. Demùm reverſo in Germaniam Henrico, Hildebrandus Salerni VIII. Kalend. Iunii, ann. 1085. exul moritur: his ſupremis verbis, ut quidem [f] Hildebrandini tradunt, prolatis; *Dilexi iuſtitiam & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio:* hâc verò, ut alii [t] ſcribunt, confeſſione editâ: quòd *valdè peccaverit in paſtorali curâ, quæ ei ad regendum commiſſa erat, & ſuadente Diabolo contra humanum genus odium & iram concitaverit.*

[f] *Paul. Bernriedenſ. in vitâ Gregor. VII. pag. 240. Ott. Friſing. Chronic. lib. 6. cap. 36.*

[t] *Sigebert. Gemblac. ann. 1085. Florent. Wigornienſ. an. 1084 Matth. Paris, ann. 1086. Vincent. Specul. hiſtorial. lib. 25. cap. 82.*

CAP. VI.

De ſolutionis Satanæ duratione; & Eccleſiæ ſub Antichriſti tyrannide miſerandâ conditione. De Waldenſium cætibus, qui in Occidente toto ſoluti Satanæ tempore Synagogæ Pontificiæ ſeſe oppoſuerunt: & quantis calumniis ab adverſariis eorum oppreſſa fuerit innocentia.

1 DE ſolutionis Satanæ initiis ſatis ſuperque eſt dictum. De progreſſu & duratione ejuſdem jam diſſerendum eſt: idque ducto principio ab explicatione ſacræ illius prophetiæ. [a] μετὰ ταῦτα δεῖ αὐτὸν λυθῆναι μικρὸν χρόνον *Poſtea oportet* Satanam *ſolvi* ad *exiguum tempus*. Ex quibus verbis, tum Solutionem tum novam etiam Ligationem Diaboli in ſecundo Millenario futuram, non obſcurè obſervari poſſe videatur. Quando enim completis mille annis, *ad exiguum tempus ſolvi oportere* Satanam dicit Scriptura: illo exiguo temporis ſpatio demùm peracto, Satanam ad custodiam

[a] Apoc. 20. 3.

diam è quâ emiſſus fuerat reducendum, & quibus levatus erat vinculis denuò onerandum eſſe, facilè poſſumus intelligere.

2 Per ſolutionem Satanę quid intelligi oporteret, ex iis quæ de ligatione ejus in primo capite diſputata ſunt, cognitu non eſt difficile. Ut verbo dicam, nihil aliud intelligi volumus, quàm quod illæ apud Adverſarios Gloſſæ vulgatiſſimæ intelligendum monuerunt. *Solvetur*, id eſt, *recipiet priorem poteſtatem* : ait gloſſa interlinearis. Et gloſſa quam vocant Ordinariam : *Oportet illum ſolvi, ut recipiat poteſtatem, quam habuit ante adventum Chriſti.* Hoc ergo ſignificatur, Diabolum vinculis ſolutum, multo liberiùs & potentiùs quàm in priore Millenario, graſſaturum : atque amiſſum principatum ita recuperaturum, ut fines quodammodo imperii habiturus ſit tantos, quantos ante quàm de gradu eſſet dejectus, in Mundo obtinuerat. [b] *Exibit* enim *ut ſeducat gentes quæ ſunt in quatuor angulis terræ.* partim quidem latiſſimè fuſo Turciſmo, partim Chriſtianiſmo variè corrupto cùm per alios errores tum præcipuè per Papiſmum : Româ [c] *Urbe illâ magnâ vinum proſtitutionis ſuæ præbente potandum omnibus gentibus, & ſcortantibus cum eâ Regibus terræ.*

b Apoc. 20. 8.

c Apoc. 14. 8. & 17. 2. & 18. 3.

3 *Exiguum tempus* ſunt qui exiſtiment eâ ratione eſſe dictum, quòd etiam poſt mille annos Deus per intervalla quædam dederit, qui interturbarent Diabolum & Papam. Verùm nihil obſtat, quò minùs exiguum illud tempus uſque ad reſtauratum ſub initia ſuperioris ſeculi Euangelium, extendamus. Nam licèt Fr. Ribera in commentariis ad hunc locum, vulgarem ſecutus errorem, per *modicum tempus*, tres annos cum dimidio intelligat : in commentariis tamen

tamen ad ſecundum caput Haggæi, ex phraſi Scripturæ, etiam *quingentorum* annorum ſpatium (quantum ferè eſt illud quod à nobis hîc ſtatuitur) ſub *modici temporis* ſignificatione comprehendi poſſe agnoſcit. Sic enim ad illud Hagg. 2. 7. *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cælum, &c.* ſcribit Ieſuita. *Quod tempore primi adventus, id eſt, poſt* QUINGENTOS *annos futurum eſt, poſt* MODICUM *futurum dicit: quoniam quod nobis, qui anguſtis temporis finibus claudimur, longiſſimum eſt, cum æternitate Dei comparatum, valde modicum eſt. ut Habac. 2. 3. Veniens veniet, & non tardabit. Et Paulus Hebr. 10. 37. de ſecundo adventu: Adhuc enim modicum, aliquantulumque, qui venturus eſt veniet, & non tar-*
[d] 1. Ioh. 2. 18. *dabit. Inde etiam* [d] *Iohannes de toto novi Teſtamenti tem-*
[e] 2. Pet. 3. 8. *pore dixit: Filij, noviſſima hora eſt. Et Petrus* [e]: *Unum verò hoc non lateat vos chariſſimi, quia unus dies apud Dominum, ſicut mille anni; & mille anni, ſicut dies unus.* Hactenus Ribera. Similiter Primaſius in illud Apocalypſ. 1. *Quæ oportet fieri in brevi. In brevi ſanè apud Deum dicitur, quantiſcunque in hâc vitâ morulis aliquid*
[f] Pſalm. 90. 4. *proteletur, cui Propheta* [f]; *Quoniam mille anni ante oculos tuos, inquit, tanquam dies heſternus qui præterijt.*

[g] *Ariſtot. Categor.* περὶ ποσοῦ. 4 Adhæc, notum eſt ex Philoſopho [g] οὐδὲν αὐτὸ καθ' αὑτὸ μέγα λέγεται ἢ μικρὸν, ἀλλὰ τῷ πρὸς ἕτερον ἀναφέρεσθαι. *Nihil per ſe magnum dici aut parvum, ſed quatenus ad aliud refertur.* Collato verò tempore, quo ante injecta vincula liberè in mundo graſſatus eſt *antiquus ille ſerpens*, cum reſtitutæ libertatis tempore, quo denuò in Eccleſiam irrumpendi facta ei eſt poteſtas: longum illud, hoc exiguum, jurè ac meritò cenſeri poterit. מן יומא דההוא חויא שליט על אר▭ ועל בני עלמא איהו קאי▭ למכטי עלמא ועלמא לא יכיל לנפקא מענשיה עד דייתי מלכא משיחא ויקי▭ קבה דמיכי עפרא דכתיב בלע המות לנצח ומחה אדני יהוה דמעה מעל כל פני▭ וגו וכתיב את רוח הטמאה אעביר מן הארץ׃

A

A die quo Serpens ille dominatus eſt in Adamum & in filios ſeculi, ipſe ſurrexit ad Mundũ pervertendũ: & Mundus non potuit exire ex condemnatione eius, uſq; dum venerit Rex Meßias, & Deus benedictus ſuſcitaverit dormientes in pulvere: ſicut ſcriptum eſt; [h] *Abſorbebit mortem in victoriam: & abſterget Dominus Deus lachrymam ab omni facie, &c.* [h] Eſai 25.8. *&* [i] *alibi ſcriptũ eſt: Spiritum immundum auferam de terrâ.* [i] Zachar. 13. 2 Ita R. Simeon ben Iochai, in Zohare ſuper Geneſim, col. 286. Iam verò à tempore quo [k] *ſerpens ſeduxit Evam*, & imperium in genus humanum habere cæpit; [k] 2. Corinth. 11.3. uſque ad adventũ Regis Meſſiæ, à quo [l] *caput ſerpentis contritum* & regnũ immundi Spiritus diſſipatum eſt; [l] Geneſ. 3.15. quatuor interceſſerunt annorum chiliades: cum quibus comparati anni quingenti (poſteriori huic ſeductioni & dominatui Satanæ aſſignati) *exiguum* profectò tempus conficiunt. Quod multo magis dicendum, ſi Antichriſti Satanæque regnum poſt tot annos demum terminandum, cum Chriſti & Sanctorum regno ſempiternis ſeculorum ætatibus duraturo contulerimus. Ita enim [m] Andreas Cæſareenſis, explicans illud Apocalypſ. 17. 10. *Oportet illum breve tempus manere. Omnis*, inquit, *temporis menſura, ſi cum futurâ Sanctorum vitâ quæ eſt æterna, comparetur, brevis eſt.* [m] *Andr. Cæſar. commentar. in Apocalypſ. cap. 53.* Et certè [n] *æternitati comparata brevis eſt omnium temporum longitudo* : adeoque [o] *omnia ſeculorum ſpatia deſinita, ſi æternitati interminæ comparentur, non exigua exiſtimanda ſunt, ſed nulla.* [p] *Quid eſt enim omnino hoc ipſum diu*, inquit Orator, *in quo aliquid extremum eſt?* [q] πέρας γὰρ τοῦ ἀτελευτήτου ἡ ἀπειρία (ut eſt apud Gregorium Nyſſenum :) *interminati terminus eſt infinitas.* [n] *Hieronym. epiſt. 139. ad Cyprian. in Pſalm. 89.* [o] *Auguſtin. de civit. Dei, lib. 12. cap. 12.* [p] *Tull. pro Marcello.* [q] *Gregor. Nyſſen. in Pſalm. r. inſcript. tract. 1.*

5 Hoc verò toto ſoluti Satanæ tempore non alium Eccleſiæ ſtatum fuiſſe dicimus, quàm qualem &

 Sacræ

Sacræ literæ & Scriptores veteres & ipſi Adverſarij ſub Antichriſti tyrannide futurum profitentur: imò nec ita miſerum, ut Veterum & Adverſariorum quidam. Auguſtinus in 80. epiſtolâ ad Heſychium ait, *Eccleſiam non apparituram, impijs tunc perſecutoribus ultra modum ſævientibus.* Gregorius Papa: [r] *Eccleſiam quaſi quodam ſenio debilitatam, per prædicationem filios mininimè parituram.* Ephræm Syrus, (vel quicunque author fuit Sermonis de *Conſummatione ſeculi & Antichriſto*:) [ſ] *magno cum deſiderio homines ſciſcitaturos, num uſquam adhuc ſit verbum Dei in terris*; reſponſumque iri, *Nuſquam.* denique ex adverſariorum caſtris, [t] Dominicus à Soto: *fidem in toto mundo extinguendam,* & *ſub ductu Antichriſti civitatem Dei labefactandam.* Sed de prædicatione verbi Dei magis diſtinctè & accuratè in commentarijs ad Apocalypſ. cap. 9. pronuntiat Thomas. *In principio cùm natus erit Antichriſtus, antequam poteſtatem ſuam dilataverit, prædicatio fiet: ſed pòſt, cùm erit in magnâ ſuâ dominatione, tunc prædicatio erit particularis, non generalis ut modò* (nempe in Papiſticâ Eccleſiâ, quam dominatu Antichriſti jam tum teneri neſciebat ille) *nec ita ſolennis ut modò.* Et in cap. 10. *Conſolatio ex Dominici regiminis ordinatione eſt: quia ſcilicet ſic Dominus rexit Eccleſiam, quòd pro eâ regendâ & cuſtodiendâ & ſalvandâ, incarnatus & paſſus eſt; & prædicatores per mundum inſtituit, quando conveniens fuit; & prædicationem ſubtrahet, quando non erit congruum prædicare: quia prædicatio, ſi ita ſolennis & multa eſſet tempore Antichriſti, ut modò eſt, contemneretur, & margaritæ ante porcos ponerentur. & ideò ſuſtinere debebunt fideles; quia Dominus per ſapientiam ſic ordinabit. & miſericordia, quâ pro hominibus ſe humiliavit, & eis priùs prædicatores dedit,*

ſuis

[r] Gregor. Moral. in Iob. lib. 19. cap. 29.

[ſ] Ephræm. edit. Colon. an. 1603 pag. 219.

[t] Sot. in lib. 4. Sentent. diſt. 46. q. 1. artic. 1.

ſuis electis non deerit. Hæc Thomas. & ante eum Ioachimus Abbas Florenſis: *Vniverſa ſanctorum abſcondetur Eccleſia. Ita enim electi Dei ſibi ipſis ſapient, quod ſapient; ut tamen prædicare publicè (prævalentibus tenebris) non præſumant. Non quòd animare fideles & ſecretiùs exhortari deſiſtant, ſed quòd prædicare publicè non audebunt.*

6 Quod verò ad fidei ſpectat extinctionem & labefactationem civitatis Dei: apud homines Chriſtianos id ratum, firmum atque fixum eſſe debet, quod Eccleſiæ promiſſum eſt à Chriſto Servatore, Matth. 16. 18. *Portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam.* Πιστὸς ὁ λόγος καὶ ἀσάλευτος ἡ ὑπόσχεσις, (inquit [u] Athanaſius) [u] *Athanaſ. in orat.* ὅτι εἷς ὁ
καὶ ἡ ἐκκλησία ἀήττητος, κἂν ὁ ᾅδης αὐτὸς κινηθῇ, κἂν οἱ ἐν αὐτῷ κοσμοκράτορες τοῦ σκότους. *Fidelis ſermo, & non vacillans promiſſio, & Eccleſia invicta res eſt, etiamſi inferus ipſe commoveatur, & ſi qui in inferno ſunt principes tenebrarum tumultum faciant.* Χριστός. quòd unus ſit Chriſtus.
Quod ita tamen accipiendum, ut intelligamus, nihil ſic adverſus Eccleſiam prævalere poſſe, ut eam extinguat; nihil ſic vincere, ut interitum ejus faciat. Aliâs enim novimus, à Daniele [x] viſum eſſe *cornu*, quod *bellum geſſerit cum ſanctis, & prævaluerit eis*: à [y] Iohanne item *beſtiam aſcendentem ex abyſſo*, quæ *bellum* adverſus eoſdem *geſſerit, & eos vicerit.* Quanquam etiam in hoc rerum ſtatu Chriſti Eccleſia illud confidentiſſimè pronuntiare poteſt, quod Gentibus *tempore perſecutionis, animo præſenti & intrepido* Chriſtianos dicere jubet [z] Baſilius: ἐὰν γὰρ πάλιν ἰσχύσητε, πάλιν ἡττηθήσεσθε. [a] *Si enim iterum prævalueritis, iterum vincemini.* vel quod vetus Eccleſia inimicis ſuis opponit apud Prophetam: [b] *Ne lætator, inimica mea, de me, quum cecidero, ſurgam: quum ſedero in tenebris, Iehova*

[x] Dan. 7. 21.

[y] Apocal. 11. 7. & 13. 7.

[z] *Baſil. enarrat. cap. 8. Eſai.*

[a] Eſai 8. 9. *iuxta LXX.*

[b] Mica. 7. verſ. 8. 9. 10.

illuceſcet mihi. Indignationem Iehovæ feram, quia peccavi in eum; uſq; dum contendat contentionem meam, & exerceat ius meum, producens me in lucem ut fruar iuſtitiâ eius. Nam reſpiciens inimicam meam operies eam pudore, dicentem mihi, Vbi eſt Iehova Deus tuus? &c.

7 Denique Romanis hîc Pontificibus & Pontificijs contra afflictam Chriſti Eccleſiam intolerantiſſimè (ut aſſolent) gloriantibus, id objicere jure poſſumus, quod Arianis eodem modo exultantibus regerit [c] Nazianzenus. Πῦ ποτε εἰσὶν οἱ τὴν πενίαν ἡμῖν ὀνειδίζοντες, καὶ τὸν πλοῦτον κομπάζοντες, οἱ πλήθει τὴν ἐκκλησίαν ὁρίζοντες, καὶ τὸ βραχὺ διαπτύοντες ποίμνιον; *Vbi tandem ſunt, qui paupertatem nobis exprobrant, opeſq; ſuas inſolenter iactant? qui Eccleſiam multitudine definiunt, ac parvum gregem aſpernantur?* Nec enim in ullâ hæreſi magis expreſſa conditionis Antichriſtianorum temporum effigies notari poteſt quàm in Arianiſmo: quod & [d] Veteres ſubindicârunt, & res ipſa docuit. Nam [e] *univerſus penè mundus, ſæva repentinæ hæreſeos tempeſtate* ſic eſt *perculſus,* [f] ut *non ſolùm Orientis & Occidentis partem maculaverit, ſed & Meridianam & Septentrionis plagam, & ipſas inſulas ſuâ perfidiâ irretiverit:* adeoque [g] *ingemuerit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus ſit.* Pii interim & [h] *Chriſti ſtudioſi, ut magnus ille Propheta Elias, abſcondebantur, & in ſpeluncas & cavernas terræ ſeſe abſtrudebant, aut in ſolitudine oberrantes commorabantur.* [i] *Fugientes* enim *precationum ædes, ut impietatis ſcholas; in ſolitudine ad Dominum manus attollere* coacti ſunt: [k] *pars* verò *maxima interdictis urbibus protruſi atq; extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, contriti & tabefacti ſunt.* Cumque [l] *eadem cum patribus paterentur, haud tamen viſi ſunt pro Chriſto pati, propterea quòd &*

[c] Greg. Nazianz. initio orat. 25. ad Arianos.

[d] Vid. Hilar. contra Auxent. Baſil. epiſt. 70. 71. & vitam Antonij, inter opera Athanaſ.

[e] Vincent. Lirinenſ. in Commonitorio.

[f] Ioh. Biclarienſis, in Chronico.

[g] Hieronym. contra Luciferianos.

[h] Athanaſ. in epiſt. ad ſolitar. vitam agentes.

[i] Baſil. epiſt. 69.

[k] Vincent. Lirinenſ. in Commonitorio.

[l] Baſil. epiſt. 71.

& ipſi perſecutores Chriſtianorum nomine cenſerentur. ita ut Baſilio Magno iſta aliquando injecta ſit cogitatio: [m] *An Eccleſias ſuas prorſus reliquit Dominus? An noviſſima hora eſt, & hoc pacto initium ſumit defectio, ut iam deinceps reveletur iniquus ille, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omnem qui dicitur Deus, aut numen?*

[m] *Baſil. ibid.*

8 Et videri quidem poterat Dominus deſeruiſſe Eccleſias ſuas: at nec illis Arianæ calamitatis difficilimis temporibus, nec in ipsâ quidem defectione Antichriſtianâ [n] *abiecit Deus populum ſuum quem prænovit. An neſcitis de Eliâ quid dicat Scriptura? quomodo interpellet Deum adverſus Iſraëlem, dicens: Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſuffoderunt; & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit ei divinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non flexerunt genu Baali. Ita igitur & hoc tempore reſervatio ſecundùm electionem gratiæ facta eſt.* Neque enim dubitandum, vel in medio Papatu ſervâſſe Deum electos ſuos; multaque eorum millia extitiſſe, quibus idem, quod ducentis illis Hieroſolymitanis in Abſalomi contra patrem conſpiratione accidit, qui conjuratorum turbam ſecuti ſunt, [o] *euntes ſimplici corde, & cauſſam penitùs ignorantes.* Id enim boni ex Ignorantiâ, quâ Pontifices detinendum vulgus cenſuerunt, conſecuti ſunt, ut * τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ, hoc eſt, præcipuas & maximè pernicioſas Papatus corruptelas ignorârint: divinâ providentiâ res ita diſponente, [p] *ut ſub Antichriſti Sacerdotibus* (quemadmodum loquitur Hilarius) *Chriſti populus non occideret.*

[n] Rom. 11. v. 2. 3. &c.

[o] 2. Sam. 15. 11.

* profunditates Satanæ. *Apoc.* 2. 24.

[p] *Hilar. contra Auxentium.*

9 Quod ſi objeceris, ſaltem *implicitè* credidiſſe plebeios, quod crediderunt Prælati: reſponſum habebis

[q] Thom 2.2. q. 2. art. 6.

bis à Thomâ,[q] *quòd minores non habent fidem implicitam in fide maiorum, niſi quatenus maiores adhærent doctrinæ divinæ.* Nec nobis videtur negligenda, illa ab Auguſtino [r] inter *Hæreticos* & *Hæreticis credentes homines* poſita differentia. [ſ] *Qui enim ſententiam ſuam* (ut inquit ille) *quamvis falſam atque perverſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audaciâ præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ ſolicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint; nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* quò ſpectat & celebris illa B. Cypriani martyris ſententia. [t] *Si quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſervavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati eius de indulgentiâ Domini venia concedi: nobis verò non poterit ignoſci, qui nunc à Domino admoniti & inſtructi ſumus.*

[r] Auguſt. de Vtilitate credendi ad Honorat.
[ſ] Idem, ep. 162. ad Donatiſt.
[t] Cyprian. epiſt. 63. §. 13.

10 Quid quòd præcipua religionis Tridentinæ capita, nondum pro fidei articulis ne inter ipſos quidem Doctores Pontificios conſtanter ſunt recepta; ſed inter doctos controverſa, & variè diſputata? quod in ſequente capite à nobis attingetur, & in particulari Papiſticarum Controverſiarum Hiſtoriâ pleniùs oſtendi poterit. Ut taceamus, longè plurimos ſub Pontificiâ tyrannide ingemuiſſe, ac ſuſpirâſſe propter abominationes quas in medio Babylonis videbant fieri.

Ezech. 9. 4.

11 Poſtremò non defuerunt etiam in omnibus ferè terris numeroſi piorum cætus, qui toto ſoluti Satanæ tempore bellum Antichriſto indixerunt. cujuſmodi erant, quos Papiſtæ (cùm primum ſectæ authorem, à quo denominarentur, invenire non poſ-

ſent)

ſent) à quodam Petro Waldio Lugdunenſi, (de quo in capite octavo plura) Waldenſium & Pauperum Lugdunenſium ſive Leoniſtarum nomina indiderunt. quam in rem, Doctoris Pontificii, qui in Germaniâ ante tempora Huſſitica de Waldenſium doctrinâ & moribus ſcripſit (& à quibuſdam cum Rainerio Italo Inquiſitore perperàm confunditur) firmum ac grave habemus teſtimonium. *Secta* (ait [u] ille) *hæreticorum ab olim fuerunt multæ: inter quas omnes ſectas, quæ ſunt vel fuerunt, non eſt pernicioſior Eccleſiæ Dei* (nempe [x] Domini Dei veſtri Papæ) *quàm Pauperum de Lugduno; tribus de cauſſis. Prima, quia* DIUTURNIOR. *Quidam dicunt, quòd duraverit à tempore Silveſtri: alij dicunt, quòd à tempore Apoſtolorum. Secunda eſt, quia* GENERALIOR. *Ferè enim nulla terra eſt, in quâ hæc ſecta non ſerpat. Tertia, quòd omnes aliæ, cùm immanitate blaſphemiarum in Deum horrorem inducant, hæc Leoniſtarum magnam habet ſpeciem pietatis; eo quòd coram hominibus iuſtè vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos qui in Symbolo continentur: ſolam Romanam Eccleſiam blaſphemant & oderunt: cui multitudo facilis eſt ad credendum.*

[u] *In rerum Bohemic. ſcript. à M. Frehero edit. pag. 222. 223.*

[x] *Zenzelin. in gloſſ. extrav. Iohan. XXII. tit. 14. cap. 4.* Cùm inter, *prope fin.*

12 Quod quidem de Waldenſium moribus & doctrinâ ab acerrimo ipſorum hoſte profectum teſtimonium eo diligentiùs eſt notandum: quòd ab adverſariis res hæc variis extracta ſit calumniis; & Waldenſium cætibus flagitioſiſſima quæque & maximè portentoſa in Papiſtarum ſcriptis affingi ſoleant. Quæ dum conſidero attentiùs, [y] Cæcilium aliquem in homines Chriſtianos perorantem audire mihi videor. *Homines deploratæ, illicitæ, ac deſperatæ factionis graſſari in deos, non ingemiſcendum eſt? qui de ulti-*

[y] *in Minutij Felicis Octavio.*

mâ fæce collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanæ coniurationis inſtituunt: quæ nocturnis congregationibus, & ieiuniјs ſolennibus, & inhumanis cibis, non ſacro quodam, ſed piaculo fœderantur: latebroſa & lucifuga natio, in publico muta, in angulis garrula: templa, ut buſta, deſpiciunt: deos deſpuunt, rident ſacra, miſerantur miſeri (ſi fas eſt) ſacerdotum honores, & purpuras deſpiciunt ipſi ſeminudi: pro mirâ ſtultitiâ & incredibili audaciâ ſpernunt tormenta præſentia, dum incerta metuunt & futura; & dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent. ita illis pavor & fallax ſpes ſolatio redivivo blanditur. Ac iam, ut fœcundiùs nequiora proveniunt, ſerpentibus indies perditis moribus per univerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt. eruenda prorſus hæc & execranda conſenſio. occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuò penè antequam noverint: paſſim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miſcetur. ac ſe promiſcuè appellant Fratres & ſorores, ut etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum. ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur. Nec de ipſis, niſi ſubſiſteret veritas, maximè nefaria & honore præfanda ſagax fama loqueretur.

13 *Audio eos turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum ineptâ neſcio quâ perſuaſione venerari: digna & nata religio talibus moribus. aliј eos ferunt ipſius antiſtitis ac ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam, neſcio an falſa, certè occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio: & qui hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia, eorum cæremonias fabulantur, congruentia perditis ſceleratiſq́; tribuunt altaria, ut id colant quod merentur. Iam de initiandis tirunculis fabula tam*

deteſtanda quàm nota eſt. infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei qui ſacris imbuitur. is infans à tirunculo, farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultiſq; vulneribus occiditur: huius (proh nefas) ſitienter ſanguinem lambunt; huius certatim membra diſpertiunt. hâc conſcientiâ ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur. hæc ſacra ſacrilegijs omnibus tetriora. Et de convivio notum eſt; ad epulas ſolenni die coeunt, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis. illic poſt multas epulas, ubi convivium caluit, & inceſtæ libidinis fervor ebrietate exarſit, canis qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ ultra ſpatium lineæ, quâ vinctus eſt, ad impetum & ſaltum provocatur: ſic everſo & extincto conſcio lumine impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum ſortis: & ſi non omnes operâ, conſcientiâ tamen pariter inceſti: quoniam voto univerſorum appetitur, quicquid accidere poteſt in actu ſingulorum. Multa prætereo conſultò. Nam & hæc nimis multa ſunt, quæ aut omnia, aut pleraq; omnium vera declarat ipſius pravæ religionis obſcuritas. Cur etenim occultare & abſcondere, quicquid illud colunt, magnopere nituntur? cùm honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra? nunquam palàm loqui, nunquam liberè congregari ſuſtinent, niſi illud quod colunt & interprimunt, aut puniendum eſt, aut pudendum?

14 Hiſce maximè ſunt gemina, quæ, licèt non eâdem elegantiâ pari tamen malitiâ, de Waldenſibus declamare conſueverunt Pontificiorum Fraterculorum mendicabula: de quorum toto genere id dici poteſt, quod de Græcorum gente ab [z] Oratore uſurpatum eſt. *Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam*

[z] *Tull. Orat. pro L. Flacco.*

iſta natio coluit. ut non ineptè olim in Trialogo ſuo Wiccliffius noſter concluſerit. [a] *Sicut eſt argumentum topicum, quòd homo comptus exhinc eſt luxurioſus : ſic eſt argumentum topicum; Iſta opinio originatur à fratre, ergo eſt falſa. nam eorum mendacia* (inquit) *faciunt evidentiam ad hoc topicum argumentum.* quod ſanè etiam apud Papiſtas illius temporis fuiſſet argumentum plus quàm probabile : cùm *in ore cuiuſlibet, bonum fuerit argumentum tenens tam de formâ quàm de materiâ ; Hic eſt frater, ergo mendax : ſicut & illud ; Hoc eſt album, ergo coloratum.* quemadmodum in Richardi II. hiſtoriâ confirmat Thomas Walſinghamus Benedictini ſodalitii monachus. Verùm novis iſtis mendaciorum architectis, idem hîc uſu venit, quod veteribus illis Chriſtiani nominis obtrectatoribus accidiſſe notavit Budæus : [b] *ut maledicta eorum ſacrilega ac nefaria etiam invicem collidantur. In quo* (ait ille) *pretium eſt operæ vim veritatis animadvertere, quæ nonnunquam invitis erumpit, ita fallens inter mendacia, ut ab audientibus demum agnoſcatur, cùm interim loquentes adhuc habere ſe in poteſtate eam putent.*

[a] *Wiccliff. Trialog. lib. 4. cap. 8*

[b] *Budæus, de Aſſe, lib. 4.*

15 Pontificius quidam Inquiſitor, [c] *Leoniſtarum*, ſive Waldenſium mores deſcripturus, hujuſmodi utitur præfatiunculâ : *Cognoſcuntur hæretici per mores & verba. Sunt enim in moribus compoſiti & modeſti ; ſuperbiam in veſtibus non habent. &c.* Miſerrima profectò tempora, in quibus *compoſiti & modeſti mores* hæreticorum haberentur inſignia. Fratribus Bohemis, Waldenſium ſoboli, non diſſimile perhibuit teſtimonium, qui fidei ipſorum fuit inimiciſſimus, Iacobus Lielenſtenius Dominicanus. *Dico* (inquit) *quòd in moribus & vitâ boni ſunt, veraces in ſermone, in caritate fraternâ*

[c] *Rer. Bohemic. ſcript. à Frehero edit. pag. 231. lin. 44.*

ternâ unanimes. Sed fides eorum eſt incorrigibilis & peſſima; ut patuit in tractatu meo. Cujuſmodi verò fuerit eorum fides, Æneas Sylvius (cujus in eos non minùs hoſtilis fuit animus, quàm Dominicani illius) in hiſtoriâ Bohemicâ, quanquàm fide non uſquequaque integrâ, longè tamen quàm alii nonnulli integriore, ſic exponit. *Proruperunt* (ait [d] ille de Bohemis) *in blaſphemias, & cùm aliquibus ignavis fortaſſe ac vitioſis maledicere poſſent, in omnes latrare ſacerdotes cæpere: & ab Eccleſiâ Catholicâ recedentes, impiam Valdenſium ſectam atque inſaniam amplexi ſunt. Huius peſtiferæ ac iampridem damnatæ factionis dogmata ſunt:*

[d] *Aen. Sylv. hiſt. Bohem. cap. 35. Iacob. Picolomineus, commentar. lib. 6. Anton. Bonſin. Rer. Hungaric. Decad. 3. lib. 2. Bernard. Lutzenburg. catal. hæretic. voc.* Waldenſes.

16 *Romanum præſulem reliquis Epiſcopis parem eſſe.*

Inter Sacerdotes nullum diſcrimen: Presbyterum non dignitatem, ſed vitæ meritum efficere potiorem.

Animas è corporibus excedentes, aut in æternas e veſtigio pœnas mergi, aut perpetua conſequi gaudia.

Purgatorium ignem nullum inveniri.

Vanum eſſe orare pro mortuis, & avaritiæ ſacerdotalis inventum.

Dei & ſanctorum imagines delendas.

Aquarum palmarumq́ benedictiones irridendas.

Mendicantium religiones malos Dæmones inveniſſe.

Sacerdotes pauperes eſſe debere, ſolâ contentos eleemoſynâ.

Liberam cuiq́ prædicationem verbi Dei patere.

Nullum capitale peccatum, quantumvis maioris mali vitandi gratiâ tolerandum.

Qui mortalis culpæ reus ſit, eum neq́ ſeculari, neq́ eccleſiaſticâ dignitate potiri, neq́ parendum ei.

Confirmationem, quam chriſmate Pontifices inducunt, & extremam unctionem inter Eccleſiæ ſacramenta

minimè contineri.

Auricularem confeßionem nugacem eſſe: ſufficere ſua quemq́; Deo in cubili ſuo conqueri peccata.

Baptiſma fluvialis undæ, nullâ interiectâ ſacri olei mixturâ recipiendum.

Cœmiteriorum inanem uſum, quæſtus cauſsâ repertum: quacunq́; tegantur tellure humana corpora, nihil diſtare.

Templum Dei latè patentis ipſum mundum eſſe: coarctare maieſtatem eius, qui eccleſias, monaſteria, oratoriaque conſtruunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur.

Sacerdotales veſtes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vaſaq́; huiuſmodi nil habere momenti.

Sacerdotem quocunq́; loco, quocunq́; tempore ſacrum Chriſti corpus conficere poſſe, petentibusq́; miniſtrare: ſufficere, ſi verba ſacramentalia tantùm dicat.

Suffragia Sanctorum in Cœlis cum Chriſto regnantium fruſtrà impetrari, quæ iuvare non poſſunt.

In canonicis horis cantandis dicendiſq́; fruſtrà tempus teri.

Nullâ die ab opere ceſſandum, niſi qua Dominica nunc appellatur.

Celebritates Sanctorum prorſus reijciendas.

Ieiunijs quoq́; ab eccleſiâ inſtitutis, nihil ineſſe meriti.

17 Magdeburgenſes hiſtorici: [c] *ex antiquo manuſcripto libro* ſequentes Waldenſium propoſitiones recitant.

[c] Centur. 12. cap. 8. col. 1206. 1207.

In articulis fidei ſummam eſſe ſacræ Scripturæ authoritatem, eamque ob cauſſam eſſe normam iudicandi, ut quicquid cum verbo Dei non congruat, meritò ſit

ſit repudiandum & fugiendum.

Patrum & Conciliorum dogmata eatenus probanda, quatenus cum verbo Dei conveniunt.

Sacrarum Scripturarum lectionem & cognitionem omnibus hominibus, tum laicis tum ſacratis viris, liberam & neceſſariam eſſe: imò potiùs Prophetarum & Apoſtolorum monumenta legenda eſſe, quàm hominum commenta.

Duo eſſe Eccleſiæ Chriſti Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam Domini.

Utriuſque ſpeciei uſum pro ſacerdotibus & laicis à Chriſto inſtitutum eſſe.

Miſſas eſſe impias, ac furorem eſſe pro mortuis miſſificare.

Purgatorium eſſe figmentum hominum. Credentes enim in vitam æternam; non credentes autem in damnationem æternam venire.

Sanctorum mortuorum invocationes & cultum eſſe idololatriam.

Romanam Eccleſiam eſſe meretricem Babylonicam.

Papæ & Epiſcopis non obtemperandum, quia ſint lupi Eccleſiæ Chriſti.

Papam non habere primatum ſuper omnes Eccleſias Chriſti, nec habere poteſtatem utriuſque gladij.

Eccleſiam Chriſti eſſe, quæ ſincerum Chriſti verbum audiat, & Sacramentis ab ipſo inſtitutis utatur, ubicunque locorum ea exiſtat.

Vota eſſe hominum figmenta, Sodomam nutrientia.

Tot ordines eſſe characteres beſtiæ.

Monachatum eſſe cadaver fœtidum.

Templorum tot ſuperſtitioſas dedicationes, memorias mortuorum, benedictiones creaturarum, peregrinationes,

tot coacta ieiunia, tot feſta ſuperflua, perpetuos iſtos hominum indoctorum boatus, ac reliquarum ceremoniarum obſervationes, verbi doctrinam & inſtitutionem manifeſtè impedientes, eſſe inventiones diabolicas.

Coniugium ſacerdotum eſſe licitum & neceſſarium.

[f] Reginald. Calvino-Turciſm. lib. 2. cap. 5.

18 Guilielmus Reginaldus [f] Turco-papiſta, Pauperum Lugdunenſium dogmata recenſet iſta. *Olei ſacri in Baptiſmo admiſtionem improbârunt: improbârunt omnes Eccleſiæ benedictiones, & creaturarum conſecrationes; irriſerunt cantus Eccleſiaſticos & horas canonicas; ſuſtulerunt confeſſionem auricularem, Confirmationem & Unctionem extremam, Quadrageſimam & præſcriptos ieiuniorum dies; nihilo maius in exactiſſimâ ieiunij obſervatione, quàm in moderatâ p·ſtione meritum collocantes. Horrebant Fratrum & Monachorum privatas religiones, quas etiam malo dæmoni aſſcribebant. Reijciebant Pontificem Romanum & Prælatos Eccleſiæ, quibus nullam obedientiam credebant eſſe debitam. Docebant ita à tempore Silveſtri Pontificis Romani eam Eccleſiam fuiſſe ita contaminatam, ut qui eius fidem teneret, non potuerit ſalvari. Docebant ſanctorum feſta in Eccleſiâ non debere ferri, nec poſſe Sanctos ſine Dei iniuriâ coli aut invocari. Docebant Miſſas, eleemoſynas, orationes & ſuffragia pro defunctis, ijſdem nihil omnino prodeſſe. Deniq; imagines ita averſabantur, ut manifeſtam idololatriam clamarent quòd in Ecclesijs Chriſtianorum tolerarentur.*

[g] Sander. viſib. monarch. lib. 7. an. 1198.
[h] Cocc. theſaur. tom. 1. lib. 8. artic. 3.
[i] Parſon. de trib. Angliæ converſionib. part. 2. cap. 10. §. 26. 27.

19 Hic verò à [g] Sandero, [h] Coccio, [i] Parſonio & aliis illarum partium nobis occurritur: utcunque Waldenſes cum noſtrorum temporum Proteſtantibus in nonnullis dogmatibus conſenſerint, in pluribus tamen ab iiſdem diſſenſiſſe; ideoque ad eandem

Eccleſiam

Eccleſiam utroſque pertinere non poſſe. Quod, ut probent, ex [k] Guidone Perpiniano Carmelitâ atque [l] Antonino Florentino Archiepiſcopo Sanderus & Coccius; ex Gabriele Prateolo & Bernardo Lutzenburgio Rob. Parſonius, abſurdas quaſdam hæreſes producunt, quas à Waldenſibus mordicus defenſas fuiſſe perſuadere nobis volunt. Quarum accuſationum vanitas ut magis eluceſcat, libet ſcriptores Pontificios inter ſe committere: quò planum fiat non modò iſtos hîc de ſinu ſuo apposuiſſe calumniatores (quod ad teſtimonii fidem elevandam per ſe ſufficeret) ſed etiam ipſorum adverſariorum non eſſe *paria teſtimonia; adeoque in totâ hâc cauſâ ipſos loqui pugnantia, & non modò non cohærentia inter ſe dicere, ſed maximè diſiuncta atque contraria. Sic enim apparebit, & quàm verum illud ſit quod à nobis antea pronuntiatum eſt, *maledicta eorum nefaria invicem collidi*; & quàm falſum illud quod Robertus Parſonius ſcribere non eſt veritus, novem illos quos objectat articulos, Waldenſibus *generaliter ab omnibus authoribus, qui de eis ſcribunt*, attributos eſſe. Quam hominis inconſideratiſſimi confidentiam ut retundamus: age, ſingulatim objectos articulos expendamus, & cum aliorum Papiſtarum teſtificationibus conferamus.

[k] *Guid. Carm. in Summâ, tit. de hæreſ. Waldenſ.*

[l] *Antonin. 4. part. Summæ, tit. 11. cap. 7.*

* *Marc. 14. 56.* Πολλοὶ γὰρ ἐψευδομαρτύρουν κατ' αὐτοῦ· καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν. Multi enim teſtimonium falſum dicebãt adverſus eum: ſed non erant paria (*vel* convenientia) ipſorum teſtimonia.

20 *Primus* articulus, quem ex Prateolo ſuo producit Parſonius (à Sandero quoq; & Coccio ex aliis authoribus repetitus) hic eſt: *Urente carnis libidine, omnem carnalem concupiſcentiam & commixtionem eſſe licitam.* A Nicolao Eymerico, in ſecundâ parte Directorii Inquiſitorum, quæſt. 14. hoc modo proponitur. *quòd melius eſt ſatisfieri libidini, quocunq; actu turpi,*

quàm

quàm carnis ſtimulis fatigari: ſed eſt (ut dicunt, & ipſi faciunt) in tenebris licitum, quemlibet cum qualibet indiſtinctè carnaliter commiſceri, quandocunq́; & quotieſcunq́; carnalibus deſiderijs ſtimulentur. Cæcilianam accuſationem agnoſcimus: quam & maioribus noſtris à *Iudæis*, & nobis ipſis hodie à *Papiſtis* ſimiliter intentatam novimus. A Iudæis enim ſub ipſa *Chriſtianiſmi initia*, ejuſmodi de Chriſtianæ religionis profeſſoribus *rumorem ſparſum* eſſe, libro 6. contra Celſum author eſt Origenes; *quòd quoties eis liberet operam dare occultis libidinibus, extincto lumine conſtupraret quam quiſq́; primam nactus fuerit. quæ falſa & iniqua opinio* (inquit Origenes) *dudum valde multos à religione noſtrâ alienos tenuit, perſuaſos quòd tales ſint Chriſtiani. nec deſunt hodieque impoſtores qui hoc pacto deceptos à ſe, non ſinant vel ſimplex colloquium habere cum Chriſtiano homine.* Noſtris quoque temporibus ad immanem illam profeſſorum Euangelii apud Pariſienſes carnificinam per eaſdem calumnias à monachis Pontificiis facta eſt via; quaſi non alio fine convenire ſolerent noſtri, [m] *quàm ut lautè & genialiter epulati, mox promiſcuè, luminibus extinctis, ſcortarentur.* Quin & perfrictâ fronte Ieſuita [n] Alphonſus Salmeron hoc ipſum literarum monumentis conſignare non erubuit: *Lutherani iam fornicationem peccatū eſſe non ducunt.* Verùm ut iſtorum ſycophantarum calumnias ipſa rei evidentia diſſipavit: ita pro Waldenſium innocentiâ, ex ipſorum Pontificiorum Inquiſitorum numero duos locupletiſſimos habemus teſtes. quorum alter ita de eis diſertè pronuntiat: [o] *Caſti ſunt Leoniſtæ.* alter ita: [p] *Quælibet naturâ turpia devitant. Item ſuos ſubditos ad eadem diligenter informant.*

[m] *Iac. Lectius, in vitâ Ant. Sadeelis.*

[n] *Salmer. commentar. in Euangel. tom. 5. tractat. 38.*

[o] *Rer. Bohemic. ſcript. à M. Freher. edit. Hanov. an. 1602. pag. 231. lin. 48*

[p] *Ib. pa. 232. 42*

21 *Secundus* Parſonij articulus eſt: *Omnia iuramenta eſſe Chriſtianis interdicta, ſicut nullâ omnino de cauſſâ iurare liceat: quia ſcriptum ſit, Nolite iurare. Mat.* 5. *Iac.* 5. Similiter Sanderus & Coccius: *Omne iuramentum prorſus illicitum eſſe dicunt.* Vetus author Germanus, qui de Waldenſium doctrinâ & moribus ſcripſit, hujus erroris [q] *occaſionem* fuiſſe dicit, *Frequentiam iurandi & aſſiduitatem pro levibus cauſſis; & quia incidunt in periuria:* additque lepidam ſimilitudinem; *Hæreticos, qui nunquam iurant, ſimiles eſſe Diabolo, qui nunquam legitur iurâſſe.* At qui à Chriſto didicerunt: *Eſto ſermo veſter, Etiam etiam, Non non; quod autem ſupra hæc redundat, à malo* illo *eſt:* Matth. 5. 37. Papiſtas apud quos inolevit *frequentia iurandi & aſſiduitas pro levibus cauſſis*, multo ſimiliores *malo* huic dæmoni judicabunt, quàm Waldenſes, qui (ut ex relatione [r] Inquiſitoris Pontificij conſtat) dicere tantùm conſueverunt, *Eſt eſt, Non non; caventes & à mendacio, & à iuramento.* Frater Raynerius in *Summâ de Catharis & Leoniſtis* (Pariſijs à Claudio Couſſord ann. 1548. editâ) ita rem hanc proponit, ut facilè quis *inter mendacia erumpentem veritatem* poſſit animadvertere. *Omne* (inquit) *iuramentum illicitum eſſe perhibent, inde verò & mortale peccatum: ſed diſpenſant, ut iuret quis pro evadendâ morte corporis, ne alios prodat aut ſecretum revelet perfidiæ ſuæ.* Iam verò qui conſideraverit, hujuſmodi cum peccatis *diſpenſandi* facultatem à Waldenſibus ſimpliciter damnatam eſſe, aſſerentibus, *Nullum capitale peccatum eſſe tolerandum, etiamſi vitandi quantumvis maioris mali gratiâ permittatur* (qui Gabrieli Prateolo Pauperum de Lugduno 33°. error eſt) falſum objectum crimen ſtatim videt, quòd ſenſerint *omne iuramentum illici-*

[q] *Ibid.* 231.42.

[r] *Ibid.* 231. 53. 57.

tum, inde verò & mortale peccatum eſſe perhibuerint.

22 Itaque alter *mendax fraterculus* (Ivonetus is eſt, cujus fragmentum ex manuſcripto codice bibliothecæ Vaticanæ à Franciſco Pegnâ relatum eſt in comment. 37. ad part. 2. Director. Inquiſit.) fingit eos ſententiam hîc mutâſſe. *Definierunt* (inquit) *olim non iurare omnino : ſed quia per hoc faciliùs deprehendebantur & condemnabantur, cautè diſpenſaverunt modò iurare, pro ſe vel pro alio à morte liberando vel defendendo.* tum verò abſona quæque comminiſcitur : *aut palliatis verbis eos iurare, ne* (ſcilicet) *putentur iurâſſe ; aut ſi coguntur ab aliquo iurare, refundere peccatum in Chriſtum, ut ipſi videantur immunes ; aut ſi iurant per ſe timore mortis*, hujuſmodi proponere ſibi *pænitentiam, ut pro quatuordecim periurijs teneantur unum attrahere ad ſectam ſuam pro ſatisfactione peccati.* &, ne mendaciorum cumulo quid deeſſet, ſuccedit tertius frater Nicolaus Eymericus ; qui in 2. parte Director. Inquiſitor. quæſt. 14. de hæreſibus Waldenſium ita ſcribit. *Tertius error & hæreſis eſt : quòd iurare in iudicio, ſive extra iudicium, pro quacunque cauſsâ, & in quocunq; caſu, eſt illicitum, & mortale peccatum.* & ſtatim tamen addit. *Quartus error & hæreſis eſt : quòd deierare in iudicio coram Iudicibus, de dicendâ veritate, & revelandis complicibus ſuis in hâc ſectâ non eſt illicitum, nec peccatum ; immò licitum atq; ſanctum.* Verùm non minùs hos à mendacijs & perjurijs fuiſſe alienos, quàm falſos iſtos fratres ab omni ſinceritate & modeſtiâ ; dùos illos Inquiſitores, in ſuperiori citatos articulo, teſtes do : quorum alter de *Leoniſtis* ſive *Waldenſibus* ita ſcribit. [f] *Cavent à detractione, & à ſcurrilitate, & à mendacio, & à iuramento.* alter ita : [t] *In verbis ſunt cauti ; mendacia, iuramenta, & quælibet naturâ turpia devitant.*

[f] ibid. 231. 53.

[t] ibid. 232. 42. 43.

tant. quibus addatur & tertius, Germanus ille qui de Waldenſium doctrinâ & moribus ſcriptum edidit. [a] *Docent vitare mendacium, detractionem & iuramentum.* [a] *ibid. 222. 15.16.*

23 *Tertius* articulus eſt: *Nullum iudicium ſupplicij capitalis Chriſtianis permiſſum eſſe in hâc vitâ: quia ſcriptum ſit; Nolite iudicare. Mat. 7. Luc. 6.* Ita ex Prateolo & Lutzemburgio Parſonius. & Coccius: *Nullum omninò iudicium ſanguinis, aut cuiuſcunque corporalis ſupplicij ferunt.* Alphonſus de Caſtro Minorita, adverſus hæreſes lib. 8. tit. *de Iudice*, paulo diffidentiùs. *Docent nullum Iudicem poſſe damnare aliquem hominem ad pænam aliquam. Hunc errorem illis impingit Guido; quanquam Æneas Sylvius in lib. de origine Bohemorum, cap. 35. errores Waldenſium recenſens, huius non meminit. Quod ſi ita ſentiunt Waldenſes, non eſt mirandum, quoniam hoc eſt ſceleratis hominibus proprium, ut impunitatem ſuis ſceleribus optent, quo liberiùs & ſecuriùs quæ voluerint ſcelera perpetrare valeant.* Hæc ille; locuturus adhuc multo diffidentiùs, ſi legiſſet quod de Waldenſium quodam martyre retulit Germanus ille, qui de eorum doctrinâ & moribus tractatum edidit. [x] *Cùm quidam hæreſiarcha hæreticus chirothecarius in Cheron duceretur ad mortem, dixit coram omnibus: Meritò nos damnatis modò, quia ſi ſtatus noſter non eſſet imminoratus, poteſtatem mortis, quam exercetis contra nos, modò exercuiſſemus contra clericos & religioſos.* [x] *ibid. 222. 47.*

24 *Quartus* articulus: *Symbolum Apoſtolicum contemnendum eſſe, nulloque loco habendum.* Parſonius eos ſe articulos propoſiturum pollicitus, qui Waldenſibus *generatim ab omnibus authoribus qui de eis ſcribunt* attributi fuerint; hunc tamen in duobus authoribus, quos hâc in cauſâ præcipuè ſequitur, Gabriele Prateolo

& Bernardo Lutzenburgio, invenire non potuit. Sanderus & Coccius ex Guidone Carmelitâ repetunt, cui 21°. Waldenſium error eſt, quòd *contemnunt Symbolum, ſcilicet Credo in Deum.* Similiter & Nicolao Eymerico, hic eorundem 17°. *error & hæreſis eſt: quòd Symbolo fidei non eſt ſtandum, nec credendum, nec pro oratione dicendum, cùm ſit per Romanam Eccleſiam (ut dicunt) ordinatum.* Ait Coccius, Lutheranos & Calviniſtas hoc quidem non probare: in eo tamen cum Waldenſibus conſentire, quòd *Angelicam Salutationem nihili faciunt.* at quàm inſulſum hoc, ut qui [y] Novum Teſtamentum ſemper fecerunt maximi (quod de Waldenſibus pariter ac noſtris ipſa negare non poteſt impudentia) ij *Angelicam ſalutationem,* quæ pars eſt Euangelij, *nihili feciſſe:* & qui [z] *credunt omnes articulos qui in Symbolo continentur* (quod Waldenſes credidiſſe, de noſtris enim nihil hîc dicere neceſſe eſt, authorem Germanum, qui de eorum doctrinâ & moribus ſcripſit, teſtatum audivimus) ij *Symbolum contempſiſſe ac nullo loco habuiſſe* nec omnino (quod Eymericus fingit) *credidiſſe* exiſtimentur? Illud quidem admittimus, atque adverſus ſuperſtitioſorum Papiſtarum inſcitiam defendimus, quod Waldenſibus à quodam Inquiſitore, qui *modum orandi* ab eis uſitatum deſcripſit, tributum legimus. [a] *Nec orationem reputant Salutationem Angelicam, Ave Maria; nec Symbolum Apoſtolorum, Credo in Deum.* an inde tamen erit conſequens, vel illos vel noſtros, aut *Salutationem Angelicam* aut *Symbolum Apoſtolorum* nihili facere? apage ineptias.

[y] *ibid.* 222. 25. 27. 42. 223. 14. 25. 224. 39. 226. 39.

[z] *ibid.* 223. 5.

[a] *ibid.* 232. 10.

25 *Quintus* Parſonij articulus eſt: *Chriſtianos nullâ aliâ precatione uti debere, præterquàm oratione Dominicâ quæ in Scripturâ eſt propoſita.* Idipſum affirmat, qui [b] de

[b] *ibid.* 232. 8.

modo

modo orandi à Waldenſibus uſitato ſcripſit, proximè à nobis citatus Inquiſitor Pontificius: necnon Eymericus in 3. parte Directorij Inquiſitorum, num. 112. ſigna exteriora per quæ Waldenſes cognoſcuntur, deſcribens; & Lutzemburgius atque Prateolus, de *Inſabbatatis* agentes. Et tamen (cum oporteret mendaces eſſe memores) illi omnes uno conſenſu aliam orandi formulam à Waldenſibus receptam commemorant; ita de eis ſcribentes. Quando menſæ accumbunt, per hunc modum benedicunt: *Qui benedixit quinque panes hordeaceos & duos piſces in deſerto diſcipulis ſuis, benedicat hanc menſam nobis:* & quando ſurgunt, dicunt illud Apocalypſis: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & virtus, & fortitudo, Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.* Addit Inquiſitor ille, [c] eum qui inter ipſos eſt antiquior poſtea ſubdere: *Deus reddat bonam mercedem & bonum cambium omnibus illis qui benefaciunt nobis.* &, *Deus qui dedit nobis cibum corporalem, det vitam ſpiritualem.* &, *Deus ſit nobiſcum, & nos cum eo ſemper:* & alios reſpondere, *Amen.* Germanus, qui de Waldenſium doctrinâ & moribus ſcripſit, eos dixiſſe notat, [d] *quòd unum Pater noſter plus proſit, quàm ſonitus decem campanarum:* (unde fortaſſe calumniæ nata eſt occaſio:) ſed ſolâ oratione Dominicâ eſſe uſos adeò non putavit, ut pro ſtatutis Eccleſiæ & non ſcriptis traditionibus hoc argumento adverſus eos pugnet. [e] *Si hæreticis orationes licet facere, & benedictiones, & expoſitiones novas, & ſtatuta, & habere conſuetudines, quas Apoſtoli non habebant: igitur & eâdem ratione Eccleſiæ licet.* Denique alterius Inquiſitoris, qui de moribus Waldenſium ann. 1391. ſcripſit, apertiſſimum habemus teſtimonium. [f] *Septies in*

[c] *ibid.* 232. 23.

[d] *ibid.* 227. 28.

[e] *ibid.* 226. 10.

[f] *ibid.* 232. 38.

in die orant. Senior incipit orationem, & facit eam prolixam vel brevem, ſecundùm quod ſibi videtur expedire: & alij ſequuntur eum in oratione.

26 *Sextus* ſequitur articulus: *Poteſtatem conſecrandi corporis Chriſti, & confeßiones andiendi, relictam eſſe à Chriſto, non ſolùm Sacerdotibus, ſed etiam laicis, ſi iuſti ſint.* Imò ſi duobus ordinis prædicatorii *fratribus* Nicolao Eymerico & Bernardo Lutzemburgio credimus, Waldenſes in eâ fuerunt hæreſi, *Quòd in ſacramento altaris panis non tranſſubſtantiatur in verum Chriſti corpus, nec vinum in ſanguinem, ſi Sacerdos conſecrans ſit peccator: & quòd omnis vir & mulier, de ſectâ eorum, eſt verè Sacerdos.* Videndum tamen quomodo cum iſtis conveniant articuli illi duo, quos ſuperiùs ex Æneâ Sylvio recitavimus. *Auricularem confeßionem nugacem eſſe: ſufficere ſua quemque Deo in cubili ſuo conqueri peccata.* item: *Sacerdotem quocunque loco, quocunque tempore ſacrum Chriſti corpus conficere poſſe, petentibuſque miniſtrare.* Germanus qui de Waldenſium doctrinâ & moribus ſcripſit, eorum de ſacramento Euchariſtiæ errores ita
g ibid. 224. 9. proponit. [g] *De ſacramento Euchariſtiæ dicunt, quòd Sacerdos in mortali peccato non poßit conficere. Quòd bonus laicus, etiam mulier, ſi ſcit verba, conficiat. Quòd tranſſubſtantiatio non fit in manu indignè conficientis, ſed in ore dignè ſumentis,* &c. Verùm ad peccatorum diſtinctionem quod attinet, Waldenſium hanc fuiſſe ſententiam
h ibid. 225. 33. ipſe idem author diſertè confirmat; [h] *quòd omne peccatum ſit mortale, & nullum veniale.* De Tranſſubſtantiatione quid ſenſerint, in *Summâ de Catharis & Leoniſtis* his verbis oſtendit Raynerius. *Corpus Chriſti & ſanguinem verum eſſe ſacramentum non credunt, ſed panem benedictum, qui in figurâ quâdam dicitur corpus Chriſti, ſicut*

ſicut dicitur, Petra autem erat Chriſtus, & ſimilia.

27 Quod verò dixerint *poteſtatem audiendi confeſſiones, & abſolvendi, laicis à Deo datam eſſe*: in eo cum *Lutheranis* & *Calviniſtis*, ſi quidem Coccium audimus, conſentiunt; ſin Sanderum, diſſentiunt: quia ſcilicet, *crimina putabant conſitenda; quod hodie à Calviniſtis non obſervatur.* at quàm nullum inter hos & illos fuerit diſcrimen, ſi ex Æneâ Sylvio nolit diſcere, ex Raynerio, Alphonſo de Caſtro, Guilielmo Reginaldo & Gabriele Prateolo porrò audiat. quorum primus in Summâ modò citatâ, de Waldenſibus ita ſcribit: *Aiunt ſufficere ad ſalutem ſoli Deo & non homini confiteri.* ſecundus, in 4°. libro contra hæreſes, tit. *de Confeſſione*, ita: *Omnino tollunt confeſſionem.* tertius, in Calvinoturciſm. lib.2. cap.5. eodem modo: *Suſtulerunt confeſſionem auricularem.* quartus, errores Pauperum de Lugduno recenſens, hunc 6°. loco propoſuit, quòd *Auricularem confeſſionem prorſus tollunt, eam neceſſariam eſſe negantes*: &, ne manifeſta appareret contradictio, articulum à Sandero & Parſonio objectum, quòd ſcilicet *poteſtas confeſſiones audiendi relicta eſſet à Christo non ſolùm Sacerdotibus, ſed etiam iuſtis laicis*, prudenter ſuppreſſit.

28 *Septimus* articulus eſt: *Sacerdotibus non licere eccleſiaſticis frui beneficijs, ſed ex eleemoſynis vivere debere; nulloſq́ Epiſcopos vel dignitatem aliam in clero admitti oportere, verùm omnes pares ſtatuendos eſſe.* Iſta ex Prateolo mutuatus eſt Parſonius, ex Æneâ Sylvio Prateolus: apud quem his verbis concepta leguntur. *Sacerdotes pauperes eſſe debere, & ſolâ contentos eleemoſynâ.* Dicunt etiam, *inter Sacerdotes nullum fore diſcrimen.* Et verum quidem eſt, Waldenſium & fratrum Bohe-

morum

morum paſtores, ut rerum ſuarum ſtatus poſtulabat, parvo contentos, tenui victu cultuque delectatos eſſe; ut qui *maiores ducerent divitias probrum Chriſti, quàm theſauros Ægypti:* ſed tantum abeſt, ut vel ſtipem putarent emendicandam, vel ex *ſolâ* vivendum *eleemoſynâ;* ut *mendicantium religiones malorum dæmonum inventionem* fuiſſe dixerint (quod præter alios Sylvius etiam & Prateolus atteſtantur:) ipſique, exemplo Apoſtoli, ad uſus vitæ neceſſarios opificia exercuerint, & manuum labore ſibi ac ſuis victum comparaverint. Sic enim de eis ſcribit Inquiſitor quidam

[i] *ibid.* 231.47. Pontificius: [i] *Doctores ipſorum ſunt textores & ſutores. Divitias non multiplicant, ſed neceſſariis ſunt contenti.* & ipſi fratres Waldenſes in reſponſione ad literas Au-

[k] *ibid.* 253.52. guſtini Olomucenſis ann. 1508. ſcriptâ: [k] *Nos pudore noſtrorum ſacerdotum non afficimur, ex hoc quòd hi laborent manibus ſuis ſecundùm poſſe victum ſibi quærentes: quia ſic doctrina & exemplum Apoſtolicum huc nos ducit. & nos quidem libentiùs id videmus, quàm quòd otio vacarent per tabernas, commercia Veneris & vanitates ſequentes, uſuras, ſacrilegia, cæteraſque nequitias exercentes.* Pleniùs verò, in ſcripto ann. 1572. edito: *Miniſtris quidem noſtris optaremus eam felicitatem, ut ſe & ſuos abſque illis adminiculis operarum honeſtarum alere poſſent. Ita enim plus temporis ſaltem ad ſtudia ſua ipſis ſuppeteret, & occaſio maior eſſet inſtituendi noſtros doctrinâ & eruditione neceſſariâ. Non enim ſuperſtitioſè certè, vel dementer potiùs, manibus opus facere mandamus noſtros, quòd, niſi hoc faciant, peccare eos iudicemus: ſicut de quodam memorari audimus, qui ex ſacerdote agricola factus fuerit, quòd ſcriptum eſſe diceret, In ſudore vultus comedes panem tuum. Ad eum modum, Chriſto gratia, non eſt paſſus labi noſtros Dominus.*

Sed

Sed plerique ex noſtris neceſſitate eò adiguntur, ut opus faciant, & honeſtæ officinæ operas exerceant, ne eſuriant; cùm ſtipendia certa nùlla habeant, quibus ſe & ſuos alant.

29 Atque hinc videmus, de duabus inter ſe contrarijs opinionibus, quas Waldenſibus ab adverſarijs attributas legimus, quid ſit ſentiendum. Qui enim de eorum doctrinâ ac moribus tractatum ſcripſit Germanus author, [1] aſſerit ipſos *omnem clerum damnaviſſe propter otium, dicentes eos debere manibus operari, ſicut Apoſtoli.* Guido verò in Summâ de hæreſibus Waldenſium, cap. 19. Sanderus item & Prateolus, dixiſſe affirmant, *perfectos non debere manibus laborare*, etiam ſuſtentandæ vitę cauſsâ. quod Alanus, lib°. 2°. contra Waldenſes, clariùs hunc in modum explicat. *Dicunt prædicti hæretici, quòd nullo modo proprijs manibus laborare debent, ſed ab illis quibus prædicant recipere neceſſaria: quod conantur varijs auctoritatibus confirmare. Ait enim Apoſtolus in epiſtolâ ad Corinthios: Quis militat unquam ſuis ſtipendijs? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte eius non comedit?* &c. Alphonſus de Caſtro, lib. 6. contra hæreſes, *tit de Eccleſiâ, hæreſ.* 4. & lib. 9. *tit. de Labore, hæreſ.* 1. Æneæ Sylvij & Guidonis Carmelitæ relationes inter ſe conferens, erroris quem Waldenſibus impingit Sylvius (quòd *Sacerdotes pauperes eſſe debeant, & ſolâ contenti eleemoſynâ)* Guidonem non meminiſſe; & viceversâ erroris quem ijſdem impingit Guido (quòd *vir perfectus non debeat manibus laborare)* Sylvium non meminiſſe annotat: ſed de poſteriore Parſonianæ objectionis parte addit ampliùs, (lib°. 11. *tit. de Ordinis ſacramento)* quòd dogma de clericorum paritate Waldenſibus à Sylvio attributum, cum alio quod ijſdem tributur

[1] *ibid.* 223. 55.

buitur à Guidone, velut ex diametro pugnare videatur. *Dixerunt* enim (ut Guido illis impingit) *eſſe tantùm tres ordines in Eccleſiâ, Diaconum videlicet, Presbyterum, & Epiſcopum:* indeque Sanderus, articulum à Parſonio objectum omittens, illum Guidonis propoſuit: *Dicunt, tantùm tres ordines in Eccleſiâ eſſe; diaconatum, presbyteratum, & epiſcopatum.* Prateolus contrà, illo Guidonis omiſſo, alium hunc in locum ejus ſubſtituit: *Docent, omnes presbyteros eſſe pares, neque unum eſſe alio poteſtate ſuperiorem; hâc ratione non ſolùm Papæ authoritatem imminuere, ſed etiam illum à ſede ſuâ dejicere, omnemque, quam à Deo in terris recepit, poteſtatem, illi adimere contendentes.*

30. *Octavus* articulus eſt: *Semel tantùm in anno Miſſam eſſe celebrandam, feriâ ſcilicet quintâ maioris hebdomadæ, quando Sacramentum inſtitutum fuit & Apoſtoli facti Sacerdotes. quia Chriſtus dixit, Hoc facite in meam commemorationem: (Luc. 22. 1. Cor. 11.) id nimirum (inquiunt illi) quod eo tempore peregit ipſe.* Ita Parſonius. Alphonſus de Caſtro, libro 6°. adverſus hæreſes, *tit. de Euchariſtiâ*, hâc de re hunc in modum ſcribit. *Nona hæreſis aſſerit hoc præſtantiſſimum ſacramentum, in die Cœnæ Domini, feriâ ſcilicet quintâ maioris hebdomadæ confectum, eſſe maioris virtutis, quàm alio quolibet die conſecratum. Huius erroris duces fuerunt Græci, ut teſtatur Guido Carmelita: qui illorum errores recenſens, hunc decimo octavo loco collocat, dicitq́ eos hâc occaſione nullâ aliâ die anni quàm die Cœnæ conficere, confectumq́ illo die ſacramentum per totum annum conſervare, ut inde infirmis miniſtretur. Hos Græcos ſecuti ſunt Waldenſes. Sic enim Guido illis impingit, qui hunc ait eſſe nonum illorum errorem, neſcio tamen quos authores ſecutus; quoniam apud nullum*

alium

alium ex his qui illorum errores enumerant, *invenio ullam de hâc re factam mentionem. Æneas Sylvius, libro de origine Bohemorum cap.* 35. *recenſens Waldenſium errores, nihil tale eos dixiſſe memorat ; alios tamen plures recenſet, quorum nunquam meminit Guido. Quapropter ut in aliis, ita etiam hoc valde miror iſtius boni hominis, nec ſcire unquam potui ad cuius exemplar hos errores depinxerit. Hic error manifeſta eſt inſania.* nec certè procul eum ab inſaniâ eſſe oportet, qui à Græcis ſaltem errorem hunc receptum credat. Quod ad Waldenſes attinet, non modò *nihil tale eos dixiſſe memorat* in citato loco Æneas Sylvius: ſed etiam planè contrarium dixiſſe aſſerit; nempe, *Sacerdotem quocunque loco*, QVOCVNQVE TEMPORE *ſacrum Chriſti corpus conficere poſſe, petentibuſque miniſtrare.* Et vetus author Germanus de Waldenſium doctrinâ ita ſcribit. [m] *Quòd ſemel tantùm in anno communicant fideles, reprobant. Quòd ipſi communicant quotidie.* de Miſsâ verò (cujus importuna hîc à Parſonio facta eſt mentio) idem ſubjicit. [n] *Quòd Miſſa nihil ſit, quòd eam Apoſtoli non habebant, & quòd fiat propter quæſtum.* Item: [o] *quòd oblatio Sacerdotis, quæ fit in Miſſâ, nihil proſit.*

[m] Ibid. 224. 12

[n] Ibid. 224. 14.

[o] Ibid 224. 17.

31 *Nonus* & poſtremus à Parſonio objectus articulus, eſt hujuſmodi. *Pro verbis conſecrationis, ſuper panem ſepties dicendum eſſe* PATER NOSTER. Alphonſus de Caſtro, poſſibile quidem eſſe putat ut ita ſenſerint Waldenſes, ſed non admodum tamen probabile. Sic enim de eis ſcribit, libro 6°. adverſus hæreſes, tit. de Euchariſtiâ, hæreſ. 3. *Conſecrant (ut ait Guido Carmelita capite* 9. *de hæreſibus Waldenſium) ſine conſuetâ Eccleſiæ formâ, quâ Chriſtus conſecrans, nobis conſecrandi modum tradidit : ſed dicendo ſepties Pater noſter*

& benedicendo panem & vinum, ſe conſecrare dicebant. Verùm Æneas Sylvius, qui & Pius ſecundus Pontifex maximus, vir certè meo iudicio longè diligentior circa inquiſitionem hiſtoriæ quàm Guido, in libro de orig. Bohem. cap. 35. errores Waldenſium ad unum uſq; recenſens, nihil tale comminiſcitur. Antoninus etiam Florentinus archiepiſcopus quartâ parte ſuæ Summæ, titulo 11. cap. 7. enumerans errores Pauperum de Lugduno, qui & Waldenſes appellantur, nullam huius rei facit mentionem. Bernardus de Lutzemburgo in ſuo catalogo, nec in titulo Pauperes de Lugduno, nec in titulo Waldenſes (nam eos hoc duplici nomine bis inter hæreticos annumerat) nihil ſimile eis tribuit: imò in titulo Waldenſes, ſecutus hiſtoriam Æneæ Sylvij in lib. de origine Bohemorum, aliquid huic aſſertioni repugnans commemorat. Nam iſtorum aſſertiones enumerans Æneas Sylvius, quem & ſequitur Bernardus de Lutzemburgo, ſic ait: Sacerdotem quocunq; loco, quocunq; tempore, ſacrum Chriſti corpus conficere poſſe, petentibus q; miniſtrare; ſufficere, ut verba ſacramentalia tantùm dicat. Ex quibus verbis plus colligimus eos veram conficiendi formam tenere, quàm omittere. Præterea aſſertio ipſa adeò eſt inſana, ut vix perſuaderi poſſim aliquem hominem Chriſto initiatum, & inter Chriſtianos nutritum, eam docuiſſe; cùm nullus ſit ſacræ ſcripturæ locus unde huius rei ſuſpicio haberi poſſet: niſi fortè anſam erroris acceperint ex eâ particulâ quæ in oratione Dominicâ connumeratur, ſcilicet, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. At cùm iſti tantum Dominicæ orationi tribuant, ut nullam aliam præter illam admittant; poſſibile eſt ut eam arbitrarentur etiam ad corporis Chriſti conſecrationem efficacem: præcipuè cùm Waldenſium ſecta (ut aliâs diximus) ab homine prorſus literarum ignaro ſuſcitata fuerit. Hactenus Alphonſus.

32 Verùm

32 Verùm de putidâ illâ calumniâ, quòd Waldenſes nullam aliam orationem præter Dominicam admiſerint, in quinti articuli examine ſatis diximus: de Petro Waldio & ejus ſectatoribus, an literarum prorſus fuerint ignari, ſuo * loco videbimus. De propoſitione quam ex Æneâ Sylvio produxit Alphonſus, illud hîc adjicio; à Gabriele Prateolo, opinionum Pauperum de Lugduno ex eodem Sylvio & Guidone Carmelitâ elenchum concinnante, eam conſultò eſſe prætermiſſam: non aliam certè ob cauſſam, quàm quòd cum 12°. & 13°. ſuo (Parſoniano 9°. & 8°.) articulo conſiſtere non poſſe animadverteret. Sylvio etiam duos alios teſtes adjungo: authorem Germanum, qui de Waldenſibus ita ſcripſit; [p] *Canonem Miſſæ non recipiunt, niſi tantùm verba Chriſti vulgariter*: & fratrem Raynerium, qui in Summâ ſuâ Leoniſtis (quos appellat) plura abſurda affingens, *verbis* tamen *conſecrationis* uſos eſſe prodit; hoc quoque addito, quòd Euchariſtiæ ſacramentum *in conventiculis ſuis celebrant, verba illa Euangelij recitantes in menſâ ſuâ, ſibiq; mutuò participantes ſicut in cœnâ Chriſti.*

* *Vid. infra cap. 8. §. 7. 8.*

[p] *pag. 224. 15. edit. Freheri.*

33 Ex iſtis à Parſonio ſelectis articulis, ac ijs quæ eorum occaſione ex alijs authoribus à nobis ſunt intexta, æſtimabit æquus lector, quid de reliquâ calumniarum ſtrue judicandum ſit: & quanto quàm Parſonij ſincerius hîc fuerit judicium Orthuini Gratij, qui ſuo rerum expetendarum & fugiendarum Faſciculo *Profeſsionem fratrum Waldenſium ad Regem Hungariæ* inſerens, *quæ* (ut ille ait) *non multùm alicubi diſſentit ab ijs quæ vulgo traduntur à quibuſdam* (noſtros intelligit) *ut ab illis accepiſſe videri poſsint*: candidè admonuit, *hinc meliùs cognoſci poſſe quales ſint* Waldenſes, *quàm ex*

Catalogo hæreticorum, quem venerabilis ſcilicet *pater F. Bernhardus de Lutzelburgo, ordinis Prædicatorum edidit.*

Cap. VII.

De ſtatu rerum ab initijs ſolutionis Satanæ uſque ad initia Pontificatus Innocentij III. nempe ad annum uſque Domini 1198. Quàm deplorata Eccleſiarum Romanæ communionis conditio tum extiterit; & quid adhuc in eis integri retentum fuerit. De Regibus Angliæ qui ambitioni Pontificiæ, & Berengario ejuſque ſectatoribus qui Sacramentario errori jam invaleſcenti reſtiterunt.

1 IAm ut paulo pleniùs atque enucleatiùs Occidentalium Eccleſiarum, Antichriſti tyrannide miſerum in modum oppreſſarum, conditionem explicemus: (de Orientalibus enim agere, hoc quidem tempore noſtri non eſt inſtituti:) univerſum hoc ſoluti Satanæ tempus tribus viſum eſt ſubdiſtinguere periodis; quarum prima ad Innocentij III. ſecunda ad Gregorij XI. tertia ad Leonis X. Pontificatum protendatur. Ad primæ periodi terminum, ab anno Domini *milleſimo*, bina effluxerunt ſecula. in quorum priore, quàm deploratus fuerit Romanæ Eccleſiæ ſtatus, ex ijs quæ in ſolutionis Satanæ initijs deſcribendis produximus, licet intelligere: de poſteriore nunc nonnulla authorum qui tum vixerunt producam teſtimonia. Atque ut ab ipſo incipiam capite: de *Romanis* (ut eſt apud Guilielmum Malmesburienſem, in 4°. de geſtis Regum Anglorum libro) *olim rerum Dominis, genteq́ togatâ, qui nunc dicuntur hominum inertiſſimi, auro trutinantes iuſtitiam, pretio venditantes canonum regulam,* carmen edidit Hildebertus Cenomanenſis epiſcopus, atque hoc diſticho (quod in Lilij Gregorij Giraldi 5°. de Poëtis dialogo [a] Hiſpani cenſores ferre non poterant) concluſit;

[a] *Index expurgator. Gaſp. Quirog. in Lil.*

Vrbs

Vrbs felix, ſi vel Dominis urbs illa careret,
Vel Dominis eſſet turpe carere fide:

eos proculdubio innuens Dominos, quos ſimili diſticho perſtrinxit alius;

Servierant tibi Roma diu Domini Dominorum:
Servorum ſervi nunc tibi ſunt Domini.

2 De eâdem Româ, in 3°. libro de contemptu mundi, ita canit Bernardus Morlanenſis, [b] ex Cluniacenſium ordine monachus:

Fas mihi ſcribere, fas mihi dicere, Roma periſti;
Obruta mœnibus, obruta moribus occubuiſti.
Vrbs ruis inclyta, tam modò ſubdita, quàm priùs alta,
Quo priùs altior, hoc modò preſſior, & labefacta.
Fas mihi ſcribere, fas mihi dicere, Roma ruiſti:
Sunt tua mœnia vociferantia, Roma periſti.

Subdit idem poſtea de ſuis temporibus:

Aurea tempora, caſtaq́ pectora præterierunt;
Tempora peſſima, ſcilicet ultima, iam ſubierunt.
Stant modò ſtantia lucra, ſuperbia, pax ſine pace,
Fraus, Venus, otia, furtaq́ conſcia noctis opacæ,
Schiſmata, prælia, vis, homicidia, traditiones,
Ira, protervia, livor, inertia, ſeditiones.
Stat ſimulatio, corruit actio relligionis:
Heu! ſua propria deputat omnia Rex Babylonis.

3 Eodem modo & [c] Honorius, Auguſtodunenſis eccleſiæ presbyter, in Dialogo de Prædeſtinatione & libero arbitrio, ſui temporis depingit Babyloniam. *Intuere Principes & Iudices; ecce poſita eſt in eis beſtiæ ſedes. Omni tempore ad malum ſunt intenti, ſemper negotijs iniquitatis inexplebiliter occupati; flagitia non ſolùm faciunt, ſed & alios facere inſtruunt. Sancta vendunt, ſcelera emunt: totis viribus laborant, ne ſoli ad tartara veniant. Verte te*

ad

[b] *Bern. Morlan. ab Eilhardo Lubino edit. ann.* 1607.

[c] *Honor. dialog. ad calcem 2. tomi Auctarij Bibliothecæ Patrum, edit. Pariſ. an.* 1610.

ad Clerum, & videbis in eis beſtiæ tentorium. Dei ſervitium negligunt, terrenis lucris inſerviunt, ſacerdotium per immunditiam polluunt, populum per ſimulationem ſeducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes ſcripturas ad ſalutem pertinentes abdicant, omnibus modis ſe laqueos & ruinam populo ſubſternunt, quem cæcum ipſi cæci ad interitum præeunt. Contemplare & monachorum conciliabula, & videbis in eis beſtiæ tabernacula. Per fictam profeſſionem Deum irridentes, iram eius provocant; normam regularem moribus & vitâ calcant, per habitum ſeculum fallunt, multos deceptos ipſi decepti decipiunt: ſecularibus negotijs impliciti ſunt, in Dei ſervitio deſides exiſtunt. pleriq; illorum gulæ & illecebris dediti ſunt, quidam in immunditiæ ſordibus computreſcunt. Aſpice etiam habitacula monialium, & cernes in eis beſtiæ præparatum thalamum. Hæ à tenerâ ætate impudicitiam diſcunt, complices ſibi plurimos ad cumulum ſuæ damnationis adſciſcunt; velo ſe operire feſtinant, quo magis fræna luxuriæ laxare queant: omnibus fornicarijs pe-iùs proſternuntur, & ut inſatiabilis Charybdis nunquam ſtercore immunditiæ replebuntur. Hæ animas iuvenum illaqueant, & gaudent ſi plures illaqueent: & hæc vult palmam victoriæ, quæ alijs prævalet in ſcelere. Verte te ad plebem reliquam, & invenies in eâ beſtiæ effigiem. Sacerdotes deſpiciunt, de Deo quicquam audire contemnunt, totum tempus vitæ in vanitate & iactantiâ ducunt, & ad omne opus reprobi ſunt. Vulgus quoq; indoctum beſtiæ habet idolum. Deum verum non nôrunt, Deo ventri totâ intentione deſerviunt; per varia carnis deſideria diffluunt, & per omnia vitam beſtialem ducunt.

4 Qui in Rhemenſi Concilio coram Innocentio II. & ejus clero anno Domini 1131. ſermonem habuit; (ſive Bernardus is fuerit, inter cujus opera concio

ci'o iſta legitur, ſive alius) magnâ uſus libertate, præſentes Epiſcopos hiſce compellat verbis. *Fratres, aliam ſynodum pronuntio vobis, ubi Dominus Deus ſedebit in iudicio : & ibi omnes nos oportet repræſentari ; & ibi Deus iuſtè iudicabit orbem terrarum. Hic includitur iniuſtitia in marſupio : ſed iuſtè iudicabit Deus in illo iudicio ; & ibi omnes nos oportet repræſentari (niſi fortè, quod dici nefas eſt, mentiatur Apoſtolus) ſive ſit Papa, ſive Cardinalis, ſive Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, ſive dives, ſive pauper, ſive doctus, ſive indoctus, ut referat unuſquiſque rationem de his quæ geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum. Et ſi reddenda eſt ratio de his quæ quiſque geſſit in corpore ſuo ; heu quid fiet de his quæ quiſq́ geſſit in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia ? Eccleſia Dei vobis commiſſa eſt, & dicimini paſtores, cùm ſitis raptores. Et paucos habemus, heu, paſtores, multos autem excommunicatores. Et utinam ſufficeret vobis lana & lac, ſititis enim ſanguinem.* Sequuntur in eâdem concione alia, quæ totidem ferè verbis in Bernardi 33°. ſuper Cantica ſermone repetita invenimus : inter quę & iſta graviſſima legitur querimonia.

2.Cor.5.10.

5 *Væ*[d] *generationi huic à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis : ſi tamen hypocriſis dici debet, quæ iam latere præ abundantiâ non valet, & præ impudentiâ non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ : & quò latiùs, eò deſperatiùs ; eoq́ periculoſiùs, quo inteſtiniùs. Nam ſi inſurgeret apertus hæreticus, mitteretur forâs & exareſceret : ſi violentus inimicus, abſconderet ſe quis forſitan ab eo. Nunc verò quem eÿciet, aut à quo abſcondet ſe ? Omnes amici, & omnes inimici : omnes neceſſarÿ, & omnes adverſarÿ : omnes domeſtici, & nulli pacifici : omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto.* Et pòſt : *Supereſt ut iam de medio*

[d] Bernard in Cantic. ſerm. 33.

fiat dæmonium meridianum ad ſeducendos ſi qui in Chriſto reſidui ſunt adhuc perſiſtentes in ſimplicitate ſuâ. ſiquidem abſorbuit fluvios ſapientium, & torrentes potentum; & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius, id eſt, humiles & ſimplices qui ſunt in eccleſiâ. Ipſe eſt enim Antichriſtus, qui non ſolùm ſe diem, ſed & meridiem mentitur, & extollitur ſupra id quod colitur ut Deus: quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui. Quæ concluſio, in 6°. ſermone in Pſalmum 90. *Qui habitat:* à Bernardo denuò eſt repetita. *Supereſt ut reveletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modò diurnum, ſed & meridianum: quod non ſolum transfiguratur in angelum lucis, ſed extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Nimirum inſidiatur crudelis calcaneo matris eccleſiæ, à quâ dolet caput ſuum eſſe contritum. Hic planè graviſſimus erit incurſus: ſed ab hoc quoq; eccleſiam electorum veritas liberabit, propter eos brevians dies, & dæmonium meridianum deſtruens illuſtratione adventus ſui.*

Iob 40.23.

2. Theſſ.2. verſ 4.8.

6 Idem Bernardus, ſermone 1°. in converſion. S.Pauli, hujuſmodi ad Deum deplorat querelam. *Amici tui Deus & proximi adverſum te appropinquaverunt & ſteterunt. Coniuràſſe videtur contra te univerſitas populi Chriſtiani à minimo uſq; ad maximum: à plantâ pedis uſq; ad verticem non eſt ſanitas ulla. Egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus Iudicibus vicarijs tuis, qui videntur regere populum tuum: non eſt iam dicere, Vt populus, ſic ſacerdos; quia nec ſic populus, ut ſacerdos. Heu, heu, Dominus Deus, quia ipſi ſunt in perſecutione tuâ primi, qui videntur in Eccleſiâ tuâ primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & univerſam deinceps liberè & poteſtativè tradunt incendio civitatem.*

tem. Hæc de corruptiſſimo horum temporum ſtatu Bernardus: cui vocem *populi* ſi adjecero, finem faciam, nec ulteriùs Camerinam hanc movebo. Eam verò populari ſuo Hadriano IV. Pontifici, *quid de ſe & eccleſiâ Romanâ ſentirent homines*, familiariùs ſciſcitanti, his verbis expoſuit [e] Iohannes Sarisburienſis. *Romana eccleſia, quæ mater omnium eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet alijs, quàm novercam. Sedent in eâ Scribæ & Phariſæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretioſam ſupellectilem congerunt; auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab avaritiâ nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt clerum & populum: laboribus & miſerijs afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum lætantur ſpolijs, & quæſtum omnem reputant pietatem. Iuſtitiam non tam veritati, quàm pretio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie; ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis. Nocent ſæpiùs, & in eo dæmones imitantur, quòd tunc prodeſſe putantur, cùm nocere deſiſtunt, exceptis paucis qui nomen & officium paſtoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex, omnibus gravis & ferè intolerabilis eſt,* &c.

[e] *Ioh. Sarisbur. in Polycratic. lib. 6. cap. 24.*

7 Quanquam verò hæc fuerit deploratiſſima horum temporum conditio: aliquanto tamen melior fuit quàm temporum ſubſequentium, quando [f] *ad hunc ſtatum venit* Romana *Eccleſia, ut non eſſet digna regi niſi per reprobos:* triſtique experimento Apoſtolicæ ſententiæ veritas eſt comprobata; [g] πονηροὶ ἄνθρωποι καὶ γόητες προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, *Mali homines & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem*

[f] *Petr. Aliac. de Reformat. Eccleſ. Cæſarius Heiſterbach. hiſtor. lib. 2. cap. 29.*

[g] 2. Tim. 3. 13.

mittentes. Nam licèt è carcere ſuo jam emiſſus Satanas, *exiverit ut ſeduceret gentes quæ ſunt in quatuor angulis terræ:* non tamen quum primùm *exijt*, tantum effeciſſe putandum eſt, quantum deinceps effecturus erat quum eſſet progreſſus longiùs. Id ille ſanè omni egit conatu atque ſtudio, ut Hildebrandina valeret & vigeret Theologia; quòd [h] *ſcelus Idololatriæ incurrit, qui Apoſtolicæ ſedi obedire contemnit:* tantumque apud aliquos effecit, ut Romano [i] Apoſtolo (ne eum Antichriſtum eſſe neſciremus) *datam omnem poteſtatem in cælo & in terrâ* agnoſcerent; imò & in Angliâ, ſi Bertoldo Conſtantienſi credimus, impleri cæperit vaticinium Apocalypſeos, [k] *ne quis poſſet emere aut vendere, niſi qui haberet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.* Sic enim [l] ille, de Guilielmo I. Anglorum rege: *Totam terram Anglorum Romano Pontifici tributariam fecit; nec aliquem in ſuâ poteſtate aliquid emere aut vendere permiſit, quem Apoſtolicæ ſedi inobedientem deprehendit.*

8 Ita verò res ſe habuit. Poſt mortem regis Eduardi dicti Confeſſoris, contendentibus de regno Angliæ Guilielmo Normanno & Haraldo Anglo, quum [m] Guilielmus *præproperâ querelâ Papam cōſuleret*, Haraldus *iudicium Papæ parvi penderet:* Alexander II. qui tum erat Pontifex, vexillum in belli & regni omen tradidit Guilielmo; & potitus victoriâ Guilielmus, vexillum Haraldi Romam tranſmiſit ad Alexandrum. Rebus deinde in Angliâ compoſitis, de ſolutione *Denarij S. Petri* Pontifex per literas Regem ita commonet. [n] *Novit prudentia tua, Anglorum regnum, ex quo nomen Chriſti ibi clarificatum eſt, ſub Apoſtolorum Principis manu & tutelâ extitiſſe; donec quidam membra*

[h] Gregor. VII. Regeſt. lib. 4. epiſt. 23. tom. 3. Concil. pag. 1221. edit. Binij. Bruno de Bello Saxonico, pag. 139. edit. M. Freheri.

[i] Guiliem. Senonenſ. epiſt. ad Alexandr. III. apud Rog. Hoveden. in poſteriore parte Annalium. ad an. 1171.

[k] Apocal 13. 17.

[l] Bertold. Conſtantienſ. Append. ad Herman. Contract. an. 1084.

[m] Ingulph. Croylandenſ. hiſtor. Guilielm. Malmesb. de geſtis regum Anglor. lib. 3. in Guilielm. I.

[n] Auguſtin. Steuch. de Donat. Conſtantin. contr Vallam. & Baron. Annal. tom. 11. an. 1068. § 1. ex libro Cenſuum Rom. Eccleſiæ.

membra mali capitis effecti, zelantes ſuperbiam patris ſui Satanæ, pactum Dei abiecerunt, & Anglorum populum à viâ veritatis averterunt. -- Nam ut bene noſti, donec Angli fideles erant, piæ devotionis reſpectu ad cognitionem religionis annuam penſionem Apoſtolicæ Sedi exhibebant; ex quâ pars Romano Pontifici, pars Eccleſiæ S. Mariæ, quæ vocatur Schola Anglorum, in uſum fratrum deferebatur. A Rege verò lex illa anteceſſoris ſui Edvardi *de denario ſancti Petri, qui Anglicè dicitur Romeſcot*, confirmata eſt. [o] *Omnis qui habuerit triginta denariatas vivæ pecuniæ in domo ſuâ de proprio ſuo, Anglorum lege dabit denarium ſancti Petri: & lege Danorum dimidiam marcam. Iſte verò denarius debet ſummoneri in ſolemnitate ſancti Petri & Pauli, & colligi ante feſtivitatem quæ dicitur Ad vincula ſancti Petri, ita ut ultra illum diem non detineatur. Si quiſquam detinuerit, ad *cuſtodiam regis clamor deferatur, quoniam denarius hic eleemoſyna Regis eſt; juſtitia verò faciat denarium reddi, & forisfactionem epiſcopi & regis. Et ſi quis plures domos habuerit; de illâ ubi reſidens fuerit in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli denarium reddat.* Indeq; in epiſtolâ ad eundem Regem, primo Pontificatus ſui anno ſcriptâ, Hildebrandus: [p] *Rebus* (inquit) *ſancti Petri, quæ in Angliâ colliguntur, ſic liberalitati tuæ, ut tua committimus; ut pium & propitium debitorem Petrum reperias, & eum tibi ex debito ſubvenire admoneas, quem ſibi multa te tribuiſſe non latebit.* & in epiſtolâ ad [q] filium ejus Henricum I. Paſchalis Pontifex. *Eleemoſyna beati Petri, prout audivimus, ita perperàm doloſeq́; collecta eſt, ut neq́; mediam eius partem hactenus Eccleſia Romana ſuſceperit. Quod totum tibi, ſicut & alia, imputatur.*

9 Hinc Bertoldus, cùm *eleemoſynam* à *tributo* neſciret diſtinguere; & quod *piæ devotionis reſpectu* datum

[o] *Rog. Hoveden. Annal. part. poſterior. in Henrico II. edit. Londin. an. 1596. fol. 344.* Ἀρχαιονομία *à Guil. Lambardo edit. Londin. ann. 1568. fol. 128.*

* juſtitiam.

[p] *Gregor. VII. Regeſt. lib. 1. epiſt. 70. tom. 3. Concil. pag. 1175. edit. Binij.*

[q] *MS. in Bibliotb. Cottonian.*

tum eſt, *fidelitatis & ſubiectionis* ratione redditum interpretaretur: à Guilielmo *totam terram Anglorum Romano Pontifici tributariam* factam ſcripſit. Ad quam opinionem minuendam, ex annalium monumentis teſtes excitare nihil opus: ipſius ſuperſunt Guilielmi ad Hildebrandum hâc de re miſſæ literæ. Cùm enim ſuperbus Pontifex, *liberalitate* regis non contentus, fidelitatis inſuper exigeret ab eo juramentum; ejuſmodi reſponſum tulit, quale à libero & ſui juris Principe expectari oportebat.

[r] *Ex Lanfranci Epiſtolis MS. in Bibliothec. Cottonian. & Baron. anno 1079. §. 25.*

[r] *Excellentiſſimo ſanctæ Eccleſiæ paſtori Gregorio, gratiâ Dei Anglorum Rex & Dux Normannorum Guilielmus, Salutem cum amicitiâ.*

Hubertus legatus tuus, religioſe Pater, ad me veniens, ex tuâ parte me admonuit, quatenus tibi & ſucceſſoribus tuis fidelitatem facerem; & de pecuniâ, quam anteceſſores mei ad Romanam Eccleſiam mittere ſolebant, meliùs cogitarem. Unum admiſi, alterum non admiſi. Fidelitatem facere nolui, nec volo: quia nec ego promiſi, nec anteceſſores meos anteceſſoribus tuis id feciſſe comperio. Pecunia tribus ferè annis in Galliâ me agente negligenter collecta eſt. Nunc verò divinâ miſericordiâ me in regnum meum reverſo, quod collectum eſt per præfatum legatum mittitur; & quod reliquum eſt, per legatos Lanfranci Archiepiſcopi fidelis noſtri, cùm opportunum fuerit, tranſmittetur. Orate pro nobis, & pro ſtatu regni noſtri: quia anteceſſores veſtros dileximus, & vos præ omnibus ſincerè diligere & obedienter audire deſideramus.

10 Extat & Hildebrandi adverſus Guilielmum, ad Hubertum legatum ſuum, (cujus in ſuperioribus

Regis

Regis literis facta eſt mentio) miſſa epiſtola; [r] in quâ, poſtquàm de denarijs Petri, (qui ex Angliâ erant tranſmittendi) breviter pronuntiâſſet; *Pecunias ſine honore tributas quanti pretij habeam, tu ipſe optimè potuiſti dudum perpendere:* de Rege Anglorum iſta adjicit. *Multa ſunt unde ſancta Romana Eccleſia adverſus eum queri poteſt. Nemo enim omnium Regum etiam paganorum contra Apoſtolicam ſedem hoc præſumpſit tentare, quod is non erubuit facere; ſcilicet ut Epiſcopos & Archiepiſcopos ab Apoſtolorum liminibus ullus tam irreverentis & impudentis animi probiberet. Vnde volumus ut eum noſtrâ vice prudentia tua ſtudeat admonere, quatenus honorem quem ſibi à ſubditis ſuis graviter ferret non exhiberi, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non tantoperè laboret imminuere; & debitas gratias agendo, gratiam B. Petri procuret acquirere. Nos enim amicitiæ noſtræ priſtinæ circa eum memores, & Apoſtolicam manſuetudinem quantum (Deo auctore) poſſumus, imitantes, hucuſq́ illius culpæ pepercimus: qui ſi his & ſimilibus, quæ tibi nota ſunt, modum non impoſuerit; omnino ſciat ſe iram beati Petri in ſe graviter provocaturum.*

[r] *Gregor. VII. Regeſt. lib. 7. epiſt. 1. tom 3. Concil. pag. 1244. edit. Binij.*

11 Id quoque Hildebrandum non parùm pupugit, quòd Guilielmus Odonem fratrem ſuum, Baiocenſem Epiſcopum, nullâ ſublimitatis Epiſcopalis ratione habitâ, in carcerem auſus eſſet conjicere. ſic enim ipſe Hildebrandus in literis ad Regem: [t] *Vnum,* inquit, *nos tangit, & tangendo anguſtat, atq́ inter regalium tuarum virtutum inſignia monumenta lætitiam in amico corde violenter obnubilat; videlicet, quòd in capiendo germanum tuum Epiſcopum, non (ſicut decuit) propriæ honeſtati proſpiciens, ſed ſecularem cautelam & rationem divinæ legi præponens, ſacerdotalem reverentiam minùs vigilanter attendiſti. Et quidem non latere tuam prudentiam credimus, ſcriptum*

[t] *Gregor. VII. Regeſt. lib. 11. epiſt. 2. tom. 3. Concil. pag. 1278. edit. Binij.*

ſcriptum eſſe, quod de ſacerdotibus maximè oportet intelligi: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. & alibi: Nolite tangere Chriſtos meos. & quod Dominus ipſe ſacerdotibus licèt pravis & valde indignis honorem deferre non ſit dedignatus. Quam rem piæ memoriæ Conſtantinus, præcipuus videlicet Imperator, intelligens, in Nicænâ Synodo nullam in Epiſcopos ab ipſis etiam Epiſcopis accuſationem voluit ſuſcipere, nullumq; contra eos iudicium præſumpſit inferre, dicens: Vos dij eſtis à vero Deo conſtituti; ideò non oportet ut nos homines deos præſumamus iudicare. Quanta etiam ſit ſacerdotij dignitas, quantaq; ſublimitas Epiſcopalis, B. Ambroſius, doctor ſcilicet eximius, veſtram doceat magnitudinem, veſtramq; inſtruat prudentiam, in Paſtorali ſuo ſic ponens: Honor igitùr, fratres, & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares.

12 Hæc Hildebrandus. cujus tamen tum argumenta tum preces *apud Regem nullius fuiſſe momenti, cêrtum* eſſe confirmat [u] Baronius: ſimulque certum, non ita Pontifici dicto audientem fuiſſe Regem, ut ſe ab illo * τῆς ῥινὸς ἕλκεσθαι patereretur. Nec enim tam anguſto & puſillo animo eum Regem fuiſſe exiſtimandum eſt, quem *tumoris immodici* accuſant ſcriptores Pontificji; [x] quòd *ſecularia & eccleſiaſtica ad libitum diſponeret: nullum pro Apoſtolico in terrâ ſuâ admitteret, niſi animo ſuo blandiretur; Concilium in regno nullum cogi ſineret niſi ſe conſulto, nihil ibi definiri niſi ipſe dictâſſet.* Talem enim eum nobis deſcribit Ranulphus Ceſtrenſis monachus. Et tamen, ut *ad regale faſtigium creſceret* Guilielmus, tanto ſe *ſtudio laborâſſe* profitetur Hildebrandus;

[u] *Baron. ann.* 1084. §. 24.

* nare trahi.

[x] *Ranulph. Higden. Polychronic. lib.* 7.

brandus; [y] ut *à quibuſdam fratribus magnam infamiam pertulerit ſubmurmurantibus, quod ad tanta homicidia perpetranda tanto favore ſuam operam impendiſſet*: & poſtquàm regium honorem conſecutus eſt, [z] *præ cæteris ſui ordinis Apoſtolicæ ſedi devotum* eum fuiſſe agnoſcit; adeoque [a] *chariſſimum, & unicum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ filium* appellat. Quomodo igitur reliquos illos affectos fuiſſe exiſtimabimus, à quibus *rogatum* Guilielmum ſcribit idem, [b] ut *contra Apoſtolicam ſedem pactum iniret?*

[y] *Gregor. VII. Regeſt. lib. 7. epiſt. 23. tom. 3. Concil. pag. 1251. edit. Biniĳ.*
[z] *Id. lib. 11. epiſt. 2. pag. 1277.*
[a] *Id. lib. 1. epiſt. 31. pag. 1164.*
[b] *Id. lib. 9. epiſt. 5. pag. 1267.*

13 Audiamus, de Hildebrando in Wormatienſi Concilio à Germanicis Epiſcopis latam ſententiam. [c] *Dum profanis ſtudes novitatibus, dum magis amplo, quàm bono nomine delectaris, dum inauditâ elatione diſtenderis, velut quidam ſignifer ſchiſmatis, omnia membra Eccleſiæ (quæ, ſecundùm Apoſtolum, quietam & tranquillam vitam ante hæc tua tempora agebant) ſuperbâ crudelitate, crudeliq́ ſuperbiâ lacerâſti: flammasq́ diſcordiæ, quas in Romanâ Eccleſiâ diris factionibus excitâſti, per omnes Eccleſias Italiæ, Germaniæ, Galliæ & Hiſpaniæ furiali dementiâ ſparſiſti. Sublatâ enim, quantum fuit, omni poteſtate ab Epiſcopis, quæ eis divinitùs per gratiam ſancti Spiritus, qui maximè in ordinationibus operatur, collata eſſe dignoſcitur, omniq́ rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione plebeio furori per te attributâ, dum nemo iam alicui Epiſcopus aut Presbyter eſt, niſi qui hâc indigniſſimâ aſſentatione à faſtu ſuo emendicavit omnem Apoſtolicæ inſtitutionis vigorem; illamq́ pulcherrimam membrorum Chriſti diſtributionem, quam Doctor gentium toties commendat & inculcat, miſerabili confuſione miſcuiſti: ſicq́ per hæc tua glorioſa decreta (quod ſine lachrymis dici non poteſt) Chriſti ferè nomen periĳt. Quis autem illud pro indignitate rei ſtupeat, quòd novam quandam*

[c] *Statut. Imperial. à Goldaſto edit. tom. 1. pag. 47.*

indebitamq́ potentiam tibi uſurpando arrogas, ut debita univerſæ fraternitati iura deſtruas? Aſſeris enim, cuiuſcunque noſtrûm Parochiani aliquid delictum ad te vel ſolâ famâ perveniat, ultra iam non habere quemquam noſtrûm aliquam poteſtatem vel ligandi vel ſolvendi, extra præter te ſolum, aut eum quem tu * *ſpiritualiter ad hoc delegeris. Quæ ſententia quòd omnem inſaniam excedat, quis in ſacris literis eruditus non videat?* Hæc de *profanis novitatibus* Hildebrandi Wormatienſes patres.

* ſpecialiter.

14 At Guilielmi primi filius, & in regno Angliæ ſucceſſor, Guilielmus Rufus dictus, profiteri auſus eſt, [d] *quòd nullus Archiepiſcopus vel Epiſcopus regni ſui, Curiæ Romanæ vel Papæ ſubeſſet.* & Anſelmum, contrarium defendentem, *læſæ maieſtatis reum poſtulavit*; Anglorum quoque epiſcopis *ſuum calculum huic accuſationi adjicientibus.* denique Anſelmo *Papam Vrbanum viſitandi licentiam exigenti*, tale reſponſum dediſſe fertur. *Quòd ſi cœptis deſiſteret, ſi propoſitis Euangelijs promitteret, ſe nec Apoſtolorum limina viſitaturum, nec pro quovis negotio Romanæ ſedis audientiam appellaturum; tunc & ſuis & rebus ſuorum cum omni tranquillitate poſſe uti & frui, & regni maioribus in omni donatione præeſſe: ſin ſecus ei viſum eſſet, trajicere quidem liberum eſſe, ſed inconſultè id facturum; ſiquidem nullam revertendi ſpem impoſterum ei futuram.* Refert hæc Matthæus Pariſius Albanenſis monachus, in majore Angliæ hiſtoriâ. Et Anſelmus ipſe, in [e] epiſtolâ ad Paſchalem Papam paulò ante Regis mortem ſcriptâ: *Petij licentiam ab eo* (inquit) *ſedem adeundi Apoſtolicam, ut inde conſilium de animâ meâ & de officio mihi iniuncto acciperem. Reſpondit Rex, me in ſe peccâſſe, pro ſolâ poſtulatione huius licentiæ: & propoſuit mihi, ut aut de hâc re, ſicut de culpâ, ſatisfacerem; &*

[d] *Matt. Pariſ. hiſt. an.* 1094.

[e] *lib.* 3. *epiſt.* 40. *tom.* 4. *oper. Anſelm.*

ſecurum

ſecurum illum redderem, ne ampliùs peterem hanc licentiam, nec aliquando Apoſtolicum appellarem; aut de terrâ eius citò exirem.

15 Habentur etiam ad hujus ſucceſſorem Henricum (qui primi Guilielmi filius, ſecundi frater fuit; & propter ſingularem eruditionem *Bello-clericus* dictus eſt) à Paſchale Papâ ſcriptæ literæ:[f] quarum hoc initium. *Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Henrico illuſtri Anglorum Regi, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm de manu Domini largiùs honorem, divitias, pacemq́ue ſuſceperis: miramur vehementiùs & gravamur, quòd in regno poteſtateq́ue tuâ beatus Petrus, & in beato Petro Dominus honorem ſuum iuſtitiamq́ue perdiderit. Sedis enim Apoſtolicæ nuncij vel literæ præter iuſſum regiæ maieſtatis nullam in poteſtate tuâ ſuſceptionem aut aditum promerentur: nullus inde clamor, nullum inde iudicium ad ſedem Apoſtolicam deſtinatur.* &c. Extat & Henrici regis ad Paſchalem data epiſtola: quam, ut Anglicanæ libertatis teſtem, ex [g] Ioranalenſi hiſtoriâ viſum eſt ſubjicere. *Patri venerabili Paſchali Summo Pontifici, Henricus Dei gratiâ Rex Anglorum, Salutem. Promotioni veſtræ in ſedem ſanctæ Romanæ eccleſiæ plurimùm congaudeo; petens quòd amicitia, quæ patri meo cum anteceſſoribus veſtris fuit, inter nos quoq́ue illibata permaneat. Vnde, ut dilectio & benignitas à me videatur ſumere initium, beneficium quod ab anteceſſoribus meis beatus Petrus habuit, vobis mitto: eoſq́ue honores & eam obedientiam, quam tempore patris mei anteceſſores veſtri in regno Angliæ habuerunt, tempore meo ut habeatis volo; eo videlicet tenore, ut dignitates, vſus & conſuetudines, quas pater meus tempore anteceſſorum veſtrorum in regno Angliæ habuit, ego tempore veſtro in eodem regno meo integrè obtineam. Notumque*

[f] *MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.*

[g] *MS. in eâd. Bibliothec. ubi & aliud eiuſdem epiſtolæ exemplar, ſub hæc ipſa tempora deſcriptum, vidimus.*

tumque habeat ſanctitas veſtra, quòd me vivente (Deo auxiliante) dignitates & uſus regni Angliæ non minuentur. Et ſi ego (quod abſit) in tantâ me deiectione ponerem: optimates mei, imò totius Angliæ populus id nullo modo pateretur. Habitâ igitur (chariſſime Pater) utiliori deliberatione, ita ſe erga nos moderetur benignitas veſtra, ne (quod invitus faciam) à veſtrâ me cogatis recedere obedientiâ.

16 Harum conſuetudinum & libertatum antiquarum, in Comitijs Clarendonenſibus, anno 10. Henrici II. habitis, [h] *facta eſt recognitio:* quam *Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Clerici, cum Comitibus & Baronibus ac Proceribus cunctis, iuraverunt, & firmiter in verbo veritatis promiſerunt vivâ voce tenendas & obſervandas Domino Regi & hæredibus ſuis, bonâ fide & abſque malo ingenio, in perpetuum.* atque inter eas, una hæc eſt, *De Appellationibus; ſi emerſerint ab Archidiacono debent procedere ad Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum: & ſi Archiepiſcopus defuerit in iuſtitiâ exhibendâ, ad Dominum Regem perveniendum eſt poſtremò, ut præcepto ipſius in Curiâ Archiepiſcopi controverſia terminetur; ita quòd non debeat ultra procedi abſque aſſenſu Domini Regis.* vel, ut conſtitutionis ſententiam expreſſit Iohannes Sarisburienſis: [i] *Quòd non appellaretur pro cauſſâ aliquâ ad Sedem Apoſtolicam, niſi Regis & officialium ſuorum veniâ impetratâ.* Cui conſuetudini fidem facit, quod apud Henricum Huntindonienſem legimus: [k] *in Angliâ appellationes in uſu non fuiſſe, donec eas Henricus Wintonienſis* epiſcopus, frater regis Stephani, dum Romanæ eccleſiæ *legatus eſſet, malo ſuo crudeliter intruſit.* quanquam ſic Pontifici regem Stephanum devinctum non fuiſſe certum eſt; quin, ortâ inter ipſos ſimultate, [l] & ſuis Epiſcopis ad Pontificem egreſſum,

[h] *In Quadrilog. de vitâ Thomæ Cantuarienſis. Matth. Pariſ. hiſt. an. 1164. Goldaſt. Conſtitut. Imperial. tom. 3. à pag. 346. ad 349. Io. Selden, Ian. Anglor. lib. 2. Baron. an. 1164 §. 37.*

[i] *Ioh. Sarisbur. epiſt. 159.*

[k] *Henr. Huntindonienſ. hiſtor. lib. 8. an. 16. reg. Stephani.*

[l] *Bernard. in vitâ Malachiæ.*

greſſum, & [m] *Nuntijs* Pontificis introitum in terram ſuam denegare; atque etiam [n] à Iohanne Paparone Cardinale, qui legatione fungebatur in Hiberniâ, per Angliam tranſeunte, *fidelitatis* juramentum exigere nihil omnino dubitaverit.

[m] *Baron. an. 1148. §. 36. ex epiſtol. Thomæ Cantuar.*

[n] *Matth. Pariſ. hiſtor. an. 1151*

17 Fridericus quoque Barbaroſſa (qui eodem tempore imperavit in Germaniâ, quo Henricus II. regnavit in Angliâ) [o] *nullum Romanæ Eccleſiæ legatum niſi à ſe vocatum vel conductum in regno Teutonico admittere* voluit; *neq; ſub formâ appellationis quenquam ire ad curiam Romanam paſſus eſt:* atq; ab Hadriano IV. quòd nomen ſuum præponeret Pontificio, ab Epiſcopis exigeret fidelitatis juramentum, & Cardinalibus omnem in Germaniam aditum obſtrueret, præcepti de honorandis parentibus violati accuſatus, hoc reſponſum reddidit. *Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hadriano Eccleſiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere quæ cæpit Ieſus facere & docere. Lex iuſtitiæ unicuiq; quod ſuum eſt, reſtituit. Non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc regno noſtro debitum exhibemus honorem, à quibus videlicet progenitoribus noſtris & regni dignitatem ſuſcepimus & coronam. Nunquid tempore Conſtantini Silveſter regalis aliquid habuiſſe dignoſcitur? Sed eius pietatis conceſſione libertas conceſſa eſt Eccleſiæ, pax reſtituta: & quicquid regalis papatus veſter habere dignoſcitur, largitione Principum obtinet. Unde cùm Romano Pontifici ſcribimus, iure & ex antiquo nomen præponimus, & ad iuſtitiæ normam eidem nobis ſcribenti concedimus. Revolvite annales, & ſi lectum neglexiſtis, quod aſſerimus, illic invenitur. Ab his autem qui Dei ſunt per adoptionem, & regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia ſacramenta non exigamus? cùm ille*

[o] *Ioh. Naucler. Chronograph. generat. 39. H. Mutius, Chron. German. lib. 18.*

noſter & veſter inſtitutor, ab homine rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, qui pro ſe & Petro cenſum Cæſari perſolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis, doceat vos, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Aut igitur regalia nobis dimittant, aut, ſi hæc utilia iudicaverint, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari perſolvant. Cardinalibus utiq; veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, & non patent civitates: quia non videmus eos prædicatores, ſed prædatores; non pacis corroboratores, ſed pecuniæ raptores; non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corraſores. Cùm autem viderimus eos, quales requirit Eccleſia, portantes pacem, illuminantes patriam, aſſiſtentes cauſſæ humilium in æquitate; neceſſarijs eos ſtipendijs & commeatu ſuſtentare non differemus. Humilitatis autem, quæ eſt cuſtos virtutum, & manſuetudinis veſtræ non minimam notam incurritis, cùm huiuſmodi quæſtiones, religioni non multum conferentes, ſecularibus perſonis proponitis. Provideat itaq; paternitas veſtra, ne, dum talia movet quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem ſerotinum ori veſtro aures ſuas arrigere feſtinant. non enim non poſſumus reſpondere auditis, cùm ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam uſq; ad ſedem Petri reptâſſe videmus. Paci Eccleſiæ bene ſemper providentes, bene ſemper valete.

18 Ab eodem Friderico negatam eſſe carnalem Dominici corporis & ſanguinis in Sacramento præſentiam, duobus exemplis confirmat [p] Iohannes Vitoduranus Minorita, in principio Chronicorum, quę apud Helvetios in S. Galli monaſterio manuſcripta aſſervantur. De ejuſdem etiam expeditione in Palæſtinam anno 1189. factâ, agens Nicetas Choniates; [q] Alemannos ab Armenis, propter conſenſum quem in pleriſq; religionis capitibus habebant, non ut hoſtes,

[p] *Goldaſt. in animadverſion. ad Tyrolis Scotorum Regis Pareneſes. pag. 355.*

[q] *Nicet. Annal. lib. 2.*

ſtes, ſed ut amicos, exceptos eſſe notat. Ἀρμενίοις γὰρ (inquit) καὶ Ἀλαμανοῖς ἐπίσης ἡ τῶν ἁγίων εἰκόνων προσκύνησις ἀπηγόρευται. *Apud Alemannos & Armenos ſacrarum imaginum adoratio æquè interdicta eſt.* Eandem quoque ſententiam in Angliâ adhuc retentam fuiſſe, ex iis quæ in 2° * capite prolata ſunt, veri videtur ſimillimum. Nam adorationem imaginum *omnino Eccleſiam Dei execrari*, affirmant, qui poſt adventum Normannorum ſcripſerunt, Anglorum hiſtorici. Et quæ ſimul cum Normannis à Lanfranco in Angliam de Euchariſtiâ invecta eſt doctrina, pugnabat apertè, & cum "Homiliâ Saxonicâ, quæ Paſchali tempore ad populum legi conſuevit; & cùm Ælfrici ad clericos ſermonibus, qui inter juris Sacerdotalis Canones relati ſunt ab Anglorum Epiſcopis, quemadmodum ex exemplaribus quæ adhuc ſuperſunt (Leofrici Exonienſis & Wulfſtani Wigornienſis epiſcopi, id eſt, ipſius Lanfranci temporibus, deſcriptis) apparet. Ut mirandum non ſit, quod apud Matthæum Weſtmonaſterienſem [r] legimus, tot Berengarii ſectatores inter Anglos repertos eſſe: aut Balduinum (illum nimirum Ciſtercienſis ordinis monachum, Fordenſem abbatem, Wigornienſem epiſcopum, Cantuarienſem Archiepiſcopum; quem Urbanus Papa ita ſalutâſſe fertur: [ſ] *Vrbanus ſervus ſervorum Dei, Monacho ferventiſſimo, Abbati calido, Epiſcopo tepido, Archiepiſcopo remiſſo, Salutem:*) circa annum 1180. in Angliâ, edito opere de Euchariſtiâ, *contra reliquias Berengarij* (ut quidem videtur [t] Poſſevino) *contendiſſe ſtylo.*

* *Vid. cap. 2. §. 4*

" *Vid. ibid. §. 20. 21.*

[r] *Flor. hiſtor. an.* 1087.

[ſ] *Girald. Cambrenſ. Itinerar. Cambr. lib.* 2. *cap.* 14.

[t] *Poſſevin. Apparat. ſacr. in* Berengar. Turonenſ.

19 Quanquam enim Berengarii à Romanâ Eccleſiâ damnata eſſet ſententia: multi tamen, etiam eorum qui à Romanâ Eccleſiâ ſeceſſionem non fecerunt, re

ipsâ

ipsâ idem cum illo tenuerunt. *Sunt nonnulli* (inquit Zacharias epiſcopus Chryſopolitanus , commentariorum in Euangeliorum Monoteſſaron, lib. 4. cap. 156.) *imò forſan multi , ſed vix notari poſſunt , qui cum damnato Berengario idem ſentiunt , & tamen eundem cum Eccleſiâ damnant. In hoc videlicet damnant eum, quia formam verborum Eccleſiæ abjiciens , nuditate ſermonis ſcandalum movebat. Non ſequebatur, ut dicunt, uſum ſcripturarum, quæ paſſim res ſignificantes tanquam ſignificatas appellant, præſertim in ſacramentis, ut eorum virtutes exprimant. Alij verò latenter imponunt quòd non intelligant tropos & figuratas locutiones, ideoq; miſerabili morte animæ ſigna pro rebus accipiant. Illud quoq; maximè derident, quòd panis & vini ſpecies quidam dicunt in aëre apparere : quidam verò ſenſus corporeos falli, poſt converſionem panis & vini in carnem & ſanguinem Chriſti.* &c.

20 De ijſdem Rupertus abbas Tuitienſis, lib. 6. commentar. in Iohan. cap. 6. *Hoc loco ſilendum non eſt, malè quoſdam ignotos, ſed abſconditi nominis homines opinari, ſuis quoque defendere dictis & ſcriptis, panem verum & potum, quem in ſancto altari ſumimus, nihilo minùs Patres* Veteris Teſtamenti tempore *manducâſſe & bibiſſe ; & nihilo magis hoc eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti, quàm fuit illud Manna quod ille populus comedit, & illa aqua quam de petrâ productam non ſolus populus, ſed iumenta biberunt. Huic errori ſuo pro maximo argumento adhibent authoritatem Apoſtoli dicentis :* [u] *Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petrâ : Petra autem erat Chriſtus.* Addit poſtea ex eorundem ſententiâ ; *Panem quem in altari conſecramus, figuram eſſe panis vivi, qui de cælo deſcendit, non ipſum*

[u] 1. Corinth. 10. 3 4.

ipſum panem vivum. & licèt iſtis ſe opponat, tamen & *hactenus in Eccleſiâ toleratam diſcordantium & contraria dicentium permixtionem* ſignificat; (ſi verba ejus in 7°. libro commentariorum, ad idem Iohannis caput, rectè intelligo:) & ipſe opinionem ſequitur, non ab horum magis quàm à Pontificiorum ſenſu alienam. Statuit enim,[x] Verbum, quod olim carnem de Mariâ virgine accepit, nunc panis ac vini ſubſtantiam in unitatem perſonæ ſuæ aſſumere: eaque ratione, panem illum qui multis conſtat ex granis, verè dici corpus Chriſti, & vinum illud quod ex multis confluxit acinis, verè dici Sanguinem Chriſti: ſic tamen, ut in hoc corpore Domini vita ejus animalis non adſit; & in illum, in quo fides non eſt, præter viſibiles ſpecies panis & vini, nihil de ſacrificio perveniat.

[x] *Rupert. lib. 6. comment. in Ioh. cap. 6. item lib. 2. de divin. offic. cap. 2. & 9.*

21 Quo autem ſenſu Dominica Cœna *Sacrificium*, etiam hiſce temporibus, dicta fuerit, nemo docebit nos meliùs quàm ipſe Sententiarum Magiſter, Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis. Hanc enim quæſtionem movet ille, lib. 4. diſtinct. 12. *ſi quod gerit Sacerdos, propriè dicatur ſacrificium vel immolatio; & ſi Chriſtus quotidie immoletur, vel ſemel tantùm immolatus ſit?* Deinde reſpondet: *illud quod offertur & conſecratur à Sacerdote, vocari ſacrificium & oblationem, quia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificij, & ſanctæ immolationis factæ in arâ crucis. Et ſemel* (inquit) *Chriſtus mortuus eſt in cruce, ibiq́ immolatus eſt in ſemetipſo: quotidie autem immolatur in ſacramento, quia in ſacramento recordatio fit illius quod factum eſt ſemel.* Quinetiam jam tum edoctos fuiſſe homines, ut in ſolâ hâc Chriſti morte totam ſuam fiduciam ponerent; ſatis oſtendunt quæſtiones illæ, authore Anſelmo, morientibus proponi

ſolitæ: quibus ad noſtra uſque tempora, *per univerſum Chriſtianum orbem* (ut ſcribit [y] Ulenbergius) *ſimpliciores ad agnoſcendum Chriſtum, & ſalutem conſequendam, manuduxerunt maiores noſtri.* Habentur eæ, cùm in aliis Bibliothecis manu deſcriptæ, tum Coloniæ in libro anno ſalutis 1475. ſcripto in linguam Germanicam converſæ: & in tractatu *de arte bene moriendi*, anno 1504. typis excuſæ; unde transſcriptas, *quia totam humanæ ſalutis rationem* (ut rectè cenſuit idem, non hâc certè in re Papiſta, Ulenbergius) *adeoq; nucleum Chriſtianiſmi quaſi brevi pugillo complectuntur*, huc viſum eſt attexere.

[y] *Caſpar Ulenberg. lib. Cauſarum cauſ. 14. edit. Colon. ann. 1589. pag. 462. 463.*

22 *Primò quæratur ſic: Frater, Lætaris quòd in fide Chriſti moriaris? Reſpondeat; Etiam.*

Frater, pœnitet te non tam bene vixiſſe ſicut debuiſſes? Reſpondeat; Etiam.

Frater, habes emendandi animum, ſi ſpatium vivendi haberes? Reſpondeat; Etiam.

Frater, credis te non poſſe niſi per mortem Chriſti ſalvari? Reſpondeat; Etiam.

Agis ei gratias ex toto corde de hoc? Reſpondeat, Etiam.

Age ergo (dum in te eſt anima tua) ei ſemper gratias: & in hâc eius morte te totum contege, huic morti te involve. Exemplar Colonienſe pleniùs: *In hâc ſolâ morte fiduciam tuam conſtitue; in nullâ aliâ re fiduciam habe; huic morti te totum committe, hâc ſolâ te totum contege, totum immiſce te in hâc morte, totum confige; in hâc morte te totum involve.*

*Et ſi Dominus Deus te voluerit judicare, dic: Domine, mortem Domini mei Ieſu Chriſti objicio inter te & me & judicium * ſuum; aliter tecum non contendo. Si dixerit, quòd mereris*

* tuum.

mereris damnationem, dic: Mortem Domini mei Ieſu Chriſti objicio inter te & me & mala merita mea; ipſumque digniſsimæ paſsionis meritum offero, pro merito quod ego habere debuiſſem, & heu non habeo.

Dicatur iterum: Domine mortem Domini mei Ieſu Chriſti pono inter me & iram tuam. Deinde dicat ter: In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, &c.

23 Mitto quæ non modò ab eodem Anſelmo, ſed etiam Ruperto Tuitienſi, Radulpho Ardente, Hildeberto Cenomanenſi, Bernardo Clarevallenſi, Bernardo Morlanenſi & aliis in eandem ſententiam præclarè ſunt dicta: ad eos accedo, qui in primâ hâc periodo Romanę Eccleſię erroribus ita ſe oppoſuerunt, ut eo nomine apertas illi inimicitias denuntiârint. Inter hos inſigniores fuerunt *Berengariani* & *Waldenſes.* hæc enim cognomenta illis indiderunt adverſarii: quæ & nobis hodie probri cujuſdam loco objicere ſolent Pontificii. [a] *Qui hodie ſunt Calviniſtæ, olim dicti fuerunt Berengariani:* inquit Serarius in Trihæreſio. & qui hodie dicuntur *Proteſtantes*, Iohanni Wendelſtino [a] *novi* ſunt *Waldenſes*, & *Germanici Waldenſes.* Nec verò juſtam adhuc cauſſam videre poſſumus, quamobrem horum majorum nos pudere debeat: quantumvis mendaciorum flumina in eos evomant adverſarii; ut hoc (ſi poſſent) modo * ποταμοφόρητον facerent, fugientem jam in deſertum, Ieſu Chriſti Eccleſiam.

[a] *Serar. Trihæreſ. lib. 1. cap. 5.*

[a] *Wendelſtin. præfat. in Cod. Canonum. & Decret. Pontific. edit ann.* 1525.

*rapi à flumine. Apoc. 12. 15.

24 Berengariani (ut ab iis incipiam) à Berengario Turonenſi dicti ſunt: quem damnatum objectat Guilielmus Reginaldus, [b] *eam ob fidem quam nos ut purè & perfectè Euangelicam ſectamur. quia nimirum realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam ex Euchariſtiâ*

[b] *Reginald. Calvino-Turciſm. lib. 2. ca. 5.*

auferebat: tum etiam quia Eccleſiam Romanam, Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, & ſedem Satanæ vocabat; & Leonem nonum, communi hominum opinione Pontificem bonum, immò ſanctitate & miraculis (ut fertur) perinſignem, Pompificem & Pulpificem dictitabat, eum nec appellatione Pontificis aut Epiſcopi dignatus. Deoduinus ſive Dietwinus Leodienſis Epiſcopus, in epiſtolâ ad Henricum I. Francorum Regem circa annum 1049. ſcriptâ (quæ in fine 3. tomi Bibliothecæ Patrum & in [c] Baronii 11°. Annali, Durando perperàm attribuitur) Berengario adjungit παραστάτην Brunonem Epiſcopum Andegavenſem. Fuit autem Berengarius *Andegavenſis Archidiaconus, Theſaurarius, Scholaſticus: qui honores gravibus duntaxat doctisq́ viris olim deferebantur.* ut in 3. libro Annalium Francorum confirmat Papirius Maſſonus. *In maximis* enim *Eccleſijs* (ut addit idem) *Scholaſtici munus erat clerum docere:* idque *nomen in eccleſiâ Andegavenſi* adhuc *retinetur; quem honorem quiſquis habet Academiæ Cancellarius eſt.*

[c] *Baron. ann.* 1035. §. 1. 6.

Vid. Andr. Thevet. Vit. hom. illuſtr. lib. 3. *cap.* 62.

25 Et eâ certè tempeſtate Berengarii *nomen inter ſectatores divinæ philoſophiæ celeberrimum habebatur:* quemadmodum ex Floriacenſis hiſtoriæ fragmento (quod cum aliis Francorum hiſtoricis à Pithæo [d] eſt editum) intelligimus. Platina [e] inter *viros ſanctitate & doctrinâ inſignes*, eum connumerat. Andreas Thevetus [f] ex vetere codice Ms°. ſcientiâ excelluiſſe & *Grammaticum* cognominatum eſſe notat. Sigebertus, [g] *liberalium artium, & ampliùs Dialecticæ peritiâ inſignem* fuiſſe aſſerit. De eodem Hildebertus Cenomanenſis:

Quicquid Philoſophi, quicquid cecinere Poëtæ,
Ingenio ceſſit eloquioq́ ſuo.

[d] *edit. Francof. an* 1596. *pa.* 86

[e] *Plat. in Iohanne XV.*

[f] *Thevet. Vit. hom. illuſtr. lib.* 3. *cap.* 62.

[g] *Sigeb. de illuſtr. eccleſ. ſcript. cap.* 155.

Sanctior

Sanctior & maior ſapientia maius adorta
Implevit ſacrum pectus & ora Deo.

Ipſe quoque [h] Sigonius, *hominem audacem* appellat, *ſed diſertum*. Et Antoninus: [i] *Cùm eſſet multùm peritus, multùm* (inquit) *erravit*. Denique ejuſdem æqualis Hugo Epiſcopus Lingonenſis, [k] *virorum acutiſſimum*, & ſacramentariâ opinione exceptâ, *in cunctis alijs reverendiſſimum virum* nominat. Quo major eſt temeritas Iohannis Garetii Lovanienſis, [l] qui non contentus Berengarium erroris & hæreſeos inſimulare, etiam ut *hominem indoctum*, & *nullius eruditionis*, auſus eſt traducere. & quaſi parùm hoc eſſet, de ſuo ampliùs addit [m] Guilielmus Alanus; ipſum *artium optimarum & ignarum & oſorem adeò importunum fuiſſe, ut eius operâ in Galliâ diſciplinæ penè omnes iacêrent*. Et apud [n] Guitmundum quidem (quem iſti in hâc objectæ Berengario inſcitię calumniâ authorem ſequi volunt) adoleſcente Berengario, *liberales artes intra Gallias penè obſolevisse*, legimus. ſed Berengarii *operâ* id eſſe factum, ab Alano jam primùm audimus.

[h] *Sigon. de regno Italiæ, lib. 8. ad ann.* 1046
[i] *Antonin. chronic. tit. 16. cap. 1. §. 20.*
[k] *Hug. Lingon. epiſt. ad Berengar. edit. Lovan. ann.* 1551.
[l] *Garet. de ve. â præſent in Epiſt. nuncupator. & Claſſ. 5. an.* 1040
[m] *Alan. de Euchariſt. lib. 1. cap. 21.*
[n] *Guitmund. initio lib. 1. de Euchariſt.*

26 Nec minùs ridiculè Papirius Maſſonus eidem invidiam inde conſlare nititur; quòd [o] *mutuatus videretur argumenta adverſus Euchariſtiam ex capite 25°. orationis 3. libri quem de capitibus legis Moſaicæ conſcripſit Ioſephus Albo Iudæus ſectâ, valdeq́ nomini Chriſtiano ac pietati infeſtus*. cùm tamen conſtet de hoc argumento ſcripſiſſe Berengarium annis plùs trecentis ante quàm lucem aſpexit Iudæus iſte; [p] qui circa annum demùm Chriſti 1425. librum illum עקרים de Moſaicæ legis articulis & *fundamentis* compoſuiſſe traditur. Quod autem alibi affirmat idem, [q] *ſolum inventum eſſe Berengarium, qui novam de Euchariſtiâ ſententiam*

[o] *Maſſon. de epiſcop. urbis, li. 4. in Nicolao II*
[p] *Vid. Ioh. Maltheri catalogum Doctorum gentis Iudaicæ, ex* Tzemach David.
[q] *Maſſon. Annal. Francor. li. 3. in Henr. rege.*

proferre in medium auderet; eiq; bellum illius temporis theologos omnes indixiſſe: falſi convincunt authores duo, qui à Berengarii ætate non multum abfuerunt, Conradus Bruwilerenſis & Sigebertus Gemblacenſis monachus. quorum alter in vitâ [r] Wolphelmi Bruwilerenſis abbatis, alter in Chronico ad annum Domini 1051. his verbis utitur. *Iſtis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonenſem, qui aſſerebat Euchariſtiam, quam ſumimus in altari, non eſſe reverà corpus & ſanguinem Chriſti. Vnde contra eum,* ET PRO EO, *multùm à multis, & verbis & ſcriptis, diſputatum eſt.* Ubi tamen notandum, in vulgatis [s] Sigeberti exemplaribus, verba illa quæ Berengarij favebant cauſſæ, (ET PRO EO) omiſſa prorſus eſſe: quæ non modò in Sigeberti exſcriptoribus [t] Guilielmo Nangiaco & [u] magni Chronici Belgici conſarcinatore Nuſſienſi monacho, cernuntur integra; ſed etiam [x] ex ipſo, ut creditur, Sigeberti autographo, quod in Gemblacenſi aſſervatum eſt cœnobio, nuper reſtituta ſunt ab Auberto Miræo, diligentiſſimo antiquitatum Belgicarum indagatore.

27 Nimirum, *pro* Berengario *multùm à multis, & verbis & ſcriptis, diſputatum eſſe*, id verò ægrè audiunt Pontificij: à quibus ſedulò data eſt opera, ne horum authorum vel ſcripta vel etiam nomina ad poſteritatis notitiam pervenirent. Tantùm [y] Guitmundus, Berengarium dogma ſuum per quoſdam, quos *ſuſtentabat, egenos ſcholaſticos, quaquaverſum potuit*, diffudiſſe ſignificat. Indeque de eo Guilielmus Alanus: [z] *Clandeſtinis colloquijs primùm imperitorum animos in ſuam ſententiam traxit, tum egenos quoſq; ſcholares, præſertim Theologiæ ſtudioſos, quotidianâ ſtipe, cùm opulentus eſſet, ita ſolicitavit,*

[r] *apud Surium, tom 2. vit. Sanct. April. 22.*

[s] *Sigebert. Chronic. edit. Pariſ. an.* 1513 *&* 1589. *tomo 7. Biblioth. Patr. col.* 1490.

[t] *Nangiac. MS. in bibliothecâ Regiâ Weſtmonaſter.*

[u] *Rer. Germanic. ſcript. à Io. Piſtorio edit. Francofurt. an.* 1607. *pag.* 105.

[x] *Sigebert. Chronic. à Miræo edit. Antuerp. an.* 1608.

[y] *Guitmund. lib.* 1. *de Euchariſt.*

[z] *Alan. de Euchariſt. lib.* 1. *cap.* 21.

licitavit, ut eorum operâ omnis penè Gallia ac vicinæ gentes eo malo quàm citiſſimè laborarent. Et, ut antiquiores commemorem, Guilielmus Malmesburienſis (cujus * eſt illa, Heidelbergæ anno 1587. ſine authoris nomine edita, Bedæ Continuatio) de geſtis regum Anglorum libro 3°. *Iamq; ſcatebat omnis Gallia eius doctrinâ, per egenos ſcholares (quos ipſe quotidianâ ſtipe ſollicitabat) diſſeminatâ.* Et Matthæus Pariſius in Hiſtoriâ majore, ad annum Domini 1087. *Imprimis autem afficiebatur omnis Gallia eius doctrinâ: ſiquidem per egenos ſcholares, quos quotidianis ſtipendijs ſuſtentabat, eandem paſſim divulgabat.* Denique Matthæus Weſtmonaſterienſis & Roffenſis hiſtoriæ collector, ad eundem annum, apertiſſimè: *Eodem tempore, Berengarius Turonenſis, in hæreticam prolapſus pravitatem,* Omnes Gallos, Italos Et Anglos, *ſuis iam penè corruperat pravitatibus.* Ex quo intelligimus, Berengarianos, id eſt, Dominici Teſtamenti adverſus Antichriſti corruptelas propugnatores atque vindices, non in uno aut altero angulo latitâſſe; ſed nobiliſſimas gentes impleviſſe: quantumcunq; cauſſæ ſuæ ſerviens Guitmundus, [a] perneget *vel unam eis civitatulam, vel etiam unam villulam conceſſiſſe.*

* *ſi poſtrema tria capita exceperis.*

[a] *Guitm nd. de Euchariſt. lib. 3.*

28 Quod verò ad ipſum Berengarium attinet: quemadmodum in Chronico teſtatus eſt Sigebertus, *& contra eum, & pro eo, multùm à multis, & verbis & ſcriptis, diſputatum eſſe:* ita addit in libro de illuſtr. Eccleſ. ſcriptorib. cap. 155. *quia multi ad eum vel contra eum ſuper hâc de myſterijs Chriſti ſententiâ ſcripſerunt, ſcripſiſſe & ipſum ad vel contra eos.* & habetur hodie Lovanij in Ieſuitarum collegio, Berengarij de hoc argumento Opus; [b] *tam vetuſtæ notæ, ut vel ipſius tempore conſcriptum*

[b] *Poſſevin. apparat. ſacr. in Berengar. Turon.*

conſcriptum quis non iniuriâ ſuſpicetur. illúdne quod contra Adelmanni Brixienſis epiſcopi epiſtolam illum ſcripſiſſe notat (in proximè citato loco) Sigebertus, an aliud, non poſſum dicere.

29 Romanorum autem Pontificum primus, anno quinquageſimo ſupra milleſimum, ei ſe oppoſuit, Leo IX. hâc (ut in libro contra Berengarium narrat Lanfrancus) occaſione. Literas in Normanniam ad Lanfrancum de corpore & ſanguine Domini miſerat Berengarius: in quibus Iohannis Scoti ſententiam commendaverat, & Paſchaſij damnaverat. Hæ à clericis, quibus abſente Lanfranco à nuncio fuerant traditæ, reſignatæ; & demum à Remenſi quodam clerico Romam ad Leonem Pontificem delatæ ſunt. Ille ſtatim cum ſuis in Berengarium abſentem & inauditum damnationis ſententiam promulgat, eumq; Romanæ Eccleſiæ communione privat. Deinde, proximo Septembri, Vercellis Synodum cogit: in quâ * Iohannis Scoti liber de Euchariſtiâ & Berengarij ac omnium fautorum ejus ſententia damnantur. Verùm Leonis hujus rugitum ſuſque deque habuit Berengarius; imò eos qui interfuêre Concilio verbis & ſcriptis laceſſere non deſtitit: Leonem (jam defunctum) *ſummum non pontificem, ſed pompificem atq; pulpificem vocans; eumq; infatuatione Lanfranci infatuatum, concilium vanitatis adunâſſe* aſſeverans. Refert iſta Guitmundus archiepiſcopus Averſanus (*Chriſtianus* [c] Paulo Bernriedenſi dictus) in 1°. contra Berengarium libro, Lovanij anno 1551. edito. nam in Pariſienſibus [d] *Bibliothecæ Patrum* editionibus (in quibus hæc & alia plura ad Berengarij hiſtoriam pertinentia ſunt reſecta) fruſtrà quæſieris.

* *vid. ſupr. cap. 2. §. 19.*

[c] *Paul. Bernried. in vitâ Gregorij VII. pag. 212.*

[d] *tom. 4. edit. 1. an. 1576. col. 245. tom. 6. edit. 2. an. 1589 col. 387. tom 6 edit. 3. an. 1610 col. 327.*

30 Leoni

30 Leoni ſucceſſit Victor Papa II. [e] qui anno 1056. miſſo in Gallias legato *Hildebrando* (de cujus virtutibus in ſuperioribus ſatis multa audivimus) apud Turones Synodum collegit: in quâ vocatus in quæſtionem Berengarius, ubi communem Eccleſiæ Romanæ de Euchariſtiâ ſententiam coram Pontificis legatis recepiſſe viſus eſſet; ac [f] *panem & vinum in ſacrificio Domini non umbraticè, ſed verè Chriſti carnem & ſanguinem fieri, dato propriæ manus ſacramento, confirmâſſet*; dimiſſus eſt. Deinde verò Romam anno 1059. à Nicolao II. vocatus, ac in conſeſſu CXIII. Epiſcoporum ſententiam ſuam exponere juſſus eſt. [g] *Cùm autem pluribus verbis, ſacrificium corporis & ſanguinis figuram eſſe, probare inſtituiſſet, neq́ Albericus diaconus cardinalis à Stephano P. factus, vir eâ tempeſtate doctrinæ ſtudio præſtans, reſiſtere voce homini in dicendo copioſiſſimo poſſet; ſpatium ſeptem dierum ad reſponſum ſcripto edendum popoſcit.* Ita rem geſtam narrat Carolus Sigonius: & ante eum Leo Oſtienſis, [h] de Alberico Diacono Caſſinenſi verba faciens. *Eius*, inquit, *temporibus facta eſt Synodus in Vrbe Româ contra Berengarium Diaconem Eccleſiæ Andegavenſis; qui inter multa, quæ nitebatur aſtruere, ſacrificium corporis & ſanguinis Domini figuram eſſe dicebat. Eiq́ cùm nullus valeret obſiſtere, Albericus evocatur ad Synodum. Quò cùm veniſſet, poſt multos verborum conflictus, cùm neuter cederet, Albericus unius hebdomadæ acceptis induciÿs, librum adverſus eundem Diaconem edidit de corpore Domini, ſanctorum Patrum teſtimoniÿs roboratum, in quo omnes aſſertiones eius deſtruxit, æternaq́ oblivione delevit.* Hujus conflictus Lanfrancus non meminit: ſed ſine conflictu potiùs tranſactam rem eſſe, his verbis ſignificat. *Cùm veniſſes Romam,*

[e] *Bertold. Conſtantienſ. Chronic. an. 1056. Lanfranc. lib. contr. Berengar. Sigon. de regno Ital. lib. 8. ann. 1056.*

[f] *Guitmund. de ſacram. lib. 1.*

[g] *Sigon. de regno Ital. lib. 9. ann. 1059.*

[h] *Chronic. Caſſinenſ. lib. 3. cap. 33.*

(ait ille ad Berengarium) *fretus ijs qui plus impenſis à te beneficijs, quàm ratione à te auditâ opem tibi promiſerant, non auſus defenſare quod antea ſenſeras, poſtulâſti Nicolaum Pontificem eiuſq́ Concilium, quatenus fidem, quam teneri oporteret, verbis tibi traderet, ſcripturâ firmaret.* indeque Baronius, [i] *Berengarium abſque ullâ prævia habitâ in Synodo de hæreſi altercatione, ſtatim ſponte damnaviſſe errorem*, contra Leonem Oſtienſem concludit. Contrà verò [k] Guitmundus, eum in Concilio *conflictu rationis revictum, libellos ſuos coram omni Synodo cremaviſſe aſſerit.* quod tamen *timore mortis* ab eo factum, rectius judicat [l] Maſſonus.

31 In eodem quoque Concilio coactus eſt Berengarius, [m] Iohannis Scoti tractatum de Euchariſtiâ, ex cujus lectione ſententiam ſuam hauſerat, in ignem projicere: & palinodiâ (à Cardinale Humberto Sylvæ candidæ Epiſcopo conſcriptâ) publicè recitatâ, profiteri; [n] *Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: & ſenſualiter non ſolùm ſacramento, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* ſunt enim hæc præſcriptæ abjurationis verba: ad quæ Gratiani gloſſator, Iohannes Semeca. *Niſi ſanè intelligas verba Berengarij, in maiorem incides hæreſim, quàm ipſe habuit. Et ideò omnia referas ad ſpecies ipſas. nam de Chriſti corpore partes non facimus.* Præſenti verò periculo liberatus Berengarius, abjurationis illam formulam, non minùs abſurdam quàm impiam, ſcripto edito refutavit. ubi ad particulam illam reſpondens, *Conſentio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi. Revera*, inquit, *non ſanctam eccleſiam experta eſt veritas ipſa,*

[i] *Baron: ann.* 1059. §. 18.

[k] *Guitm. de ſacram. lib.* 1.

[l] *Papir. Maſſon. Annal. Francor. lib.* 3. *in* Philippo Rege.

[m] *Floriacenſ. hiſtor. fragment. à P. Pithæo edit. inter Hiſtor. Franc. ſcript. excuſ. Francof. ann.* 1596. *pag.* 86.

[n] *Lanfranc. lib. cont. Berengar. Guitmund. de ſacram. lib.* 1. *Alger. de ſacram. lib.* 1. *cap.* 19. *Gratian. de Conſecrat. Diſt.* 2. *Ca.* Ego Berengarius.

ipſa, ſed Eccleſiam malignantium, concilium vanitatis; nec Apoſtolicam, ſed ſedem Satanæ. Huic contrarium ſcriptum oppoſuit Lanfrancus Cadomenſis [o] tum præfectus monaſterij: in quo non modò hanc, ſed etiam aliam, quam in fine operis Berengarij tribuit ſectatoribus, exagitat ſententiam. *Prædicatum eſt Euangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta eſt Eccleſia, crevit, fructificavit: ſed imperitiâ malè intelligentium poſtea erravit & perijt. In nobis ſolis, & in ijs qui nos ſequuntur, ſancta in terris Eccleſia remanſit.*

[o] *Lanfranc. epiſt. 3. ad Alexand. II. Baron. an. 1072. §. 21.*

32 Poſt hæc à Gregorio VII. ad Concilium Romæ anno 1078. menſe Novembri congregatum, vocatus eſt Berengarius: [p] eique induciæ datæ, uſque ad Synodum proximo Februario menſe habitam; in quâ iterum ad palinodiam adactus eſt. Tum verò, ut eſt in [q] Actis hujus Concilii, *omnibus in Eccleſiâ Salvatoris congregatis, habitus eſt ſermo de corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti: multis hæc, nonnullis illa ſentientibus. Maxima ſiquidem pars panem & vinum per ſacræ orationis verba & Sacerdotis conſecrationem, Spiritu ſancto inviſibiliter operante, converti ſubſtantialiter in corpus Dominicum de Virgine natum, quod in Cruce pependit, & in ſanguinem qui de eius latere militis effuſus eſt lanceâ, aſſerebat; atque authoritatibus orthodoxorum ſanctorum Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam verò cæcitate nimiâ & longâ perculſi, figuram tantùm, ſe & alios decipientes, quibuſdam cavillationibus conabantur aſtruere.* Ita Acta Synodalia, ab adverſariis conſignata: ex quibus tamen obſervare poſſumus, doctrinam Berengarianam, utcunque à Romanis Pontificibus tot in Synodis hucuſque impetitam, ita tamen non potuiſſe opprimi,

[p] *Bertold. Conſtant. Chron. an. 1078. & 1079.*

[q] *Excuſ. cum Lanfranc. edit. Lovã. an. 1551 fol. 92. 93. tom. 1. Biblioth. Patr. edit. 1. Pariſ. an. 1575. pag. 492. Greg. VII. Regeſt. li. 6. poſt epiſt. 17. tom. 3 epiſt. Pontif. edit. Rom. ann. 1591. pag. 775. 776. tom. 3. Cõcil. à Binio edit. part. 2. pa. 1286*

 quin

quin multos jam in concilio Romę coacto Epiſcopos aſſertores invenerit.

33 Imò ipſum quoque ducem gregis Hildebrandum *dubitâſſe, ſi illud quod ſumitur in Dominicâ menſâ ſit verum corpus & ſanguis Chriſti*, aſſerit Engelbertus [r] Treverenſis Archiepiſcopus. Eundem, ut *catholicam & Apoſtolicam fidem* (ſic tum vulgò habitam) *de corpore & ſanguine Domini in quæſtionem ponentem, hæretici Berengarij antiquum diſcipulum, divinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum*, &c. condemnant [f] Brixinenſis Synodi Epiſcopi. Et Benno Cardinalis, in ejus Vitâ: *Idem præſumptor ieiunium indixit Cardinalibus, ut Deus oſtenderet, quis rectiùs ſentiret de corpore Domini, Romanáne Eccleſia, an Berengarius. per hoc manifeſtè probatus infidelis, cùm in Niceno Concilio ſcriptum ſit, quia dubius in fide, infidelis eſt. Et de corpore Domini ſignum quæſivit, quod petente B. Gregorio ad firmandum mulieris fidem contigit, quando panis Chriſti formam accepit digiti. Et miſit duos Cardinales, Attonem & Cunonem, ad ſanctam Anaſtaſiam, ut cum Suppone, eiuſdem Eccleſiæ Archipresbytero, triduanum ieiunium peragerent; & illis tribus diebus ſinguli per dies ſingulos pſalterium & miſſas decantarent, ut ſupra dictum ſignum eis Chriſtus oſtenderet: quod minimè contigit.* Tum, paucis interjectis, etiam ad* μαντικὴν ſuam divino ſacramento ſic abuſum narrat. *Iohannes Portuenſis Epiſcopus, qui intimus fuerat à ſecretis Hildebrandi, aſcendit in ambonem beati Petri, & inter multa, audiente clero & populo, ait: Tale quid fecit Hildebrandus & nos, unde deberemus vivi incendi. ſignificans de ſacramento corporis Domini, quod Hildebrandus, reſponſa divina quærens contra Imperatorem, fertur ieciſſe igni; contradicentibus Cardinalibus, qui aſſiſtebant ei.*

[r] *Conſtitut. Imperial. Goldaſt. tom. 1. pag 46.*

[f] *Abb. Vrſperg. Chron. an. 1080 Sigon. de regno Ital. lib. 9. anno eod. Onuphr. Panuin. in vitâ Gregor. VII. à Gretſero edit. pag. 268.*

* divinationem

34 Et

34 Et hic nullius religionis, nullius fidei homuncio, à quo panis ille myſticus transformatus eſt in magicum, Berengario author fuit, ut elementa ſacramentalia [t] *ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, profiteretur: graviſſimo præcepto interpoſito, *ut de corpore & ſanguine Domini nunquam ulteriùs cum aliquo diſputare, vel aliquem docere præſumeret; excepto, cauſsâ reducendi ad fidem hanc eos qui per eius doctrinam ab eâ receſſerant.* Atque in hâc fide deceſſiſſe Berengarium, tradit Guilielmus Malmesburienſis; & poſt eum alii. *Non tamen deſunt* [u] *qui dicant, nunquam converſum* à priſtinâ ſententiâ: pro quibus facit author Guilielmo antiquior, qui hoc ipſo tempore floruit, Bertoldus Conſtantienſis presbyter. Sic enim ille de morte Berengarii, quam ad annum 1083. refert. *Berengarius, novæ hæreſis de corpore Domini auctor, eo tempore deficiens, abiit in locum ſuum: qui licèt eandem hæreſin ſæpiſſimè in Synodo abiuravit, ad vomitum tamen ſuum canino more non expavit redire. Nam & in Romanâ Synodo canonicè convictus, hæreſin ſuam in libro à ſe deſcriptam, combuſſit, & abiuratam anathematizavit; nec tamen poſtea dimiſit.*

[t] *Act. Synod. Rom. an.* 1079.

[u] *Fr. Pegna, in fin. commentar.* 31. *ad* 2. *partem Directorii Inquiſitor. Vid. Baron. Annal. tom* 11 *ad ann.* 1088. § 15. 20 21. & *P. Merſſæi Cratepolii Annal. Epiſcop. Oſnaburg.* §. 15

35 Papirius Maſſonus [x], ex Chronicis Iohannis monachi majoris monaſterii, anno 1088. eum obiiſſe notat, *apud Turones in inſula Coſmæ, anno viceſimo octavo poſtquam ibi modeſtiſſimè vixerat: conditumq; eſſe in ſepto baſilicæ Martinianæ; quòd Camerarii honorem in templo Martini vivus geſſiſſet.* Renatus [y] Choppinus ſimiliter tumulum ejus *Viſi* ait *in Templo Prioratus D. Coſmæ, apud Turones, cum inſigni Epitaphio poſito anno* 1088. quod etiam apud Andream Thevetum habetur, in Vitis

[x] *Maſſon. Annal. Franc. lib.* 3 *Andr. Thevet. vit. hom. illuſtr. lib.* 3. *cap.* 62.

[y] *Choppin. de ſacrâ Politiâ, lib.* 2. *tit.* 8. §. 15. *in marg.*

hominum illuſtrium, lib. 3. cap. 62. unâ cum effigie Berengarii ex vetere libro Manuſcripto Martinianæ apud Turonenſes Bibliothecæ deſumptâ. Eſt autem Epitaphium illud, ſeptem diſtichis comprehenſum particula quædam Elogii amplioris, quod Berengario poſitum eſt à diſcipulo Hildeberto (poſtea Cenomanenſi ac Turonenſi Pontifice) & apud Guilielmum Malmesburienſem, in tertio libro de geſtis regum Anglorum, extat integrum. Ejus hoc initium:

Quem modò miratur, ſemper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem ſacræ fidei faſtigia ſumma tenentem,
*Iani * quinta dies abſtulit, auſa nefas.*

* *in Epitaphio:* prima

Finis iſte:

Vir verè ſapiens, & parte beatus ab omni;
Qui cælos animâ, corpore ditat humum.
Poſt obitum vivam ſecum, ſecum requieſcam,
Nec fiat melior ſors mea ſorte ſuâ.

36 Hinc apparet, [z] *qualis Berengarius quantuſq; fuerit:* qui ut ipſe mobilitatis & levitatis notam non potuerit effugere, diſcipulos tamen poſt ſe in omnibus terris reliquit conſtantiſſimos. de quibus, acerrimus ipſorum hoſtis, Guilielmus Malmesburienſis. [a] *Berengarius planè quamvis ipſe ſententiam correxerit, omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit.* Nec enim ab arundine à vento agitatâ pendebant illi; neque ullius hominis, quantumvis ſummi atque excellentis, authoritate nitebatur eorum fides, ſed verbo Domini quod *manet in æternum.* Itaq; ad eos reprimendos, in Placentino Concilio anno 1095. ab Vrbano II. editus eſt Canon: quo *hæreſis Berengariana*

[z] *Papir. Maſſon. Annal. li. 3.*

[a] *Malmesbur. de geſt. Angl. lib. 3.*

Berengariana (Bertoldi Conſtantienſis verba ſunt in anni hujus hiſtoriâ) *iam ab antiquo ſæpiſſimè anathemizata, iterum damnata eſt, & ſententia Catholicæ fidei contra eandem firmata ; videlicet, quòd panis & vinum, cùm in altari conſecrantur, non ſolum figuratè, ſed etiam verè & eſſentialiter in corpus & ſanguinem Domini convertantur.* Eoſdem etiam Algerus Cluniacenſis monachus ſcriptis oppugnavit : [b] quæ mirificè prædicat, qui in eodem monaſterio cum illo vixit, Petrus Cluniacenſis abbas ; & [c] *quorundam modernorum vel imperitiæ vel errori* (ſic ille loquitur) ut *ſingulare præſidium* opponit.

[b] *Petr. Cluniac. lib. 1. Epiſt. 2. cont. Petrobruſian.*

[c] *Id. lib. 4. epiſt. 53. ad Alberonem.*

37 Brunonem quoque Trevirorum archiepiſcopum, diœceſi ſuâ expuliſſe quoſdam ex Berengarii ſectatoribus, qui *illius doctrinam in Eburonibus, Atuaticis, & alijs Belgij populis diſſeminabant*, narrat [d] D. Thuanus. Author Actorum Brunonis (in Bibliothecâ nobiliſſ. Baronis Carew de Clopton repertus) qui ſe huic examini interfuiſſe ſcribit, etiam Baptiſmum parvulis ad ſalutem non proficere iſtos dixiſſe ait. quomodo & Brunonem Andegavenſem epiſcopum ac Berengarium Turonenſem, *quantum in ipſis erat, Baptiſmum parvulorum evertiſſe*, ex communi primùm famâ [e] Deoduinus Leodienſis epiſcopus, deinde ex Leodienſis fide refert [f] Guitmundus archiepiſcopus Averſanus. Verùm in tot Synodis adverſus Berengarium habitis, nullam de Anabaptiſmo litem illi intentatam invenimus: nec aliud videntur ii negaviſſe, qui Baptiſmum parvulis ad ſalutem proficere dicuntur negâſſe, quàm Baptiſmum *ex opere* (ut loquuntur) *operato* conferre gratiam & ſalutem. quemadmodum qui ex dicto illo Apoſtoli, [g] *Neque qui rigat*

[d] *Thuan. Præf. in hiſt. ſui tempor. ad reg. Henric. IV. ubi tamen pro anno ſalutis* 1060. *annus* 1106. *reponendus.*

[e] *tom. 3. biblioth. Patr. edit. 2 col. 1292. e.*

[f] *Ibid. tom 6. col. 386. c. d.*

[g] 1. Cor. 3. 7.

neq;

neq; qui plantat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus, colligebant, *neque prædicatione, neque baptiſmo remitti peccatum, ſed ſolâ divinâ gratiâ*; ita ab [h] Alano in primo contra hæreticos ſui temporis libro acceptos videmus, ac ſi dixiſſent, *Baptiſmum nullam habere efficaciam vel in parvulis vel in adultis*, ideoque *ad Baptiſmi ſuſceptionem homines* omnino *non teneri*.

[h] *Alan. pag.* 103. 104. 107.

MS.

38 Meminit præterea dictus author anonymus *conventiculorum*, quæ in Trevirenſi diœceſi frequentare ſolerent illi qui ſubſtantiam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti negabant tranſmutari. ex quâ ſocietate fuiſſe videntur, [i] qui apud Trevirenſes & Ultrajectenſes à Lothario Imp. combuſti in Chronico Saxoniæ leguntur. Contigit illud anno Domini 1135. quo & [k] Francus abbas adverſus carnalem Dominici corporis in Cænâ præſentiam contendiſſe traditur. Neque enim ante Lateranenſe Concilium, ſub Innocentio III. habitum, in Eccleſiâ Romanâ terminata fuit ea quæſtio: adeoque aliquibus non ex plebe modò, ſed etiam ex literatorum numero ignota prorſus fuit Pontificiorum hâc de re ſententia. quod vel ex ſequente hâc, à [l] Cæſario Heiſterbachenſi recitatâ, colligi poterit hiſtoriâ. *Coloniæ in Eccleſiâ Sancti Andreæ canonicus quidam extitit, ordine ſacerdos, arte medicus, Petrus nomine. Cùm die quâdam, quidam ex eius concanonicis infirmus, eo præſente eſſet communicaturus, & ei ſacerdos diceret, Credis hoc eſſe verum corpus Domini, quod natum eſt de Virgine, & pro te paſſum in cruce? Illeque reſponderet, Credo: Præfatus Petrus utrorumque verba notans, expavit. Poſtea ſolus conveniens Everhardum Scholaſticum eccleſiæ, qui & ipſe communioni intererat, ait: Interrogavit Sacerdos infirmum illum bene? Et reſpondit*

[i] *Magdeburg. Centur.* 12. *col.* 848. 20.

[k] *Ibid.* 30.

Vid. ſupr. § 18. 19.

[l] *Cæſar. hiſtor. lib.* 9. *cap.* 56.

ſpondit ille: Etiam bene, inquit; qui aliter credit, hæreticus eſt. Tunc Petrus eiulans, pectuſque tundens exclamavit dicens; Væ mihi miſero Sacerdoti, quomodo hactenus Miſſas celebravi? nam vſque ad hanc horam, putabam ſpeciem panis & vini poſt conſecrationem, tantùm eſſe ſacramentum, id eſt, ſignum & repræſentationem Dominici corporis & ſanguinis. Poſtea verò ad deletionem eiuſdem ignorantiæ, quæ nimis erat craſſa, in honore beatæ Mariæ Magdalenæ in Stolgingaſſe & capellam & hoſpitale, in quibus nunc habitant Prædicatores, ædificauit. Si verò ſacerdos literatus, & bonæ admodum vitæ, ſic errare potuit, quid dicam de idiotis & malis? Hæc Cæſarius.

Cap. VIII.

De Waldenſibus, qui in primâ hâc periodo parti Pontificiæ adverſi perſtiterunt. De Pauperibus Lugdunenſibus, qui Leoniſtæ & Inzabbatati dicti; Catharis ſive Gazaris, Paterinis, Publicanis, Agennenſibus, Petrobruſianis, Henricianis, Paſſaginis, Ioſephinis, Arnaldiſtis, Humiliatis, & alijs nominibus quæ in horum temporum ſcriptoribus occurrunt.

1 Romanam Eccleſiam *longo tempore* à Berengarianis *ſatis afflictam* fuiſſe non diſſimulat [a] Wernerus Carthuſianus. Nunquam tamen acriùs oppugnatam affirmat in Gallicâ Hiſtoriâ [b] Lancelotus du Voyſin Poplinerius, quàm à *Waldenſibus, & eorum in Aquitaniâ ac vicinâ regione ſucceſſoribus, qui ab Albio, Albienſium in Septimaniâ urbe primariâ, Albigenſes dicti ſunt. Hi, invitis Principibus Chriſtianis omnibus, circa annum* 1100. *& temporibus ſubſequentibus, doctrinam ſuam, ab eâ quam hodie Proteſtantes amplectuntur parùm differentem, non per Galliam ſolùm totam, ſed etiam per omnes penè Europæ oras diſſeminârunt. Nam Galli, Hiſpani, Angli, Scoti, Itali, Germani, Bohemi, Saxones, Poloni, Lithuani & gentes aliæ,*

[a] *Werner. Faſcic. temp. ætat. 6. circa annum Chriſti* 1064.

[b] *Popliner. Hiſtor. Franc. lib.* 1. *edit. an.* 1581 *fol.* 7. *b.*

eam ad hunc diem pertinaciter defenderunt. Ita Poplinerius; *tantus* [c] Genebrardo, *tam candidus & eruditus vir; qui purè & ſimpliciter ad hiſtoriæ veritatem, non ad cauſſæ gratiam, cuncta narravit.* De Waldenſium verò antiquitate repetendum eſt illud Reinerij Inquiſitoris Pontificij (illum enim authorem eſſe jam ex opere, quod integrius Ingolſtadij editum eſt nuperrimè, intelleximus) inſigne teſtimonium. [d] *Inter omnes ſectas, quæ adhuc ſunt, vel fuerunt, non eſt pernicioſior Eccleſiæ, quàm Leoniſtarum. Et hoc tribus de cauſis. Prima eſt; quia eſt diuturnior. Aliqui enim dicunt, quòd duraverit à tempore Silveſtri; aliqui, à tempore Apoſtolorum. Secunda; quia eſt generalior. Ferè enim nulla eſt terra, in quâ hæc ſecta non ſit. Tertia*, &c. Fruſtra autem eſt Gretſerus cùm opponit, [e] Reinerium *non ex ſuâ, ſed ex aliorum ſententiâ* affirmare, *ſectam Waldenſium à temporibus S. Silveſtri Papæ, vel etiam ipſorum Apoſtolorum duraſſe.* Nam ut hoc demus *ex aliorum ſententiâ* fuiſſe dictum: illud tamen apparet eum dixiſſe *ex ſuâ*; inter omnes ſectas, quæ ſunt vel fuerunt, nullam fuiſſe *diuturniorem*, quàm Leoniſtarum hanc ſive Waldenſium: qnod ſatis oſtendit, primam eorum originem ab omni memoriâ fuiſſe remotiſſimam. evincit certè (quod oſtendi ſibi poſtulat [f] Ieſuita) novam doctrinam non fuiſſe à *Waldenſibus & Albigenſibus circa Annum Chriſti* M C LX. *primitùs in mundum introductam, & poſtea miris incrementis multiplicatam.* Cùm enim inter annũ Chriſti M C LX. & annum M CC L IV. quo fratrem Reinerium claruiſſe ex Antonij Senenſis Bibliothecâ docet ipſe Gretſerus, tantùm 94. annorum ſpatium interceſſerit: omnibus ludibrium debuiſſet, qui talia de *diuturnitate* proferret ſectæ,

quam

[c] *Genebr. Chronol. lib. 4. anno* 1581.

[d] *Reiner. cont. hæret. cap. 4. pag. 54. edit. Ingolſtad. an.* 1613.

[e] *Gretſer. Prolegom. in ſcript. edit. contr. Waldenſ. cap. 8. pag.* 39.

[f] *Gretſer. ibid. pag.* 38.

quam non amplius uno antè ſeculo exortam conſtitiſſet.

2 Quod ſi maximè conſtaret extitiſſe Waldum circa annum M C LX. atque ab eo *Pauperes de Lugduno* ſive *Leoniſtas* originem accepiſſe: id profecto non ad omnes doctrinæ hujus profeſſores fuiſſet referendum, ſed ad certum quoddam Prædicatorum inter eos genus, qui propriè *Pauperes de Lugduno* vocabantur. *Duo* enim (ut inquit frater [g] Iuonetus in Summâ, part. 5. cap. 2.) *ſunt genera ſectæ ipſorum. Quidam dicuntur Perfecti eorum, & hi propriè vocantur Poure Valdenſes de Lion: nec omnes ad hanc formam aſſumunt; ſed priùs diu informantur, ut & alios ſciant docere. Hi nihil proprium dicunt ſe habere, nec domos, nec poſſeſsiones, nec certas manſiones: conjuges, ſi quas ante habuerunt, relinquunt. Hi dicunt ſe Apoſtolorum ſucceſſores, & ſunt magiſtri aliorum & confeſſores: & circuunt per terras viſitando, & confirmando diſcipulos in errore. His miniſtrant diſcipuli neceſſaria. In quocunque loco veniunt, inſinuant ſibi mutuò adventum illorum. Conveniunt ad eos plures in tuto loco in latibulis audire eos, & videre: & mittunt eis illuc optima quæque cibi & potus. & indicunt collectas nummorum diſcipulis pro ſuſtentatione eorundem Pauperum & magiſtrorum ſuorum, & ſtudentium, qui per ſe ſumptus non habent: vel etiam ad alliciendum aliquos, quos cupiditas nummi trahit ad ſectam eorum.*

[g] *Fr. Pegna, in part. 2. Director. Inquiſit. comment. 25. ex Ms. Biblioth. Vatican.*

Vid. infr. cap. 10. §. 5. 6. 7. 8.

3 Iſti *Perfecti*, ab alijs [h] *Induti*, ab alijs [i] *Veſtiti* appellantur. *Perfectos hæreticos* (inquit Conciliū Biterrenſe, cap. 16.) *ſeu veſtitos coram diſcretis aliquibus & fidelibus examinetis ſecretò, ipſos ad converſionem prout poteritis inducentes; & converti volentibus vos exhibeatis favorabiles & benignos, cùm per tales multùm fuerit illuminatum*

[h] *Nicol. Bertrand. de geſtis Tholoſanor,* edit. an. 1515. fol. 27.

[i] *Fr. Pegna, in part. 2. Director. Inquiſit. comment.* 64.

minatum negotium & promotum : ac ipſorum pænitentias pro qualitate converſionis & meriti mitigetis, vel quantum vobis viſum fuerit deferatis. Dicti ſunt & *Inſabbatati:* non *quod nullum feſtum colerent* (ut opinatus eſt [k] Iohannes Maſſonus) nec quòd in *Sabbato* colendo judaizarent, ut multi putabant [l]: ſed à *Zabatâ*, quod eſt pedis indumentum ex corio confectum, Hiſpanis *Zapato* appellatum. Nam, ut habetur apud Nicolaum Eymericum, in 2a. parte Directorij Inquiſitorum [m]: *Inſabbatati* dicuntur, *qui in ſotulari, quod Zabbati vulgó dicitur, ſignum ſingulare quoddam, ut cognoſcerentur ab eorum complicibus, deferebant.* Et, ut in 3a. parte, *de ſignis exterioribus per quæ Valdenſes cognoſcuntur*, addit idem: *Quoddam ſcutum in ſotularis vel Zabbatæ parte ſuperiori, hi qui Perfecti inter eos ſunt, in ſignum deferunt, á quo & Inzabbatati etiam dicti ſunt.*

[k] Maſſon. Præfat. in Alan. contr. Valdenſ.
[l] Fr. Pegna, in part. 2. Direct. Inquiſ. comment. 25. d. & 39. c.
[m] Ibid. comment. 25. d. Vid. part. 2. Direct. Inquiſ. quæſt. 14. part. 3. num. 112. Bern. Lutzenburg. & Gabr. Prateol: Elenc. hæret. in Inſabbatatis.
[n] Reiner. contr. hæret. cap. 5. pag. 55.

4 De horum origine ita ſcribit [n] Reinerius. *Cùm cives maiores pariter eſſent in Lugduno, contigit quendam ex eis mori ſubitò coram eis. Vnde quidam inter eos tantùm fuit territus, quòd ſtatim magnum theſaurum pauperibus erogavit: & ex hoc maxima multitudo pauperum ad eum confluxit; quos ipſe docuit habere voluntariam paupertatem; & eſſe imitatores Chriſti & Apoſtolorum. Cùm autem eſſet aliquantulum literatus, novi Teſtamenti textum docuit eos vulgariter. Pro quâ temeritate cùm fuiſſet reprehenſus, contempſit, & cæpit inſiſtere doctrinæ ſuæ; dicens diſcipulis ſuis, quòd Clerus, quando malæ vitæ eſſet, invideret ſanctæ vitæ ipſorum, & doctrinæ. Cùm autem Papa excommunicationis ſententiam tuliſſet in eos, pertinaciter contempſerunt: & ſic uſq; hodie in omnibus terminis illis proficit doctrina ipſorum.*

5 Hunc Lugdunenſem civem fuiſſe *Petrum* quendam

dam Waldenſem, ab oppido Waldis, ſito in marchiâ Galliæ, vnde erat oriundus, ſic appellatū, Magdeburgenſes [o] annotant hiſtorici. *Petrus ei nomen fuit*, (inquit [p] Iohannes Maſſonius) *Valdo cognomen: natus in vico, qui priſco nomine poſtea mutato dictus eſt Vaudram, eo quòd populari linguâ Valdo & ſectarij eius Vaudois cognominarentur.* Et de cognomine quidem conſentiunt authores omnes; eum à quo Valdeſij ſive Waldenſes appellationem traxerunt, *Valdem, Valdium, Valdentium, Waldenſem* vel *Waldonem* eſſe dictum. Ita enim [q] Gualterus Mapeus (à quo huius nominis primam mentionem factam invenio) *Valdeſios* ſcribit *à primate ipſorum Valde dictos, qui fuerat civis Lugduni ſuper Rhodanum.* Similiter Alanus, lib. 2°. contra Valdenſes, cap. 1°. ſed intemperantiùs : *Valdenſes dicuntur à ſuo hæreſiarchâ, qui Valdius dicebatur : qui ſuo ſpiritu ductus, non à Deo miſſus, novam ſectam invenit, ut ſine alicuius Prælati auctoritate, ſine divinâ inſpiratione, ſine conſcientiâ, ſine literâ prædicare præſumeret; ſine ratione Philoſophus, ſine viſione Propheta, ſine miſsione Apoſtolus, ſine inſtructione Didaſcalus. quorum diſcipuli, id eſt, muſcipulæ iam per diverſas mundi partes, ſimplices ſeducunt à viâ; à vero avertunt, non ad viam convertunt: qui potiùs ut ſatientur ventre, quàm mente, alijs prædicare præſumunt.* Et Guido Perpinianus Carmelita, in Summâ de hæreſibus : *Fuit quidam civis Lugdunenſis, nomine Valdenſius ſeu Valdenſis, qui dives exiſtens divitias reliquit, ut pauper fieret, & Chriſtum ſequeretur & Euangelicam perfectionem ſervaret. Sed errore pravæ intelligentiæ ſcripturarum abductus à veritate demens, ipſe & eius ſequaces ab unitate & obedientiâ eccleſiæ alienati per ſchiſma in hæreſim ſunt prolapſi.* Poſtremo (ut recentiores omittam) Nicolaus

[o] *Centur.* 12. *cap.* 8. *col.* 1204.

[p] *Maſſon. præfat. in Alan. contr. Valdenſ.*

[q] *Mape. de Nugis Curialium, diſtinct.* 1. *cap.* 31. *Ms. in Bibliothecâ Bodleianâ.*

Vid. infr. cap. 10. § 5.6.7.8.

colaus Eymericus, in 2ª. parte Directorij Inquiſitorum, quæſt. 14. *Inſurrexit* (inquit) *in partibus Gallicanis, in Archiepiſcopatu & ciuitate Lugdunenſi, quidam vocatus Valdentius ſeu Valdenſis; qui relictis omnibus propoſuit ſervare Euangelicam paupertatem, ſicut Apoſtoli ſeruârunt: qui plures ſibi adhærentes habuit, & congregationem magnam virorum & mulierum fecit, &c. Hi vocantur Valdenſes à Valdenſe eorum magiſtro errorum & auctore. Vocantur etiam Pauperes de Lugduno à civitate Lugdunenſi, unde traxerunt originem, & quia vitam elegerunt pauperem.* Atq; inde etiam *Leoniſtæ* à Pontificijs paſſim appellati ſunt: neq; ab autore, neque etiam à fautore Leone Imperatore Iconomacho, [r] uti quidam putârunt; ſed (ut [s] alij rectiùs) *à loco, in quo nati, nempe à Lugduno cui Germanicè nomen Leon, Gallicè Lyon.*

6 Quo verò tempore claruerit Petrus ille Waldius, inter authores nequaquam convenit. Waldenſes ipſi (ſi [t] Petro Pilichdorffio credimus) dicunt, *quòd poſt annos trecentos à Conſtantino ſurrexit quidam è regione Waldis Petrus nominatus, qui viam paupertatis docuit;* à quo Waldenſis ſecta propagata eſt. [u] Alij æqualem Berengarij fuiſſe innuunt *Waldonem* quendam, à quo *Waldenſes* denominati putantur. Petrus Pilichdorffius ad Innocentij II. tempora eorum ortum refert. *Ferè octingentis annis* ([x] inquit) *poſt Papam Silveſtrum, tempore Innocentij* II. *in civitate Walden, quæ in finibus Franciæ ſita eſt, fuit quidam civis dives, qui vel ipſe legit, vel audivit, Dominum dixiſſe cuidam adoleſcenti, Matth.* 19. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. *Et poſt pauca, dixit Petrus Domino:* Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. *Putabat ille Petrus Waldenſis, cùm hanc*

[r] *Bern. Lutzemburg. Catalog. hæretic. in* Leoniſt. *Thuan. Hiſtor. lib.* 5. *ad annum* 1550. *Goldaſt. Rational. Conſtitut. Imp. edit. an.* 1607. *pag.* 78.

[s] *Magdeburg. Centur.* 12. *cap.* 8. *col.* 1204. *Gretſer. Prolegom. in ſcript. edit. contr. Waldenſ. cap.* 2. *pag.* 4.

[t] *Pilichdorf. tractat. contr. Pauperes de Lugdun. à Gretſero edit. pag.* 282.

[u] *Vid. Magdeburg. Centur.* 11. *cap.* 9. *col.* 455. & *Nic. Vignier. Hiſtor. Eccleſiaſt. ann.* 1050.

[x] *Pilichdorf. Obviation. cont. Waldenſ. cap.* 1. *pag.* 205.

hanc audiret aut legeret ſcripturam, quòd vita Apoſtolica iam non eſſet in terrâ. Unde, cogitabat eam innovare; &, omnibus venditis, & pauperibus datis, cœpit vitam pauperem ducere: quod videntes quidam alij, corde compuncti ſunt, & fecerunt ſimiliter. Inter quos prædicto Petro quidam ſe adiunxit, qui dictus erat Ioannes de Lugduno; à quo etiam ſectarij vocabantur Pauperes de Lugduno. Cùm autem diu in paupertate ſtetiſſent, inceperunt cogitare, quòd etiam Apoſtoli Chriſti non ſolùm erant pauperes, imò etiã prædicatores: cæperunt & ipſi prædicare Verbum Dei. Quod poſtquam ad ſedem Apoſtolicam perveniſſet, mandavit Dominus Apoſtolicus, quòd ceſſarent; cùm prædicatio Verbi Dei rudibus & illiteratis non conveniat. ipſi noluerunt obedire; quaſi hoc Romana Curia ex invidiâ prohiberet. Quo comperto, Eccleſia excommunicavit eos: & ipſi reſiſtentes contumaciter ab Eccleſiâ condemnati ſunt. Et quia iam in palam prædicare non præſumebant, occultè ſaltem prædicabant. Ejuſmodi Waldenſibus tribuit originem, qui odio capitali ab ijs diſſidebat, Petrus Pilichdorffius: cum quo in ratione temporis conſentit [y] Iohannes Sacranus, Cracovienſis Eccleſiæ Canonicus, de Ruthenis ita ſcribens. *Hæreticorum Valdenſium more (quorum temeratiſſima ruſticitas Innocentij ſecundi temporibus virus peſtiferum admodum in Eccleſiam injecerat, quod necdum eſt in Bohemiâ conſepultum) ambitionis faſtu inflati, ſe duntaxat veros Apoſtolorum & Eccleſiæ primitivæ ſectatores audent aſtruere; & in eo, quod abſciſi ab Eccleſiâ ultro diſſident, eius excommunicationem contra ſe tanquam ſchiſmaticos, æternam reputant benedictionem.*

Vid. infr. cap. 10. §. 5. 6. 7. 8.

[y] *Sacran. Elucidar. errorum ritus Ruthenici, capital.* 1.

7 [a] Raphael Volaterranus, [b] Wernerus Laërius, & [c] Philippus Bergomenſis, ſub Hadriano IV. Waldo-

[a] *Volaterran. Anthropolog. lib.* 20.
[b] *Werner. Faſcic. temp. ætat.* 6.
[c] *Ia. Phil. Bergom. Supplem. Chronic. lib.* 12. *ad ann.* 1158.

Waldonem & Waldenſes excitatos eſſe ſcribunt, circa annum ſc. Salutis 1157. quæ temporis notatio etiam apud Nicolaum Eymericum, [d] in Cardinalis Sabelli codice Ms°. cernitur. Alij ſub ejus ſucceſſore Alexandro III. exortos ferunt: circa annum videlicet Domini, vel 1160. (ut [e] Ioh. Trithemius, & recentiores pleriq;) vel 1170. (ut Claudij Couſſordi [f] Raynerius, [g] Guido Perpinianus, & [h] Ioh. Laziardus.) *Incepit hæc ſecta circa annum ab incarnatione Domini,* MCLXX. *ſub* [*] *Ioanne Bellomais archiepiſco Lugdunenſi*: inquit ille, quem nomine Raynerij edidit Couſſordus. Et Campegius in Lugdunenſium archiepiſcorum catalogo: [i] *Ioannes de bellis manibus.* 1170. *hic Valdenſes excommunicavit.* Plenius Guido Perpinianus: *Hos dominus Iohannes de bellis manibus Lugdunenſis Archiepiſcopus, repertis illorum erroribus, & præſumptuoſâ ac fatuâ prædicatione & contra fidem, monuit, ut à talibus diſcederent; quos nolentes obedire, ſicut debuit, excommunicavit: & excommunicationem parvipendentes, de terrâ & ejus terminis ſunt propulſi.* & [k] Wernerus, de ipſo Waldo ſive Waldenſi verba faciens: *Scribi* (inquit) *fecit aliquos libros Bibliorum in vulgari, cum nonnullis Sanctorum auctoritatibus; quas minùs ſanè intelligens, ſuo inflatus ſenſu, Apoſtolorum officium uſurpavit: prædicando ubiq; & ſuos ad prædicandum mittendo, errores plures ſeminavit. Moniti autem reſponderunt, Deo magis obediendum quàm hominibus, Prælatos & Clerum aſpernando. Tandem contumaces excommunicati ſunt, & expulſi à patriâ: & pòſt in Concilio hæretici denunciati*

[d] *Fr. Pegna, in 2. parte. Director. Inquiſit. comment. 39 a.*
[e] *Trithem. Chronic. Hirſaugienſ. ann.* 1160. *Vid. Hiſtor. Eccleſiaſt. Vignier. ad fin. an.* 1159.
[f] *Claud. Couſſord. refutat. Valdenſ. edit. Pariſ. an.* 1548. *fol.* 28. *b.*
[g] *Guido Carmelit. in Summâ de hæreſ. Valdenſ.*
[h] *Laziard. Epitom. Hiſtor. univerſ.*
[*] *At ille anno* 1181. *factus eſt Lugdunenſis archiepiſc. Vide Continuat. Chron. Sigebert. Rob. Montenſ. an.* 1181. *collat. cum Baleo, Centur.* 3. *Script. Britan. cap.* 12. *& Iacobi Severtij Chronolog. Lugdunenſ. Archiepiſ. pag.* 87.

[i] *Demochar. tom.* 2. *de Sacrific. miſſæ, cap.* 27. *fol.* 46. *b.* [k] *Werner. ubi ſuprà. item Magnum Chronicon Belgicum à Piſtorio edit. pag.* 199. 200. *Bern. Lutzenburg. & Gabr. Prateol. Catalog. hæret. in* Paup. de Lugdun.

ſunt

ſunt. Et factum eſt in grande malum & laqueum magnum ſimplicibus, & devotis perſonis ſcandalum immenſum. Et utinam hodie eſſet finis. Olim ſancta fides catholica per potentes Principes, per argutos philoſophos, per ſubtiles hæreticos, ac cæteros viros ſpectabiles impugnata fuerat: diebus autem iſtis per viliſſimos idiotas ac laicos pauperrimos extitit non modicè tribulata.

8 Nempe, *quæ ſtulta ſunt mundi* (ut inquit [l] Apoſtolus) *elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Ut quod de Fulcone presbytero, *ſimplice valdè & illiterato*, à [m] Iacobo de Vitriaco ſcriptum eſt, ad Petrum Waldium & ſocios ejus accommodare liceat. *Sicut piſcatores & idiotas elegit,* * *ut gloriam ſuam alteri non daret: ſic Dominus, eò quòd* " *parvuli petyſſent panem, literati autem circa diſputationes vanitatis & pugnas verborũ intenti, frangere non curabant,* hunc *tanquam ſtellam in medio nebulæ, & pluviam in medio ſiccitatis, velut alterum* * *Sangar, qui vomere rudis prædicationis multos interficeret, ad vineam ſuam excolendam miſericorditer elegit.* Nec Waldium tamen fuiſſe (ut quidam fingunt) prorſus literarum ignarum, ex ipſorum Adverſariorum confeſſione intelligimus; qui eum *tranſlatis ex Latino quibuſdam ſacræ ſcripturæ libris in ſermonem Gallicanum, officium ſibimet Apoſtolorum aſſumpſiſſe* aſſerunt. Sic enim de eo ſcribit [n] Trithenius: & ante eum (paulo* ſuperiùs à nobis citatus) frater Reinerius. *Cùm eſſet aliquantulum literatus, novi Teſtamenti textum docuit eos vulgariter.* indeq; in Catalogo teſtium veritatis Illyricus: *Progrediente paulatim tum beneficentiâ eius in egenos, tum ipſius ſtudio docendi, aliorumq́; diſcendi, iam etiam frequentior cœtus ad eum confluere cœpit: & ipſe eis non ſuas ali-*

[l] 1. Cor. 1. 27.

[m] *Iac. Vitriac. Hiſtor. lib. 2. cap. 6.*

* Eſai. 48. 11.

" Thren. 4. 4.

* Iudic. 3. 31.

[n] *Trithem. Chronic. Hirſaug. an.* 1160.

* *ſupr.* §. 4.

 quas

quas regulas, ſuiq́ capitis ſomnia dictare, ſed ſacras literas tum explicando declarare, tum in vulgarem Gallicam linguam transferre. Fuit enim homo doctus, ut ex vetuſtis membranis cognoſco: & non curavit ſibi ab alijs verti, ut quidam veritatis inimici mentiuntur.

9 De Waldij verò ſucceſſoribus ſubjungit ipſe [o] Wernerus: *Fuerunt nihilominus poſtea quidam ſubtiliſſimi hæretici, qui iſtam hæreſim Waldenſium defendere conabantur: & plura regna & populos deceperunt; cum quibus tandem miſerabiliter exterminati, perierunt.* Et Iacobus Rebirianus, Regis Galloru olim Secretarius, [p] in ſuis Collectaneis de urbe Toloſâ: *Valdenſes ſive Lugdunenſes diu primum locum tenuiſſe in Galliâ Narbonenſi, Albicenſi, Ruthenâ, Cadurcenſi, Agennenſiq́ diæceſibus, celebrior eſt fama; eoq́ tempore nullo aut parvo in pretio fuiſſe eos, qui Sacerdotes ſe, Epiſcopos & Miniſtros Eccleſiæ dici volebant. Indigni enim omnes, & rerum omnium ignari penè cùm eſſent, facile illis fuit, eruditione & doctrinâ præcellentiſſimis, primas in populo partes ſibi vendicare. Ex quibus cùm præ cæteris Valdenſes acutiùs de religione diſputarent, admittebantur ſæpe à Sacerdotibus publicè docendi cauſſâ; non quòd eorum ſententiæ ſibi probarentur, ſed quòd Valdenſibus ingenio pares non eſſent. Tanto verò in honore erat huiuſmodi hominum ſecta, ut & ab omnibus oneribus haberent immunitatem, & multo plura ex morientium teſtamentis conſequerentur quàm Sacerdotes. Hoſtis ſi fuiſſet hæretico viæ itineriſq́ comes, ab hoſte non lædebatur: ſalus omnis hominum in hæreticorum tutelâ eſſe videbatur. Publicus deniq́ locus his erat, in quem ſuæ duntaxat ſectæ homines mortui inferebantur.* Hæc ille.

[o] *Werner. Faſcic. temp. ætat. 6. Magnum Chronicon Belgicum à Piſtorio edit. pag. 200.*

[p] *Citat. in Catalog. teſt. veritat.*

10 Quemadmodum verò in primitivâ eccleſiâ [q] perſecutione ortâ poſt mortem Stephani, Hieroſolymitanæ

[q] Act. 8. 1. 4. & 11. 19.

lymitanæ Eccleſiæ diſperſio, aliarum multarum collectionis facta eſt occaſio: ita & hîc adverſariorum rabie ad ampliorem Euangelij ſui propagationem uſus eſt Deus. Qui enim Lugduni quieſcere non poterant, *Archiepiſcopum & Eccleſiam metuentes* ([r] Nicolai Eymerici verba recito) *inde fugerunt; atq; per partes Franciæ & Italiæ diſperſi, quamplures complices habuerunt, & uſq; hodie errores ſuos* (ita pronuntiat Pontificius Inquiſitor) *hinc inde ſeminaverunt.* Et alij quidem in Galliâ Narbonenſi (quæ regionem quam Galli vocant linguæ Occitanæ, Provinciam, Delphinatum & Sabaudiam complectitur) ſedes poſuerunt: in Alpes effuſi ſunt alij, atq; in regionē Pedemontanam & Lombardiam (quæ Gallia Citerior & Ciſalpina Romanis olim dicta) colonias deduxerunt. [ſ] *Petrus Valdus eorum anteſignanus patriâ relictâ in Belgium venit, atq; in Picardiâ, quam hodie vocant, multos ſectatores nactus, cùm inde in Germaniam tranſijſſet, per Vandalicas civitates diu diverſatus eſt, ac poſtremò in Boëmia conſedit; ubi etiam hodie ij, qui eam doctrinam amplectuntur, Picardi eâ de cauſſâ appellantur. Habuerat Valdus & ſocium Arnoldum, qui diverſo itinere in Occitaniam deſcendit, & Albij hæſit; unde Albigei, qui Toloſates, Rutenos, Cadurcos, Aginnates brevi tempore pervaſerunt.* Nec modò [t] *Galliam univerſam pervaſerunt, ſed etiam in Hiſpaniam intimam penetrârunt;* & [u] *in regnis Regis Aragonum* doctrinam ſuam diſſeminârunt. quanquam vir quidam *magni nominis* (ut notat [x] Iohannes Mariana) *eruditionis opinione clarus noſtrâ ætate,* Albigenſes non ex Galliâ in Hiſpaniam ſed *ex Hiſpaniâ in Galliam irrupiſſe confirmat.*

[r] *Eymeric. Direct. Inquiſ. part. 2. quæſt.* 14.

[ſ] *Iac. Aug. Thuan. Hiſtor. lib. 5. ad ann. Dom.* 1550. *Ioh. Maſſon. Præfat. in Alani opus contra Valdenſes.*

[t] *Io. Marian. Præfat. in Lucam Tudenſ.*

[u] *Fr. Pegna, in part. 2. Director. Inquiſit. comment.* 39. *pag.* 298.

[x] *Marian. vbi ſupra.*

11 Porrò Waldenſium doctrinam atque ſectam

fuiſſe *in Concilio generali Romæ condemnatam*, refert in Summâ de hæreſibus Guido Carmelita. Pleniùs verò ille, quem Raynerij nomine dedit nobis Claudius Couſſordus. *Valdenſes,* [y] inquit, *& ex ſuâ præſumptione, & Apoſtolici officij uſurpatione, ceciderunt primùm in inobedientiam, deinde in contumaciam, poſtea in excommunicationis ſententiam: demum ab illâ terrâ expulſi ad Concilium quod Romæ fuit, ante Lateranenſe vocati; pertinaces fuerunt & ſchiſmatici iudicati, ac poſtremò ut hæretici condemnati.* Similia habet [z] Iohannes de Oppido, Inquiſitor Tholoſanus. quæ ad Concilium Romanum anno 1179. ſub Alexandro III. celebratum refero: non ſolùm quia Waldenſes in eo damnatos affirmant Onuphrius, Genebrardus & Bellarminus; ſed etiam quia aliquid ibi adverſus eos actum, ex Gualtero Mapeo, qui interfuit, in libro [a] de *Nugis Curialium*, diſtinct. 1. cap. 31. colligitur. Cujus teſtimonium, quantumvis in Waldenſium vituperationem editum, à lectoris conſpectu ſubducere mihi religio eſt.

[y] *Couſſ rd, contr. Valdenſ. edit. Pariſ. ann. 1548. fol. 129.*

[z] *Magdeb rg. Centur. 12. cap. 9. col. 1336.*

[a] *Ms. in Bibliothecâ Bodleianâ.*

12 *Vidimus* (inquit ille) *in Concilio Romano ſub Alexandro Papâ* III. *celebrato Valdeſios, homines idiotas illiteratos (à primate ipſorum Valde dictos, qui fuerat civis Lugduni ſuper Rhodanum:) qui librum Domino Papæ præſentaverunt linguâ conſcriptum Gallicâ, in quo textus & gloſſa Pſalterij plurimorumq́ legis utriuſq́ librorum continebatur. Hi multâ petebant inſtantiâ, prædicationis authoritatem ſibi confirmari: quia periti ſibi videbantur, cùm vix eſſent ſcioli.--- Ego multorum millium qui vocati fuerunt minimus, deridebam eos, quòd ſuper eorum petitione tractatus fieret vel dubitatio: vocatuſq́ à quodam magno Pontifice, cui & ille maximus Papa confeſſionum curam injunxerat, conieci ſagittam ad ſignum. multiſq́ legis peritis & pruden-*

prudentibus aſcitis, deducti ſunt ad me duo Valdeſij, qui ſuâ videbantur in ſectâ præcipui, diſputaturi mecum de fide; non amore veritatis inquirendæ, ſed ut, me convicto, clauderetur os meum quaſi loquentis iniqua. Timidus fateor ſedi, ne (peccatis exigentibus) in Concilio tanto mihi gratia negaretur ſermonis. Iuſsit me Pontifex experiri adverſus eos, qui reſpondere parabam. Primò igitur propoſui leviſsima, quæ nemini licet ignorare; ſciens quòd aſino cardones edente, dignam habent labra lactucam. Creditis in Deum Patrem? reſponderunt; Credimus. Et in Filium? reſponderunt; Credimus. Et in Spiritum ſanctum? reſponderunt; Credimus. iteravi: In matrem Chriſti? & illi item; Credimus. & ab omnibus multiplici ſunt clamore deriſi.

13 Et hanc tamen vocem ita extra modum abſonam & abſurdam haudquaquam judicabunt noſtri temporis Pontificij; [b] qui ſuo modo in matrem Chriſti credi poſſe, & in Sanctos haberi debere fidẽ, non in ſubitâ aliquâ atq; improviſa oratione reſpondent, ſed ſumpto ſpatio in ſcriptis publicè editis paratiùs accuratiuſque defendunt. Pergit verò in inſtiſtitutâ de Valdeſijs ſive Waldenſibus narratione Mapeus: *confuſiq; receſſerunt, & meritò; quia à nullo regebantur, & rectores appetebant fieri Phaëtontis inſtar, qui nec nomina novit equorum. Hi certa nuſquam habent domicilia, bini & bini circumeunt, nudi pedes, laneis induti, nihil habentes, omnia ſibi communia tanquam Apoſtoli, nudi nudum Chriſtum ſequentes: humillimo nunc incipiunt modo, quia pedem inferre nequeunt; quos ſi admiſerimus, expellemur.* Hæc Waldenſium antagoniſta Mapeus: qui, utcunq; eorum ſimplicitatem deſpicatui ducat, formidinem tamen, quæ parti ſuæ à pauperibus & illiteratis iſtis impendebat, diſſimulare non potuit.

[b] *Vid. Bellarmin. de Sanct. Beatitud. lib. 1. cap. 20. & Anglo-Rhemenſ. annotat. in Rom. 10. 14. & epiſt. ad Philem. verſ. 5.*

14 *In Concilio Lateranenſi ſententiam excommunicationis latam eſſe* in Valdenſes, confirmat [c] Alanus. Et habetur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. habito, contra [d] *Albigenſes* Canon hiſce verbis editus. [e] *Sicut ait beatus Leo: Licèt Eccleſiaſtica diſciplina ſacerdotali contenta iudicio, cruentas non efficiat ultiones; Catholicorum tamen principum Conſtitutionibus adiuvatur, ut ſæpè quærant homines ſalutare remedium, dum corporale ſuper ſe metuunt evenire ſupplicium. Eapropter quia in Gaſconiâ, Albigeſio, & partibus Toloſanis, & aliys locis ita hæreticorum (quos aliy Catharos, aliy Patrinos, aliy Publicanos, aliy aliys nominibus vocant) invaluit damnata perverſitas, ut iam non in occulto, ſicut aliqui, nequitiam ſuam exerceant; ſed ſuum errorem publicè manifeſtent, & ad ſuum conſenſum ſimplices attrahant & infirmos. Eos, & defenſores eorum, & receptores, anathemati decernimus ſubiacere: & ſub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus vel in terrâ ſuâ tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint; nec ſub noſtrorum privilegiorum cuilibet indultorum obtentu, nec ſub aliâ quacunq; occaſione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Chriſtianos recipiant ſepulturam.* Hæc ſunt verba canonis: in quibus obſervare liceat, & quantum illa hominum multitudo invaluerit, & quàm varijs cognomentis notata vulgo fuerit. De priore, [f] Iacobus Gretſerus Ieſuita: *Vere* invaluiſſe *dicitur, quia vix aliqua regio ab hâc peſte immunis & intacta manſit; adeò ſeſe diffuderat, & cum plurimorum exitio in varias provincias infuderat, præcipuè in Inſubriam, ſeu Lombardiam.* De poſteriore Antonius Auguſtinus epiſcopus Ilerdenſis: *Credo* ([g] inquit) *Paterenos dictos, quòd Patrem tantùm colerent. Publicanos fortè, quòd euangelicum*

[c] *Alan. lib. 2. contr. Valdenſ. pag. 185.*
[d] *Mat. Pariſ. hiſtor. an. 1179.*
[e] *Tom. 4. Concil. general. edit Rom. pag. 33. Guilielm. Neubrig. hiſt. Ang. lib. 3. c. 3. pag. 266. edit. Pariſ. an. 1610. Rog. Hoveden. Annal. part. 2. fol. 334. edit. Lond. ann. 1596. Decretal. antiqu. collect. 1. lib. 5. tit. 6. cap. 6. Decretal. Gregor. IX. lib. 5. tit. 7. De hæret. cap. 8.*
[f] *Gretſer. Prolegom. in ſcript. edit. contr. Waldenſ. c. 1.*
[g] *Ant. Auguſtin. not. in 1. collect. antiqu. decretal. lib. 5. pag. 666. edit. Pariſ. 1609.*

uangelicum publicanum imitari ſe dicerent.

15 Verùm à loco *Patarinos* accepiſſe nomen affirmat Sigonius: eoſq; à Mediolanenſibus circa annum 1058. originem duxiſſe refert. Sic enim in 9°. libro de Regno Italiæ rem narrat. *Cùm multæ aliæ eccleſiæ nova de Simoniacorum atque Nicolaitarum* (ita tum appellabantur qui tenuerunt, Eccleſiæ miniſtros[h] *debere vel poſſe licenter uti coniugibus, quomodo & laicos) hæreſi decreta repudiârunt, tum maximè Mediolanenſis; ut quæ iampridem, Romanæ Eccleſiæ auctoritate relictâ, præceptis eius haudquaquam obtemperaret, & tamen, ſi qua alia tetro huiuſmodi veneno infecta eſſet. Hanc rem cùm per ſe grauem, tum Mediolanenſium Clericorum nomini turpem eſſe Arialdus ex Alciatâ, ut fertur, familiâ Clericus Decumanus ratus; Landulfo Cottæ populi præfecto auctor fuit, ut eam palàm oppugnandam aggrederetur. Id verò cùm facere ſecundis populi auribus animiſq; cæpiſſet; Vido archiepiſcopus contrariam partem ſuſcepit, favore maximè nobilitatis innixus. Itaq; res uſq; eò infamiæ mutuis altercationibus jurgijſq; deducta fuit, ut ſacerdotes, qui uxores haberent, præ pudore ſeparatim à ceteris rem divinam facere cogerentur in loco, qui Pataria dicitur. Vnde vulgò à pueris Patarini ad contumeliam dicebantur. Huic autem malo opportunum remedium Vido cupiens adhibere, conventum epiſcoporum ſuorum apud Fontanetum in agro Nouarienſi oppidum convocavit: atque ex eorum ſententiâ Clericis uxores habere licere, conſtituit.* Hactenus Sigonius. Et de tempore quidem ortus Paterinorum conſentit author Apologetici[i] *De Unitate Eccleſiæ* (Waltramus, ut creditur, Naumburgenſis epiſcopus) qui ſub finem illius ſeculi ſuis temporibus eos emerſiſſe ſcribit: ſed nominis rationem longè aliam in conſtitutione

[h] *Ex iuramento Clericorum Mediolanenſium, apud Baron. an. 1059. §. 58.*

[i] *Tom. I. hiſt. r. German. à Frehero edit. pag. 235. 30.*

tutione contra eos editâ aſſignat Fridericus II. Imperator. [k] *In exemplum* (inquit) *Martyrum,qui pro fide Catholicâ martyria ſubierunt, Patarenos ſe nominant, velut expoſitos paſſioni.*

16 In 5° libro Decretalium (cui iſta Lateranenſis Concilij ſanctio eſt inſerta) pro [l] *Catharis* quidam libri habent [m] *Cazaros*, alij [n] *Gazaros*. Ecbertus Schonaugienſis monachus, [o] qui anno 1163. cum Catharis diſputavit, in Flandriâ *Piphles* (unde fortè [*] *Popelicanorum* vel Publicanorum nomen derivatum) in Galliâ *Texerant* ab vſu texendi, appellatos ait, qui in Germaniâ nominabantur *Cathari*. Atq; etiam hodie [p] per Belgium, Germaniam & Septentrionales regiones, *hæreticus* vocatur *Ketter* & *Kazer* : cuius nominis originem à Germanico vocabulo, quod *diviſionem* ſignificet,repetit Ieſuita Serarius; alius eiuſdem ſocietatis, à *Cato* ſive fele mavult deducere. *Cur autem* (inquit) *maiores noſtri Germani hæreticis nomen à Cato indiderint,promptum erit intelligere ei, qui proprietates cati cum genio & indole hæreticorum conferre volet*. Ita Iacobus Gretſerus : cui comitem placet adjungere Alanum, in primo contra hæreticos libro Catharorum etymon hiſce verbis explicantem. *Tales dicuntur Catharri, id eſt, diffluentes per vitia, à Catha quod eſt fluxus : vel cathari quaſi caſti, quia ſe iuſtos & caſtos faciunt. Vel Catari dicuntur à Cato ; quia obſculantur poſteriora catti, in cuius ſpecie, ut dicunt, appareret eis Lucifer*. Magis verò ſobriè alij, *Catharorum* nomen eis inditum exiſtimant, vel quòd [q] *puros ſe & mundos* dixiſſe, vel

[k] *Petr. de Vineis, lib. 1. epiſt. 26. Liter. Pontific. pro officio Inquiſit. à Fr. Pegnâ edit. Rom an. 1585. pag. 36. & 58.*

[l] *Decretal. Gregor. IX. edit. Rom. item Lugdun. an. 1584. ſol. Eymeric. Direct. Inquiſit. part. 2. pag. 100. edit. Rom.*

[m] *Ant. Auguſtin. ubi ſupra pag. 666.*

[n] *Corp. Iur. Canonic. à Contio edit. Impreſſ. Pariſ. ann. 1587. pag. 684. Lugdun. an. 1591. col. 635. &c. Bern. Lutzenburg. catalog. hæretic. in* Gazaris.

[o] *Tom. 2. Auctar. Biblioth. Patr. edit.* Pa*riſ. an.* 1610. *col.* 831.

[*] *Vid.* §. 14. 17. 28. 37. 38.

[p] *Miræus in Chronic. Ord. Præmonſtrat. ann.* 1124. *Thuan. Hiſtor. lib. 5. an.* 1550 *Serarius, lib. 1. rer. Mogunt. cap. 6. Gretſer. cap. 2. Prolegomen. in ſcript. edit. contra Waldenſ. edit. Ingolſtad. an.* 1613. [q] *Guido Carm. lit. in Summâ de hæreſib.* Catharorũ. *Tritbem. Chronic. Hirſaugienſ. an.* 1163.

quod

quòd veterum [r] *Chathariſtarum* peſtilentiſſimas hæreſes ex inferis revocâſſe crederentur. Manichæi enim (ut docet [s] Auguſtinus) in tres ſunt diſtributæ ſectas: Cathariſtas, Mattarios, & Manichæos ſpecialiter dictos. Novos verò Catharos à Manichæis originem accepiſſe; & veterum Cathariſtarum *doctrinam & vitam* ſectatos eſſe, confirmat Ecbertus. Indeque [t] Nicolao Eymerico *Manichæi* ſunt; qui fratri Raynerio, Guidoni Perpiniano & alijs dicuntur *Cathari*: eademque adſcribuntur eis opinionum portenta, quæ antiquis illis Manichæis ab Auguſtino ſunt tributa.

17 Quæ ut pleniùs intelligantur, ſciendum eſt, colluviem Manichæorum, qui Pauliciani vulgò dicebantur, ex Oriente primùm in Thraciam tranſlatam eſſe. Conſtantinus enim Leonis Iſaurici F. anno imperij ſui 15°, (qui æræ Chriſtianæ 755us. fuit) Syros & Armenios è Theodoſiopoli & Mitilenâ eductos in Thraciam tranſtulerat: à quibus *Paulicianorum hæreſim dilatatam eſſe* confirmat Theophanes. quanquam hîc in Latinâ interpretatione Anaſtaſij Bibliothecarij, quæ Hiſtoriæ miſcellæ Landulphi Sagacis eſt inſerta, Publicanorum nomen (quod in citato Lateranenſis Concilij canone habetur) excuſum legitur. Deinde verò Theodorus Antiochenus Epiſcopus à Iohanne Tzimiſcâ Imperatore contendit, *ut Manichæos per totum Orientem ſerpentes, & contagione ſuæ impuræ religionis omnia corrumpentes, in Occidentem, in deſertam aliquam ſolitudinem deportaret*: quemadmodum in hiſtoriarum compendio ſcribit Georgius Cedrenus. Cuius poſtulatis ille obſecutus, [u] magnam nationis Manichæorum multitudinem in

[r] *Ecbert. adverſ. Catharos, ſerm. 1. Alphonſ. Caſtr. contr. hæreſ. lib. 4. tit.* Cibus. *fol. 65. a. & lib. 8. tit* Iurament. *fol. 152. a. Fr. Pegna in Director. Inquiſit. part. 2. comment. 38. a.*

[s] *Auguſtin. de hæreſib. cap. 46. ubi pro* Macarijs *legend.* Mattarij. *ita enim,* quia in mattis dormiebant, *appellatos conſtat ex eodem contr. Fauſt. Manich. lib. 5. cap. 5.*

[t] *Eymeric. Director. Inquiſit. part. 2. quæſt. 13.*

[u] *Zonaras: in* Ioanne Tzimiſcâ; *&* Alexio *Comneno.*

urbem Thraciæ Philippopolim tranſtulit: vbi etiam Alexium Comnenum (qui ſub finem undecimi & initium duodecimi ſeculi imperavit) cum eis diſputâſſe, multoſq; ab errore convertiſſe narrat Zonaras. Ex Thraciâ propagata eſt hæreſis in vicinam Bulgariam & Slavoniam: ubi etiam ad ſua uſq; tempora eam labem hæſiſſe, nec vllis vel Romanorum Pontificum *decretis*, vel Chriſtianorum *armis* deleri potuiſſe, in 16°. Europæ ſuæ capite confirmat Æneas Sylvius. Inde Catharos in Lombardiam perveniſſe: auctoſq; viribus creviſſe in immenſum, & partes Occitaniæ, Tholoſæ & Gaſconiæ occupâſſe, ex authore antiquo refert in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ diligentiſſimus ſcriptor [x] Nicolaus Viginerus.

[x] *Vignier. Hiſtor Eccleſiaſt. an.* 1023.

18 *Primis* verò *temporibus* (ut eſt apud authorem illum veterem) *quibus hæreſis Catharorum in Lombardiâ multiplicari cæpit, primum habuerunt Epiſcopum quendam Marcum nomine; ſub cujus regimine omnes Lombardi, & Tuſci & Marchiani regebantur. Iſte Marcus ordinem ſuum habebat de Bulgariâ. Veniens autem quidam Papa Nicetas nomine à Conſtantinopoli in Lombardiam, cæpit accuſare ordinem Bulgariæ quem Marcus habebat. Unde Marcus epiſcopus hæſitare incipiens, relicto ordine Bulgariæ, ſuſcepit ab illo Papâ Nicetâ ordinem Druguriæ cum ſuis complicibus, & tenuit per multos annos.* Huic in Epiſcopatu ſucceſſit quidam Iohannes Iudæus dictus: ſub quo, ex tranſmarinis partibus venit Petracus, qui rumoribus ſuis effecit ut Simon Epiſcopus, à quo Nicetas ordinem Druguriæ acceperat, malè apud omnes audiret. eâq; occaſione, Italiæ Cathari in duas partes diviſi ſunt: quarum altera Iohannem Iudæum Epiſcopum ſuum retinuit, altera Petro Florentino adhæſit. Ex his porro

porro aliæ diviſiones ortæ, proceſſu temporis in tres ſectas deſierunt; quarum unaquæq; ſuum ſeorſim habebat Epiſcopum. Prima ſuum ordinem è Bulgariâ, ſecunda è Druguriâ, tertia ex Slavoniâ accepit. Et quamvis ab his omnibus Manichæorum & Catharorum hæreſis defenſa credebatur: de principio tamen creationis univerſi, de veritate incarnationis, paſſionis & aſcenſionis Domini noſtri, & alijs fidei capitibus longè diverſa ſentiebant.

19 Addit author, quo tempore iſta ſunt ab eo ſcripta, Garatum quendam fuiſſe in Lombardiâ Epiſcopum ordinis Bulgariæ; filium eiuſdem Gerardum Brixiæ, & alium Corezij. Ex ordine Slavonico Caſcianum Epiſcopum Mantevilæ extitiſſe; filium ejus Aldericum Mediolani; & alium Othonem dictum Bagnoli. Ex ordine Druguriæ, Marchiſium apud Soranos, apud Vicentinos Nicolaum, & in alijs urbibus duorum iſtorum filios. Frater [y] Reinerius, XVI. Eccleſias Catharorum recenſet, quarum tres primæ ſunt, *Eccleſia Albanenſis vel de Senſano, Eccleſia de Concorezo, Eccleſia Bagnolenſium ſive de Bagnolo*; duæ poſtremæ, *Eccleſia Bulgariæ, & Eccleſia Dugranicia*. A duabus ultimis reliquas omnes originem habuiſſe ait: à primis tribus, [z] *Sectam Catharorum diviſam eſſe in tres partes, ſive ſectas principales; quarum primi vocantur Albanenſes, ſecundi Concorezenſes,* ([a] Guido Perpinianus *de Corerio*, [b] Antonius *Concordenſes*, [c] Iohannes de Turrecrematâ *Cozorenſes* appellat) *tertij Bagnolenſes* (quos Io. de Turrecrematâ *Baiolenſes*, Guido vocat *de Barulo.*) *Et hi omnes* ([d] inquit) *ſunt in Lombardiâ. Cæteri verò Cathari, ſive ſint in Tuſciâ, ſive in Marchiâ, vel in Provinciâ, non diſcrepant in opinionibus à dictis*

[y] *Reiner. de hæret. cap. 6. pag. 71. edit. Ingolstad.*

[z] *ibid. pag. 65.*

[a] *Guid. Summ. de hæreſib.*

[b] *Antonin. Summ. Theolog. part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.*

[c] *Turrecrem. Summ. de Eccleſ. lib. 4. part. 2. cap. 35.*

[d] *Reiner. pag. 65.*

dictis Catharis, *ſeu ab aliquibus eorum.* Nominatim verò, [e] *Catharos Eccleſiæ Tholoſanæ* errores *Albanenſium* tenere ſcribit. indeq; *Albigenſibus* in Galliâ Narbonenſi eædem ab [f] alijs adſcribuntur hæreſes, quæ ſectis illis *Catharorum* [g] *ſive Paterinorum.*

20 Et ſanè ut ex Bulgariâ in Italiam, ita [h] ex Italiâ inſanam Manichæorum hæreſim perductam ferunt in Galliam, mulieris cujuſdam operâ, quæ (ut inquit Glaber) *ſeducebat quoſcunq; volebat*, *non ſolùm idiotas & ſimplices, verumetiam pleroſq;, qui videbantur doctiores in clericorum ordine*. Aliquam quoq; inter Bulgaros & Albigenſes interceſſiſſe neceſſitudinem, ex eo colligitur; quòd Albigenſes, Papam in finibus Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ ſibi conſtituiſſe, ex epiſtolâ Conradi Portuenſis epiſcopi tradat in majore hiſtoriâ (ad annum Domini 1223.) Matthæus Pariſius: & Albigenſes Galliæ, in Roberti Altiſſiodorenſis & Guilielmi Nangiaci Chronologiâ (ad annum 1207.) appellentur *Bulgari.* Cumq; *Gazaros* ſive *Cazaros* [i] gentem Turcicam, [k] ex interiori profundo Berzitiæ profectam, in Bulgariam irrupiſſe, & omni perviæ terræ uſq; ad mare Ponticum dominatam eſſe doceat nos Theophanes: vero non abſimile videatur, nomen *Gazarorum* vel *Cazarorum* (cujus in ſuperioribus facta eſt mentio) eâdem ratione quâ *Bulgarorum*, fuiſſe Albigenſibus à ſcriptoribus attributum. Certè, ſi non à * *Catharis* deflexam dicamus eam appellationem; vel à *Cazeres*, [l] qui eſt locus non procul Toloſâ: inde deductam vero fuerit ſimilius, quàm à *Leone* III. Imperatore, [m] uti quidam putant, *Gazaro dicto, qui omnium maximè à Romanis Pontificibus ſacrilegiorum & pravæ doctrinæ inſimulatus eſt.* quòd ſcilicet,

[e] *id. pag.* 78.
[f] *Vid. Petri Sarnenſis Hiſtor. Albigenſ. cap.* 2. *Bern. Lutzenburg. & Prateol. Catalog. hæretic. in* Albanenſ. *Sander. viſib. monarch. lib.* 7. *pag.* 477. 479. 483. (*edit. an.* 1593.)
[g] *Joh. de Turrecremat. ubi ſuprà.*
[h] *Glab. Rodulph. Hiſtor. lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 32. *edit. Francofurt. an.* 1596 *collat. cum Aquitanicæ Hiſtoriæ fragmento, ibid. pag.* 82.
[i] *Theophan. ad an.* 16. *Heraclij. Hiſtor. miſcell. lib.* 18.
[k] *Idem, ad an.* 11. *Conſtantini Pogonati. Hiſtor. miſcell. lib.* 19.
* *ut ſupr.* §. 16.
[l] *Gretſer. cap.* 2. *Prolegomen. in ſcript. edit. cont. Waldenſ.*
[m] *Thuan. hiſtor. lib.* 5. *ann.* 1550.

licet, *Theodoto monacho ſuadente, ſimulacra & imagines omnes è templis ſuſtuliſſet, tanquam impietatis pabulum & ignaræ plebis decipulas, quæ ad Dei offenſionem pertinerent:* ut libro 5°. Hiſtoriarum ſui temporis, ad annum Domini 1550. refert D. Thuanus.

21 Emerſiſſe verò in Galliâ Manichæos, Roberti Francorum Regis & Benedicti VIII. temporibus, ex Aquitanicæ hiſtoriæ fragmento à P. Pithæo edito intelligimus. ſic enim author ille: [n] *E veſtigio* (inquit) *exorti ſunt per Aquitaniam Manichæi, ſeducentes promiſcuum populum à veritate ad errorem. Suadebant negare Baptiſmum, ſignum ſanctæ crucis, Eccleſiam, & ipſum Redemptorē ſeculi, honorem ſanctorum Dei, coniugia legitima, eſum carnium: unde & multos ſimplices averterunt à fide.* Et pòſt: *Eo tempore decem ex canonicis ſanctæ crucis Aurelianis probati ſunt eſſe Manichæi: quos Rex Robertus, cùm nollent ad catholicam converti fidem, igne cremari iuſſit. Simili modo apud Tholoſam inventi ſunt Manichæi: & ipſi igne cremati ſunt. Et per diverſas Occidentis partes Manichæi exorti, per latibula ſeſe occultare cœperunt, decipientes quoſcunq; poterant.* Aurelianenſes autem illos fuiſſe *ex melioribus ipſius civitatis clericis,* affirmat [o] Robertus Altiſſiodorenſis: eamq; ob rem *Concilio ibidem collecto, communi omnium iudicio decernente, præfatos hæreticos incendio fuiſſe concrematos.* Idipſum ampliùs confirmat, qui eo tempore claruit, [p] Iohannes Floriacenſis monachus, in epiſtolâ ad Olivam Auſonenſis eccleſiæ Abbatem. *Volo,* inquit, *vos interea ſcire de hæreſi quæ die ſanctorum Innocentium fuit in Aurelianenſi civitate. nam verum fuit, ſi aliquid audiſtis, fecit Rex Robertus vivos ardere de melioribus clericis, ſive de nobilioribus laicis, prope quatuordecim eiuſdem civitatis:*

[n] *pag.* 81. & 82. *edit. Francofurt.* 1596.

[o] *Altiſſiodorenſ. Chronolog. edit. Pariſ. ann.* 1609. *fol* 76. *a.*

[p] *Papir. Maſſon. Annal. Francor. lib.* 3. *in* Hugone & Roberto.

qui Deo odibiles, peroſiq́ cælo & terræ, abnegando abnegabant ſacri baptiſmi gratiam, dominici quoq́ corporis & ſanguinis conſecrationem; cum hoc poſt perpetrata ſcelera vitiorum, negabant poſſe recipi veniam peccatorum. Enimverò cum his aſſertionibus nuptijs detrahebant: à cibis etiam quos Deus creavit, & adipe tanquam ab immunditijs abſtinebant. Hiſtoriam latiùs proſequitur Glaber Rodulphus, lib°. 3°. cap^c. 8°. ubi duos hæreſiarchas fuiſſe notat, *qui in civitate putabantur genere ac ſcientiâ valentiores in clero,* Heribertum & Liſoium: tredecim verò igni tum traditos, deinde quotquot illius ſectæ reperiri poterant, *ſimili ultionis vindictâ ubiq́ fuiſſe perditos,* oſtendit. Floriacenſis hiſtoricus à Pithæo cum Glabro editus[q], Stephanum & Liſoium ſectæ principes nominat: eoſq; alios ſibi ſocios aſciviſſe narrat, *quorum alij erant Presbyteri, alij Levitæ, alij aliorum ordinum gradu ſublimati.* Stephanus quoq; hæreſiarcha nominatur[r] in antiquis tabulis apud D. Maximinum parochiæ Aurelianenſis: ubi tempus rei geſtæ hiſce verbis conſignatum extat. *Actum Aureliæ publicè anno Incarnationis Domini* 1022°. *regni Roberti Regis* 28°. *Indictione* 5^â. *quando Stephanus hæreſiarchus, & complices eius damnati ſunt & arſi Aurelianis.*

[q] edit. Francoſ. an. 1596. pag. 84.

[r] Papir. Maſſon. in loco citato.

22 In Germaniâ, anno 1052. Imperatorem Henricum, dum Goſlariæ natalem Domini celebraret, *quoſdam hæreticos, inter alia pravi erroris dogmata, Manichæâ ſectâ omnis eſum animalis execrantes, conſenſu cunctorum, ne hæretica ſcabies latiùs ſerpens plures inficeret, in patibulis ſuſpendi juſſiſſe,* in Chronico Hermanni Contracti legimus. Sub finem verò ejuſdem ſeculi, Agenneſes Manichæos[ſ] Radulphus Ardens ita inſectatur. *Tales ſunt hodie hæretici Manichæi, qui ſuâ hæreſi patriam*

[ſ] Rad. Ard. Homil. Dominic. 8. poſt Trinitat.

am Agennenſem maculaverunt; qui mentiuntur ſe vitam tenere Apoſtolorum. Dicentes ſe non mentiri, nec omnino jurare; ſub prætextu abſtinentiæ & continentiæ, eſcas carnium & nuptias damnantes. Dicunt enim tantum flagitium eſſe accedere ad uxorem, quantum ad matrem vel filiam. Damnant etiam vetus teſtamentum: de novo verò quædam recipiunt, quædam non. Et quod gravius eſt, duos prædicant rerum auctores: Deum inviſibilium, Diabolum viſibilium auctorem credentes. Unde & occultè adorant Diabolum, quem ſui corporis credunt creatorem. Sacramentum verò altaris purum panem eſſe dicunt. Baptiſmum negant: neminem poſſe ſalvari, niſi per ſuas manus prædicant. Reſurrectionem etiam corporum negant.

23 Subſequente ſeculo Bernardus [t] adverſus genus quoddam hominum *vile* (ut appellat) *& rusticanum, ac ſine literis, & prorſus imbelle*, longo ſermone declamat; qui cùm neminem ſectæ ſuæ auctorem dare poſſent, *iactabant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & Apoſtolicos nominabant. Rusticani*, inquit, *homines ſunt, & idiotæ, & prorſus contemptibiles: ſed non eſt (dico vobis) cum eis negligenter agendum. Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit.* & paulò pòſt: *Quære ab illis ſuæ ſectæ auctorem; neminem dabunt. Quæ hæreſis non ex hominibus habuit proprium hæreſiarcham? Manichæi Manem habuere principem & præceptorem, Sabelliani Sabellium, Ariani Arium, Eunomiani Eunomium, Neſtoriani Neſtorium. Ita omnes cæteræ hujuſmodi peſtes ſingulæ ſingulos magiſtros homines habuiſſe noſcuntur, à quibus originem ſimul duxere & nomen. Quo nomine iſtos titulòve cenſebis? Nullo, quoniam non eſt ab homine illorum hæreſis, neq; per hominem illam acceperunt (abſit tamen ut per revelationem Ieſu Chriſti) ſed magis &*

[t] Bernard. in Cantic. ſerm. 65 & 66.

1. Tim. 4. *abſq́ dubio (uti Spiritus ſanctus prædixit) per immiſſionem & fraudem dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentium nubere.* Dogmata verò eorum commemorat, partim cum Manichæis, partim cum Orthodoxis communia: quibus ſic illos imbutos fuiſſe narrat, ut *mori magis eligerent, quàm converti*; nec *modò patienter, ſed & læti, ut videbatur, ducerentur ad mortem.* Valde deniq; dolendum eſſe ait, *quòd non ſolùm laici principes, ſed & quidam, ut dicebatur, de clero, nec non de ordine Epiſcoporum, qui magis eos perſequi debuerant, propter quæſtum ſuſtineant, accipientes ab eis munera.*

24 Quis autem hoc tempore rerum in Provinciâ *vid. ſupr. §. 9. Narbonenſi fuerit ſtatus, * docet antiquus ſcriptor (Guilielmus de Podio Laurentij, ni fallor) qui Innocentij & Honorij III. ætate claruit, à Nicolao Bertrandio in *Geſtis Tholoſanorum* productus. *Hæretici,* inquit, *per villas & oppida habere ſibi hoſpitia, domos latiſſimas, agros & vineas inceperunt; hæreſesq́ publicè prædicare. Erantq́ quidam Arriani, quidam Manichæi, quidam etiam Waldenſes: qui licèt inter ſe diſſides, omnes tamen in animarum perniciem contra fidem Catholicam conſpirabant. Et illi quidem contra alios acutiſſimè diſputabant. Unde & vehemens in ipſorum odium alij admittebantur à ſacerdotibus idiotis. Propter quod terra tanquam reproba & maledictioni proxima, pauca producens propter ſpinas & tribulos, germinabat raptores Iſauros, fures, homicidas, adulteros, & uſurarios manifeſtos. Capellani autem tanto contemptui habebantur à laicis, quòd eorum nomen, ac ſi Iudæi eſſent, in juramentum à pluribus aſſumebatur. Unde ſicut vulgo dicitur, Mallem effici Turcus quàm hoc vel illud facere: ita quoq́ dicebatur, Mallem hoc vel illud eſſe quàm capellanus.*

capellanus. Clerici quoq; ſi prodirent in publicum, coronas modicas prope frontem pilis occipitis occultabant. Milites ergo rarò ſuos clericatui offerebant: ſed ad eccleſias, quarum tunc ipſi decimas percipiebant, hominum ſuorum filios præſentabant. His autem & illis hæreticis adhærebant: & hæretici in tantâ reverentiâ habebantur, quòd habebant cœmiteria, in quibus quos hæreticaverant publicè tumulabant; à quibus lectos integros & veſtes recipiebant. Quibus & largiùs quàm perſonis eccleſiaſticis legabatur: nec ad excubias, nec ad tallias cogebantur. Si quis etiam homo de guerrâ gradiens cum eis inveniretur, ab hoſtibus tutus erat.

25 Hîc verò revocandum eſt in memoriam, quod de veteribus hæreticis notavit [u] Auguſtinus: *multos maledicos in his inveniſſe materiam blaſphemandi Chriſtianum nomen: quia & ipſi quoquo modo Chriſtiani appellarentur.* Inde enim *accidit* (inquit [x] Euſebius) *ut nefaria quædam opinio de nobis concitata, eaq; ab omni ratione alieniſſima, per infidelium animos longè lateq; pervaderet: quòd videlicet tum nefando concubitu matres & ſorores violare, tum etiam ſcelerato quodam alimenti genere uti non vereremur. Et hâc de cauſſâ* (addit [y] Epiphanius) *plures ex gentibus, ubicunq; viderint tales, ne accedunt quidem nos ob communionem accipiendæ doctrinæ, aut audiendi verbi divini: & neq; aures admovent, improbis ſceleſtorum illorum factis conſternati.* Simili ratione & hiſce temporibus cùm Manichæi & Waldenſes ijſdem degerent in locis (à quibus etiam Albigenſium & Agenneniſum atque ejus generis alia cognomenta ſortiti ſunt utriq;) communiq; Hæreticorum & hoſtium Sedis Apoſtolicæ nomine à Pontificijs cenſerentur: partim quorundam inſcitiâ & incuriâ, partim aliorum fraude ac malitiâ eſt effectum, ut Waldenſes &

[u] *Auguſtin. de Civit. Dei, lib.* 18. *cap.* 51.

[x] *Euſeb. lib.* 4. *hiſtor. eccleſiaſt. cap.* 7.

[y] *Epiphan. hæreſ.* 27.

Vid. infr. cap. 10. §. 13.

Leoniſtæ (quos vocabant) ijſdem quibus Cathari & Manichæi, commaculati crederentur erroribus.

26 Ita Waldenſes, non minùs quàm Manichæos, totum vetus Teſtamentum repudiâſſe; ex Reinerij fide referunt [z] Claudius Couſſordus & [a] Iacobus Gretſerus. Et ſic quidem ſcribit Couſſordi Reynerius: *Vetus teſtamentum non habent, vel recipiunt, ſed Euangelia.* Verùm Gretſeri Reynerius, tantum abeſt ut quid dicat ejuſmodi, ut prodat potiùs planè contrarium; quum in 3°. capite hujuſmodi hæreſeos (quam ille vocat) cauſſam aſſignat: [b] *quia novum & VETUS Teſtamentum vulgariter tranſtulerunt, & ſic docent & diſcunt.* atq; ad ejus rei confirmationem ſubjungit; ſe *audiviſſe & vidiſſe quendam ruſticum idiotam, qui Iob recitaverit de verbo ad verbum.* In 6°. ſanè capite de *Catharorum* ſectis differens, Geleſmanſam (vel ut alij legunt codices, [c] *Belazmanſam*) Veronenſem, cum diſcipulis ſuis (in quorum numero Eccleſiæ Tholoſanæ ponit Catharos) circa annum Domini 1230. in hâc opinione fuiſſe ait: *quòd diabolus fuerit auctor totius veteris Teſtamenti, exceptis his libris; ſcilicet Iob, Pſalterio, libris Salomonis, Sapientiæ filij Sirach, Iſaiæ, Hieremiæ, Ezechiel, Daniel, & XII. Prophetarum; quorum quoſdam ſcriptos fuiſſe in cælo, illos ſcilicet, qui fuerunt ſcripti ante deſtructionem Hieruſalem.* Ioannem de Lugduno (ſive *de Lugio*) Bergomenſem, alterius partis ducem, *recepiſſe totam Bibliam; ſed putâſſe eam fuiſſe in alio mundo.* Concorezenſes & Bagnolenſes *reprobare totum vetus Teſtamentum, putantes, quòd Diabolus fuerit auctor ejus; exceptis his tantummodo verbis, quæ ſunt inducta in novo Teſtamento per Chriſtum & Apoſtolos.* Sed in capite præcedente, ubi de doctrinâ *Pauperum* de

[z] *Couſſord. Valdenſ. error. confutat. fol.* 78.

[a] *Gretſer. Prolegom. in ſcript. edit. contr. Waldenſ. cap.* 4. *pag.* 14.

[b] *pag.* 52.

[c] *Fr. Pegna in* 2. *part. Director. Inquiſit. comment.* 38. c. g. 1.

de Lugduno ſive *Leoniſtarũ* agit, expreſſè de eis ſcribit: [d] *Teſtamenti novi textum, & magnam partẽ* VETERIS *vulgariter ſciunt corde.* & in *explanatione errorum*, quam ediderunt [e] Illyricus & Freherus, Gretſerus verò in ſuâ editione prætermiſit, quia in *papyraceo* quo uſus eſt *Codice, admodum vitioſè exarato*, non invenit (an autem in Ms°. quod poſtea nactus eſt, Lambacenſis monaſterij exemplari, invenerit, adhuc reticet:) *Quicquid prædicator per novum &* VETUS *Teſtamentum non probabat; talem prædicationem mendacium eſſe dicunt.* Ut taceam quod de Petro Waldio retulit [f] D. Thuanus & [g] Iohannes Maſſonus; eum PROPHETARUM *atq́ Apoſtolorum ſcripta populari linguâ vertenda curaviſſe:* & quod de ſectatoribus ejus, coram Alexandro III. in Lateranenſi Concilio comparentibus, ex Gualtero Mapeo jam antè audivimus; librum eos *Papæ præſentaviſſe, linguâ conſcriptum Gallicâ, in quo textus & gloſſa Pſalterij plurimorumq́ legis* UTRIUSQUE *librorum continebantur.*

27 Waldenſibus præterea hanc ſententiam tribuit Claudij Couſſordi Rainerius. *Matrimonium*, inquiunt, *fornicatio eſt jurata, niſi continenter vivant: quaſlibet enim immunditias magis licitas habent quàm conjugalem copulam.* Et tamen à Iacobi Gretſeri Raynerio eo nomine ijdem accuſantur, quòd Romanam Eccleſiam errâſſe dicerent, [h] *matrimonium Clericis prohibendo, cùm etiam Orientales contrahant.* Illam verò erroris de interdicto animalium eſu ſuſpicionem, quâ ex Raynerio ſuo (*quibuſdam eorum* hoc affingente, quòd *bruta animalia, veluti piſces & hujuſmodi, occidenda eſſe* non putarent) eos [i] Couſſordus voluit aſpergere, ſatis eluit idem ipſe author, cùm de eis addit. [k] *In*

[d] *Reiner. contr. Waldenſ. cap. 5. pag. 58.*

[e] *Illyric. in Catalog. teſt. veritat. Freher. in Rer. Bohem. ſcript. pag. 226. lin. 39 40.*

[f] *Thuan. Hiſtor. lib. 5. ad ann. 1550.*

[g] *Ioh. Maſſon. Præfat. in opus Alani contra Valdenſes.*

[h] *Reiner. cap. 5. contr. Waldenſ. edit. Ingolſtad. pag. 58. Vid. infr. cap. 10. §. 5. 6. 7. 8.*

[i] *Couſſord. contr. Valdenſ. fol. 65.*

[k] *ibid. fol. 75. & 128.*

Quadrageſimâ & die jejuniorum Eccleſiæ non jejunant; ſed carnes comedunt, ubi audent. quod etiam confirmat Reinerius ab Illyrico & Frehero editus, his verbis [l]: *Jejunia Eccleſiæ nihil curant; nam in die paraſceues ipſi carnes comedunt occultè.* Item Alphonſus de Caſtro: [m] *Tempore Quadrageſimæ carnem & ova, & reliqua prohibita comedebant, dicentes nullum eſſe peccatum hoc facere: imò dicebant Eccleſiam non poſſe talem ciborum abſtinentiam præcipere; & in tali abſtinentiâ à carnibus dicebant nullum eſſe meritum.* Nicolaus Eymericus: [n] *Carnes omni die comedunt. — Die Lunæ & die Mercurij, etiam utendo carnibus,* jejunant. Poſtremò Guido Perpinianus [o] hunc 22[um]. Valdenſium errorem facit: *quòd comedere carnes in Quadrageſimâ & diebus* jejuniorum *non eſt peccatum; cùm eas comedere non prohibuerit Chriſtus.* ac deinde concludit. *Abjiciendi ergo & ſpernendi ſunt fatui Valdenſes qui à carnibus non abſtinent &* jeju*nant ut hypocritæ triſtes, non propter bonum obedientiæ, ſed ut appareant hominibus* jejunantes. non tamen, opinor, ob eam cauſſam pro Manichæis habendos quiſquam dixerit; niſi fortè ſic affectus, ut illæ olim apud Hieronymum, [p] quæ *ſi quam vidiſſent pallentem atq; triſtem, miſeram & Manichæam vocabant.*

28 Sic & *Apoſtolicis* [q] Bernardus Clarævallenſis, *Catharis* [r] Ecbertus Schonaugienſis, *Popelicanis* [ſ] Guilielmus Armoricanus, atq; *Albigenſibus* Rigordus Regis Francorum chronographus, hæreſim attribuit [t], *quam* " *Apoſtolus in epiſtolâ ad Timotheum prædixerat in fine ſeculorum futuram, deteſtantem nuptias, & carnem comedi prohibentem.* quod ut de Manichæis in terrâ Albigenſium commorantibus admitti poteſt, ita

de

[l] *Illyric. catalog. teſt. verit. Freher. Rer. Bohemic. ſcript. pag. 229. 30.*
[m] *Alphonſ. adverſ. hæreſ. lib. 4.* de Cibo, *hær. 2. Vid. Bernard. Lutzemburg. Catal. hæret. in* Inſabbatat. & *Prateol. in* Paup. Lugdun. *hæreſ. 4. & Sand. r. viſib. monarch. lib. 7. hæreſ. 150. pag.* 475.
[n] *Eymeric. Directer. Inquiſit. part. 3 §. 112.*
[o] *Guid. Summ. de hæreſ. Valdenſ. cap. 22.*
[p] *Hieron. epiſt. 22. ad Euſtochium.*
[q] *Bernard. in Cantic. ſerm. 66.*
[r] *Ecbert. adverſ. Catharos tom. 2. Auctar. Biblioth. Patr. edit. Pariſ. ann. 1610. col. 831.*
[ſ] *Guillerm. Armoric. Philippid. lib. 1. edit. Francofurt. an. 1596. pag. 235.*
[t] *Rigord. in geſtis Philippi. Aug. ibid. pag. 214. Vincent. Spec. Hiſtor. lib. 30. cap. 9.* " *1. Tim. 4. 3.*

de toto Albigenſium genere dictum falſiſſimum eſſe conſtat; ſive cum D. Thuano à *Petro Valdo*, ſive cum Papirio Maſſono à *Petro Bruſio*, eorum originem placeat repetere. [u] Thuanus, Albigenſes cum Valdenſibus eoſdem eſſe ſtatuens, hæc illorum recenſet dogmata. *Eccleſiam Romanam, quoniam veræ Chriſti fidei renunciaverit, Babylonicam meretricem eſſe; & arborem illam ſterilem, quam ipſe Chriſtus diris devovit, & revellendum eſſe præcepit: proinde minimè parendum eſſe Pontifici, & Epiſcopis, qui ejus errores fovent. Monaſticam vitam Eccleſiæ ſentinam ac Plutonium eſſe, vana illius vota, nec niſi fædis puerorum amoribus ſervientia: presbyterij ordines magnæ beſtiæ, quæ in Apocalypſi commemoratur, notas eſſe: ignem purgatorium, ſolemne ſacrum, templorum encænia, cultum ſanctorum, ac pro mortuis propitiatorium Satanæ commenta eſſe.* Tum addit, *his præcipuis ac certis eorum doctrinæ capitibus alia affiĉta de conjugio, reſurrectione, animæ ſtatu poſt mortem, & de cibis.* Petrum verò Bruſium docuiſſe, *Sacerdotes & Monachos potiùs debere* V X O R E S *ducere, quàm ſcortari*, affirmat [x] Coccius. & contra Petrobruſianos ſcribens [y] Petrus Cluniacenſis, Sacerdotes & monachos ab ijs compulſos ait uxores ducere. eoſdemq; narrat *magno de crucibus aggere inſtructo ignem immiſiſſe, pyram feciſſe,* C A R N E S *coxiſſe, & ipſo paſſionis Dominicæ die Paſchalem Dominicam præcedente, invitatis publicè ad eſum populis, comediſſe.*

[u] *Thuan. Hiſtor. lib 5. anno* 1550.

[x] *Cocc. Theſaur. Cathol. tom. 2. lib. 8. artic. 6.*

[y] *Petr. Cluniac. epiſt. 2.*

29 A Petro autem Bruſio & ejus ſucceſſore Henrico, qui (ut ex Petro Cluniacenſi intelligitur) in Septimaniâ primùm, in Arelatenſi, Ebredunenſi, Dienſi & Vapincenſi diœceſibus, deinde in Novempopulanâ ſeu Gaſconiâ, & partibus adjacentibus, per an-

nos viginti doctrinam ſuam diſſeminârunt; Albigenſium ſectam deducit [z] Papirius Maſſonus. Albericus monachus trium fontium (quantum ex concinnatore magni Chronici Belgici colligere poſſum; [a] in quo Henricus cum Euno Pſeudo-Chriſtoinſcitè confunditur) anno 1147. *hæreſim Popelicanorum Henrici apoſtatæ, in terrâ Albigenſium pullulâſſe* aſſerit. *Apoſtolicos* etiam, de quibus ſermone 66°. in Cantic. agit Bernardus, eoſdem eſſe opinatur Thomas Waldenſis [b] cum *Publicanis*; quorum nonnullos de provincijs Galliæ in Angliam venientes, juſſu regis Henrici II. clave candente in frontibus ſignatos eſſe notat. Extat hiſtoria apud Guilielmum Novoburgenſem, rerum Anglicarum lib°. 2°. cap^c. 13°. ubi de *Publicanorum* origine & incremento iſta refert. *Hi nimirum olim ex Gaſconiâ incerto auctore habentes originem, regionibus plurimis virus ſuæ perfidiæ infuderunt. Quippe in latiſſimis Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Germaniæq; provincijs tam multi hâc peſte infecti eſſe dicuntur; ut ſecundùm prophetam, multiplicati eſſe ſuper numerum arenæ videantur. Deniq; cùm à Præſulibus Eccleſiarum & Principibus provinciarum in eos remiſſiùs agitur, egrediuntur de caveis ſuis vulpes nequiſſimæ, & prætentâ ſpecie pietatis, ſeducendo ſimplices, vineam Domini Sabaoth tanto graviùs, quanto liberiùs demoliuntur. Cùm autem adverſus eos igne Dei fidelium zelus ſuccenditur, in ſuis foveis deliteſcunt, minuſq; ſunt noxij; ſed tamen occultum ſpargendo virus nocere non deſinunt. Homines ruſticani & idiotæ, atq; ideò ad rationem hebetes, peſte verò illâ ſemel hauſtâ ita imbuti, ut ad omnem rigeant diſciplinam: unde rariſſimè contingit eorum aliquem, cùm è ſuis latebris proditi extrahuntur, ad pietatem converti.* Hæc ille.

[z] *Maſſon. Annal. Franc. lib. 3. in* Philippo Aug.

[a] *Chronic. Belgic. à Piſtorio edit. pag. 162. collat. cum Gemblacenſi Auctario Sigeberti, à Miræo edit. pag. 205.*

[b] *Waldenſ. volum. 3. de Sacramentalib. tit. 12 cap. 108. collat. cum præfat. in 1. volum. ad Martin.* V.

30 Catharos

30 Catharos quoq; putat Sanderus [c] *Henricianorum portionẽ fuiſſe; ac forte eoſdem omnino cum Albigenſibus.* De eis ita ſcribit Ecbertus Schonaugienſis monachus; cujus ſermones adverſus Catharos 2°. tomo Auctarij Bibliothec. SS. Patrum ſunt inſerti. [d] *Ecce quidam latibuloſi homines perverſi & perverſores, qui per multa tempora latuerunt, & occulte fidem Christianam in multis ſtultæ ſimplicitatis hominibus corruperunt, ita per omnes terras multiplicati ſunt, ut grande periculum patiatur Eccleſia Dei à veneno peſſimo, quod undiq; adverſus eam effundunt.* Contra eoſdem ab Hildegarde ad canonicos majoris eccleſiæ Moguntinæ ſcriptam epiſtolam notat [e] Trithemius, cujus hoc initium: *Menſe Iulio præſentis anni, qui eſt milleſimus centeſimus ſexageſimus tertius Dominicæ incarnationis, &c.* Eodemq; [f] anno, ſecundo die menſis Auguſti, cum Catharorum ducibus, qui è Flandriæ partibus Coloniam venerant Arnoldo, Marſilio & Theoderico, publicam diſputationem inijt ille, cujus jam meminimus, Ecbertus monachus. Verùm quum ij nollent cedere: Arnoldus ſimul cum novem diſcipulis, (in quibus duæ erant fœminæ) nonis Auguſti, Coloniæ [g] juxta cœmiterium Iudæorum in ignem miſſus eſt: qui ſemiuſtis ſuorum capitibus manum imponens, ait; *Conſtantes eſtote in fide veſtrâ, quia hodie eritis cum Laurentio.* [h] Theodericus verò & ſocij ejus Bunnæ ſimiliter combuſti ſunt.

31 Eodem etiam anno 1163°. adverſus Albigenſes in Galliâ, ab Alexandro III. in Synodo Turonenſi editus eſt hic canon. [i] *In partibus Toloſæ damnanda hæreſis dudum emerſit, quæ more cancri paulatim ſe ad vicina loca tranſfundens, per Guaſconiam & alias provincias quamplu-*

[c] *Sandr. viſib. monarch. lib. 7. pag. 467. 469.*

[d] *edit. Pariſ. an. 1610. col. 831.*

[e] *Trithem. Chronic. Hirſaug. an. 1163.*

[f] *Id. ibid.*

[g] *Cæſarius Heiſterbach. lib. 5. cap. 19.*

[h] *Ecbert. adverſ. Catharos, ſerm. 8.*

[i] *Guilielm. Neuburgenſ. de reb. Angl. lib. 2. cap. 15. can. 6. Collect. 1. antiquit. Decretal. lib. 5 tit. 6. cap. 10. edit. Pariſ. an. 1609. pag. 125. 126.*

quamplurimos jam infecit; & dum in modum ſerpentis intra ſuas revolutiones abſconditur, quanto ſerpit occultiùs, tanto graviùs dominicam vineam in ſimplicibus demolitur. Unde contra eam Epiſcopos, & omnes Domini Sacerdotes in illis partibus commorantes vigilare præcipimus, & ſub interminatione anathematis prohibere; ne, ubi cogniti fuerint illius hæreſis ſectatores, receptaculum quiſquam eis in terrâ ſuâ præbere, aut præſidium impertiri præſumat: ſed nec in venditione aut emptione, aliqua cum eis communio habeatur; ut ſolatio ſaltem humanitatis amiſſo, ab errore viæ ſuæ reſipiſcere compellantur. Quiſquis autem contra hæc venire tentaverit; tanquam particeps iniquitatis eorum, anathemate feriatur. Illi verò ſi deprehenſi fuerint, per catholicos Principes cuſtodiæ mancipati, omnium bonorum amiſſione mulctentur. Et quoniam de diverſis partibus in unum latibulum crebrò conveniunt, & præter conſenſum erroris nullam cohabitandi cauſſam habentes, in uno domicilio commorantur: talia conventicula, & inveſtigentur attentiùs, & ſi inventa fuerint, canonicâ ſeveritate vetentur.

Apocal. 13. 17.

32 Ab eodem quoq; Pontifice Alexandro anno 1170. ad expugnandos Albigenſes miſſum eſſe quendam Cardinalem, ex vetere authore (Guilielmo de Podio Laurentij, ut videtur) à [k] Nicolao Bertrandio citato, intelligimus. Sic enim ille: *Anno Domini incarnationis 1170. Cardinalis quidam miſſus à Romano Pontifice obſedit* caſtrum Vauri, *& coëgit ſibi reddere hæreticos qui ibi erant: ex quibus duo præcipui ad fidem catholicam ſunt converſi; quorum unum qui vocabatur Bernardus in eccleſiâ cathedrali S. Stephani Tholoſæ, alterum in monaſterio S. Saturnini, ut eſſent canonici, collocavit. Meminiq; quòd cùm eſſem infans, illum qui fuerat canonicus in eccleſiâ cathedrali audiebam appellari Bernardũ Raymundi.*

[k] *Bertrand. de geſt. Tholoſanor. fol. 31.*

Anno

Anno etiam 1176. in *Oliverium* quendam, & ſocios ejus, qui *boni homines* dicebantur, in provinciâ Tholoſanâ coram Petro Narbonenſi archiepiſcopo, Girardo Albienſi, Gocelino Lodovenſi & alijs epiſcopis inquiſitionem factam narrat [l] Hovedenus, toto ferè populo *Albiæ* & *Lumberci* præſente.

33 Et Albigenſes quidem in *Perfectos ſive Bonos homines*, & *Credentes ſive Fideles* [m] Bernardus Girardus diſtribuit. Similiter & *Leoniſtas* & *Patrinos* [n] Reinerius in *imperfectos* & *perfectos* diſtinguit; quorum poſteriores in Lombardiâ *Conſolatos*, in Theutoniâ *Bonos homines* vocari aſſerit. quò pertinet illa de Guilhermo Albienſi epiſcopo affinem ſuum Guilhermũ de Berenx moribundum inviſente hiſtoria, ex authore illo antiquo eorum temporum æquali, à [o] Nicolao Bertrandio relata. *Interrogavit* affinem ſuum *epiſcopus, quid vellet fieri de ſeipſo? an in cænobio Galliaci, an Candelij, an in eccleſiâ Albienſi eligeret ſepeliri? Qui reſpondit: Non oportet epiſcopum curam habere ſuper his; cùm ipſe deliberâſſet quid eſſet facturus. Epiſcopus nihilominus inſiſtebat; quo trium iſtorum locorum eligeret ſepeliri. Ille tandem reſpondit, ſe velle ad Bonomios* (*ſive Bonoſios hoc eſt hæreticos*, inquit Bertrandus: cùm author ſine dubio eos qui inter Gallos *bon hommes*, id eſt, *boni homines* dicti erant, intellexerit) *deportari. Pontifice verò in contrarium aſſerente, quòd ſuper hoc licentiam non haberet: ille inquit. Non ad hoc laboretis: quoniam ſi ſecus non poſſem, ad eos reptando quadrupedaliter feſtinarem.* Item illa in Inquiſitione Moguntinâ Waldenſibus propoſita interrogatio: [p] *Quoties es tu confeſſus hæreſiarchis, id eſt, illis bonis hominibus, qui ad te venerunt occultè, dicentes ſe loco Apoſtolorum in mundo de loco ad locum*

[l] *Hoveden. part.* 2. *Annal. ad an.* 1176. *fol.* 317. *b. edit. Londin.*

[m] *Girard. Hiſtor. Franc. lib.* 10.

[n] *Reiner. contr. hæret. cap.* 5. *pag.* 60. & *cap.* 6. *pag* 61.

[o] *Bertrand. de geſt. Tholoſanor. fol.* 31.

[p] *inter Script. adverſ. Waldenſ. à Gretſero edit. pag.* 315.

cum ambulare, prædicare, & confeſſiones audire? Iſtos autem de quibus agit Hovedenus, *non fuiſſe alios, quàm Waldenſes, in comperto eſſe* affirmat [q] Iacobus Gretſerus: licèt ab adverſarijs Arianæ, vel potiùs Manichææ hæreſeos poſtulati fuerint. quorum accuſationibus ſequens ab iſtis oppoſita eſt confeſſio [r].

[q] Gretſer. Prolegom. in ſcript. edit. contr. Waldenſ. cap. 1.
[r] Hoveden. Annal. fol. 319. b.

34 *Nos credimus unum Deum, trinum & unum, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum: & filium Dei carnem noſtram ſuſcepiſſe, baptizatum eſſe in Iordane, jejunâſſe in deſerto, prædicâſſe ſalutem noſtram, paſſum, mortuum, atq; ſepultum, ad inferos deſcendiſſe, reſurrexiſſe tertiâ die, ad cælos aſcendiſſe, ſpiritum paracletum in die Pentecoſtes miſiſſe, venturum in die judicij ad judicandum vivos & mortuos, & omnes reſurrecturos. Cognoſcimus etiam quia quod corde credimus ore debemus confiteri. Credimus quia non ſalvatur qui non manducat corpus Chriſti: & quòd corpus Chriſti non conſecratur, niſi in Eccleſiâ & non niſi à ſacerdote, ſive bono ſive malo; nec meliùs fieri per bonum quàm per malum. Credimus etiam quòd non ſalvatur quis, niſi qui baptizatur; & parvulos ſalvari per baptiſma. Credimus etiam quòd vir & mulier ſalvantur, licèt carnaliter miſceantur; & pœnitentiam debeat unuſquiſq; accipere ore & corde, & à ſacerdote, & in eccleſijs baptizari: & ſi quid ampliùs poſſet eis oſtendi per Euangelia vel Epiſtolas, illi crederent & confiterentur.*

35 Poſt biennium, Petrus tit. S. Chryſogoni preſbyter Cardinalis, Rom. Pontificis legatus adverſus eos miſſus eſt: de cujus in eo negotio ſucceſſu ita ſcribit Robertus Montenſis, vel ejus potiùs * continuator, æqualis horum temporum, anno 1178. *Hæretici, quos Agennenſes vocant, & alij multi convenerunt circa Tholoſam, malè ſentientes de ſacramento altaris, & de con-*

* ſi quidem Robertus in anno 1157. deſijt: ut author eſt Matthæus Pariſius.

jugio & de aliis ſacramentis: ad quorum confutationem Petrus legatus Romanus & multæ aliæ religioſæ perſonæ cum prædictis regibus (Ludovico ſc. Franciæ, & Henrico Angliæ) *convenerunt; & parùm profecerunt.* quo tempore ab eodem legato in *Albienſem diæceſim* miſſi ſunt Reginaldus Bathonienſis epiſcopus & Henricus Claravallenſis abbas, *commonituri principem terræ, Rogerum videlicet de Beders, ut & Albienſem epiſcopum, quem ſub cuſtodiâ hæreticorum in vinculis tenebat, abſolveret; & univerſam terram ſuam, juxta præceptum domini legati, eliminatis hæreticis emundaret.* Sic enim refert in Declamatione ſuâ ipſe Henricus: [f] de legationis ſuæ exitu iſta deinde ſubijciens.

[f] *Rog. Hoveden. part. 2. Annal. ad ann.* 1178. *fol.* 331. *a.*

36 *Ingredientibus ergo nobis, unâ cum ſupradicto Bathonienſi Epiſcopo illam perditiſſimam regionem, quæ velut totius ſentina malitiæ totam in ſe colluvionem hæreſis illuc diffluentis excepit: prædictus Rogerus in ultimos & inacceſſibiles terræ ſuæ fines abſceſſit, tam malâ conſcientiâ profugus, quàm cauſſæ ſuæ merito deſperatus. oderat enim lucem veritatis autor malitiæ, nec ſuſtinere poterat noſtræ collocutionis acceſſum, qui totus receſſerat in opera tenebrarum. Pervenimus tamen ad quoddam munitiſſimum caſtrum ejus, quod propriè ac ſingulariter Caſtri nomine incolæ nuncupabant. Ibi habitabat uxor illius cum militiâ magnâ, & familiâ multâ nimis. Omnes ferè habitatores ejuſdem caſtri, vel hæretici vel hæreticorum complices erant: licèt ſolâ Domini virtute repreſſi nihil contra fidem, quam prædicabamus, præſumerent vel mutire. Quamvis enim eſſemus in manus eorum poſiti, & velut in eorum quaſdam potentiæ ſuæ compedes hæreticâ undiq; multitudine circumventi: verbum tamen Domini non erat alligatum, quin eos continuis invectionibus & increpationibus feriremus. Cumq; videremus*

remus quòd nihil omninò præſumerent reſpondere: judicavimus prædictum Rogerum proditorem, hæreticum, & de violatâ Epiſcopi ſecuritate perjurum; eum tanquam publicâ excommunicatione damnatum ex parte domini Papæ ac prædictorum regum in præſentiâ conjugis militumq́ ſuorum in nomine Chriſti confidenter diffidantes.

37 Hæc, de rebus anno 1178. à ſe geſtis, Henricus Claravallenſis abbas: qui ſequente anno in Lateranenſi Concilio (in quo quid adverſus Waldenſes
* ſupr. §. 11. 12. 14. & Albigenſes actum fuerit * ſuprà explicavimus) creatus Epiſcopus Cardinalis Albanenſis; anno
t Nangiac. Chron. Ms. in Bibliothecâ Regiâ. 1181. ut refert Guilielmus Nangiacus, t *à Papâ Alexandro miſſus fuit in Gaſconiam, ad delendam hæreticorum perfidiam altaris ſacramentum non credentium. Qui prædicationis verbo, nec non militum peditumq́ infinito exercitu, dictos hæreticos expugnavit.* Plenius rem narrat, qui tum vixit, Robertus Altiſſiodorenſis monachus,
u Altiſſiodorenſ. Chronolog. an. 1181. u his verbis. *Hæreſis illorum quos Puplicanos vel Catharos vel Paterinos populicanos vocant, quæ Chriſti abnegat ſacramenta, clàm quidem pluribus in locis irrepſerat, ſed palàm in Guaſconiâ maximè populos occupârat. Illic namq́ à catholicâ communione præciſi, caſtra habent quamplurima adverſus catholicos communita; catholico ritu poſthabito ſuis adinventionibus inſervientes, earumq́ virulentiâ quos potuerint toxicantes. Quocirca ad eorum retundendam veſaniam miſſus ab Alexandro Papâ vir linguæ diſertæ, Henricus ex Abbate Claravallis epiſcopus Albanenſis: qui prædicationis verbo militum peditumq́ copias undecunq́ contraxit, præfatoſq́ hæreticos expugnavit. verùm id fruſtrà. Nam ut ſui compotes facti ſunt, ſe in erroris priſtini volutabro revolverunt.*

38 Iiſdem quoq; temporibus *Publicanos combuſtos eſſe*

eſſe in pluribus locis per regnum Franciæ docent Guilielmus Armoricanus & Rogerus Hovedenus: quorum prior in 1°. Philippidos ſuæ libro ita canit,

Omnes qui fidei ſaperent contraria noſtræ,
Quos Popelicanos vulgari nomine dicunt;
De tenebris latebriſq; ſuis prodire coacti
Producebantur, ſeruatoq; ordine juris
Convincebantur, & mittebantur in ignem.

poſterior in [x] Annalibus ſuis etiam hoc addit, quòd Rex Anglorum Henricus II. *id nullo modo fieri permiſerit in terrâ ſuâ, licèt ibi eſſent perplurimi.* Multos item in Flandriâ, à Philippo Comite Flandrenſium (qui Publicanos, ut Radulphus Coggeſhallenſis monachus inquit, *juſtâ crudelitate immiſericorditer puniebat*) & Guilielmo Rhemenſi archiepiſco, Romanæ Eccleſiæ Cardinali atq; legato, anno 1183°. combuſtos eſſe, author eſt, in geſtis Philippi Aug. Francorum Regis, Rigordus; & poſt eum, in Speculo Hiſtoriali, lib. 29. cap. 26. Vincentius Bellouacenſis. quò ſpectant & illa Aquicinctini chronographi (æqualis horum temporum) in anni 1182. & 1183. hiſtoriâ. [y] *Quattuor hæretici in Atrebatenſi civitate deprehenſi, à Frumaldo ejuſdem civitatis Epiſcopo, in carcere ſunt recluſi. Quorum unus dicebatur Adam litteratus, alter Radulphus, eloquentiſſimus laicus: ſequentium nomina neſcimus. Horum judicium Epiſcopus jam paralyſi laborans Archiepiſcopo reſervavit. Tranſactis diebus nativitatis Dominicæ, Wilhelmus Remenſis archiepiſcopus, & Comes Flandriæ Philippus, in civitate Atrebatenſi, de ſecretis ſuis locuturi conveniunt. Ibi multarum hæreſium fraudes per quandam mulierem in terrâ Comitis ſunt detectæ. Iſti hæretici nullius hæreſiarchæ muniuntur præſidio: quidam dicunt illos*

[x] *Hoveden. ad finem anni 1182. fol. 352. b. edit. Londin.*

[y] *Auctar. Aquicinctin. Sigebert. à Miræo edit. pag. 236.*

Manichæos, alij Cataphrygas, nonnulli verò Arianos; Alexander autem Papa vocat eos Paterinos. Sed quicquid ſint, oris proprij confeſſione convicti ſunt hæretici immundiſſimi. Multi ſunt in præſentiâ Archiepiſcopi & Comitis accuſati; nobiles, ignobiles, clerici, milites, ruſtici, virgines, viduæ, uxoratæ. Tunc decretalis ſententia ab Archiepiſcopo & Comite præfixa eſt, ut deprehenſi incendio traderentur; ſubſtantiæ verò eorum Sacerdoti & Principi reſignarentur.

39 Acceſſit paulò pòſt *Decretum Lucij* III. *in generali Synodo* (ſic enim appellat vetus Pontificij Iuris interpres [z] Tancredus) eo tempore editum, quo [a] Veronæ cum Pontifice congreſſus eſt Fridericus I. Imperator. Ejus initium, ex [b] antiquâ Collectione Decretalium Bernardi Papienſis deſcriptum, ſubjicimus. *Ad abolendam diverſarum hæreſum pravitatem, quæ in pleriſq́ mundi partibus modernis cæpit temporibus pullulare, vigor debet eccleſiaſticus excitari; cui nimirum imperialis fortitudinis ſuffragante potentiâ, & hæreticorum protervitás in ipſis falſitatis ſuæ conatibus elidatur, & catholica ſimplicitas veritatis in Eccleſiâ ſanctâ reſplendens, eam ubiq́ demonſtret ab omni execratione falſorum dogmatum expiatam. Ideoq́ nos cariſſimi filij noſtri Federici Illuſtris Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti præſentiâ pariter & vigore ſuffulti, de communi conſilio fratrum noſtrorum, nec non aliorum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, multorumq́ Principum, qui de diverſis partibus imperij convenerunt; contra ipſos hæreticos, quibus diverſa vocabula diverſarum indidit profeſſio falſitatum, præſentis decreti generali ſanctione conſurgimus, & omnem hæreſim, quocunq́ nomine cenſeatur, per hujus conſtitutionis ſeriem, auctoritate Apoſtolicâ condemnamus. Inprimis Catharos, & Paterinos, & eos qui ſe Humiliatos vel Pauperes de Lugduno*

[z] *Tancr. in collect. 3. Decretal. c. 2. de reſtit. ſpol. citat. ab Ant. Auguſtin. in notis ad Collect. 1. Decretal. pag. 670. a. edit. Pariſ.*

[a] *Sigon. de regno Ital. lib. 15. an. 1184. Platina, in Lucio* III. *Alb. Crãtz. Saxon. lib. 6. cap. 47.*

[b] *Collect. 1. Decretal. lib. 5. tit. 6. de Hæretic. cap. 11. (pag. 126. edit. Pariſ.) Decretal. Gregorian. lib. 5. tit. 7. de Hæretic. cap. 9.*

Ad abolendã.

gduno falſo nomine mentiuntur, Paſſaginos, Ioſepinos, Arnaldiſtas, perpetuo decernimus anathemati ſubjacere. Et quoniam nonnulli ſub ſpecie pietatis virtutem ejus, juxta quod ait Apoſtolus, denegantes, auctoritatem ſibi vindicant prædicandi; cùm idem Apoſtolus dicat, Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? omnes, qui vel prohibiti, vel non miſſi, præter auctoritatem ab Apoſtolicâ ſede vel ab Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè vel privatè prædicare præſumpſerint; & univerſos, qui de ſacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel de baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, matrimonio, vel reliquis eccleſiaſticis ſacramentis aliter ſentire, aut docere non metuunt, quàm ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat: & generaliter quoſcunque eadem Romana Eccleſia, vel ſinguli Epiſcopi per diœceſes ſuas cum conſilio clericorum, vel clerici ipſi ſede vacante cum conſilio (ſi oportuerit) vicinorum Epiſcoporum, hæreticos judicaverint; vinculo perpetui anathematis innodamus. Receptores & defenſores eorum, cunctoſque pariter, qui prædictis hæreticis ad fovendam in eis hæreſis pravitatem patrocinium præſtiterint aliquod vel favorem; ſive Conſolati, ſive Credentes, ſive Perfecti, ſeu quibuſcunque ſuperſtitioſis nominibus nuncupentur; ſimili decernimus ſubjacere ſententiæ.

40 Quinam dicti fuerint *Conſolati*, qui *Perfecti*, ſic in 1°. libro contra hæreticos exponit [c] Alanus. *Diſtinguunt hæretici inter Conſolatos & Perfectos. Conſolatos vocant eos qui nuper ad hæreſim eorum venerunt, nec adhuc in ipſâ confirmati ſunt: qui potiùs deſolati quàm conſolati dici debent. Perfectos verò illos dicunt, qui ſunt in hæreſi confirmati: qui potiùs in defectu quàm perfectione conſiſtunt.* Cui addatur ex Concilio Narbonenſi, ſive Conſultatione trium Archiepiſcoporum, Narbonenſis,

[c] *Alan.* edit. *Pariſ.* an. 1612 pag. 110. *Vid. ſupr.* §. 2. 3. 33.

ſis, Arelatenſis & Aquenſis, de *Credentium* indicijs locus[d]. *Sanè inter culpas ex quibus Credentes poſſunt judicari, ne ulteriùs dubitetis, has eſſe firmiter arbitramur. Si reverentiam fecerunt hæreticis, ubi credentes, orationes ipſorum implorantes, & bonos homines profitentes, quaſi adorant illos. Si conſolationi eorum (ubi eum quem conſolantur in hæreticorum recipientes conſortium, per impoſitionem manuum ſe ſalvare proditionaliter mentiuntur:) aut ſervitio eorundem (ubi majore ipſorum librum tenente apertum, per ipſum quaſi ſub generali confeßione remißionem intelligunt fieri peccatorum:) aut Cænæ Valdenſium (ubi die Cænæ menſâ poſitâ, & pane ſuperpoſito, Valdenſis unus benedicens & frangens, danſq; aſtantibus, credit ſecundùm ſuam damnabilem ſectam conficere corpus Chriſti:) non cauſſâ prodendi vel reprehendendi eos, vel aliâ commendabili ſeu excuſabili, affuerunt, &c.*

[d] *Ioh. Calderin. tract. de Formâ procedendi contra inquiſitos de hæreſi. tit. De hæreticis, Credentib. &c. §. 8. (tom. 11. tractat. Doctor. part. 2. fol. 414. edit. Venet. an. 1584.) Fr. Pegna, in 2. part. Director. Inquiſitor. comment. 75. a.*

41 De Catharis & Patarenis, quorum in hâc Lucij III. Conſtitutione fit mentio, jam ſæpiùs dictum. atq; hoc tempore ex partibus potiſſimùm Italiæ *Patarenos* adverſus Romanam Eccleſiam inſurrexiſſe, apparet ex Ioachimi abbatis expoſitione in illud Ieremiæ 8. *A Dan auditus eſt fremitus equorum ejus*. Præcipuas verò ſedes habuerunt in Longobardiâ: quò, paulò pòſt à Clemente III. legatus miſſus Gregorius Galganus Cardinalis S. Mariæ in Porticu, *conſtitutiones aliquot contra hæreticos edidit*; ut in Vitis Rom. Pontiff. & Cardinalium refert [e] Alphonſus Ciaconius. *Arnoldum* Petri Valdi *ſocium, in Occitaniam deſcendiſſe, & Albij hæſiſſe*; eiq; *Ioſephum* quendam *ſucceßiſſe*: atq; ab ijs *Arnoldiſtas* & *Iuſepinos* fuiſſe dictos, affirmat D. [f] Thuanus. *Ioſepinos* tamen alterius fuiſſe ſectæ [g] Reinerius innuit, quum ſcribit, *Ioſepiſtas* contrahere matrimo-

[e] *edit. Rom. pag. 506.*

[f] *Thuan. Hiſtor. lib. 5. an. 1550. Io. Maſſon. præfat. in Alan. contr. Valdenſ.*

[g] *Reiner. contr. hæret. cap. 6. pag. 81.*

trimonium ſpirituale, & præter coitũ omnes delectationes exercere. Et fieri poteſt, ut *Arnaldiſtæ* etiam nomen acceperint, vel ab illo, de quo * ſuperiùs egimus, Arnoldo Coloniæ combuſto; quem *archicatharum* appellat ejus antagoniſta [h] Ecbertus: vel (ut [i] alij volunt) ab Arnaldo Brixiano Petri Abailardi diſcipulo, qui Romæ (ut in 2°. libro de geſtis Friderici I. Imp. cap. 20. author eſt Otto Friſingenſis) *reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem Senatoriam, reformandum equeſtrem ordinem docuit: Nihil in diſpoſitione Urbis ad Romanum ſpectare Pontificem; ſufficere ſibi eccleſiaſticum judicium debere.* de quo Guntherus poëta in 3°. Ligurini ſui libro:

42. ———*aſſumptâ ſapientis fronte, diſerto*
Fallebat ſermone rudes, clerumq́; procaci
Inſectans odio, monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices ipſumq́; gravi corrodere linguâ
Audebat Papam; ſcelerataq́; dogmata vulgo
Diffundens, varijs implebat vocibus aures.
Nil proprium cleri, fundos & prædia nullo
Iure ſequi monachos; nulli fiſcalia jura
Pontificum, nulli, curæ popularis honorem,
Abbatum, ſacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantùm
Committenda viris popularibus, atq́; regenda.
Illis primitias, & quæ devotio pl·bis
Offerat, & decimas, caſtos in corporis uſus,
Non ad luxuriam ſive oblectamina carnis
Concedens: molleſq́; cibos, cultuſq́; nitorem,
Illicitoſq́; jocos, laſcivaq́; gaudia cleri,
Pontificum faſtus, Abbatum deniq́; laxos

* *ſupr. §. 30.*
[h] *Ecbert. adverſ. Catharos, ſerm. 8.*
[i] *Dionyſ. Gothofred. in C. de Hæretic. l. Gazaros. Petrus Matthæus, in Bullar. edit. Lugdun. ann. 1588. pag. 2. Goldaſt. in notis ad tom. 1. Conſtitut. Imperial. pag. 78. Gre'ſer. Prolegom. in ſcript. edit. contr. Waldenſ. cap. 4.*

Damnabat penitùs mores, monachoſq́ ſuperbos.
Veraq́ multa quidem (niſi tempora noſtra fideles.
Reſpuerent monitus) falſis admixta monebat.

43 Extant in 4°. tomo Conciliorum generalium Romæ nuper edito[k], literæ Innocentij II. quibus Sanſoni Rhemenſi, & Henrico Senonenſi Archiepiſcopis, ac Bernardo Clarevallenſi Abbati mandat, ut *Petrum Abælardum & Arnaldum de Brixiâ perverſi dogmatis fabricatores, & catholicæ fidei impugnatores, in religioſis locis ſeparatim faciant includi, & libros eorum, ubicunq́ reperti fuerint, igne comburi.* Et Petrus quidem ſub Innocentio vitam naturæ reddidit; hoc poſteris commendatus Epitaphio:

[k] edit. an. 1612. pag. 23.

Petrus in hâc Petrâ latitat, quem Mundus Homerum
Clamabat, ſed jam Sidera ſidus habent.
Sol erat hic Gallis, ſed eum jam fata tulerunt:
Ergo caret regio Gallica Sole ſuo.
Ille ſciens quidquid fuit ulli ſcibile, vicit
Artifices, artes abſq́ docente docens.

Arnaldus verò Romæ, anno 1155.[l] *ſuſpendio neci traditus, & poſt mortem incendio crematus, atq́ in Tibrim fluvium projectus eſt*; ne videlicet Romanus populus, quem ſuâ doctrinâ illexerat, ſibi eum Martyrem dedicaret. *Quem ego vellem* (inquit ejus temporis ſcriptor Gerhohus Reicherſpergenſis) *pro tali doctrinâ ſuâ, quamvis pravâ, vel exilio, vel carcere, aut aliâ pœnâ, præter mortem punitum eſſe; vel ſaltem taliter occiſum, ut Romana Eccleſia, ſeu Curia, ejus necis quæſtione careret. Nam ſi, ut aiunt, abſq́ ipſorum ſcientiâ & conſenſu à Præfecto Urbis Romæ, de ſub eorum cuſtodiâ, in quâ tenebatur, ereptus, ac pro ſpeciali cauſſâ occiſus ab ejus ſervis eſt: (maximam ſiquidem cladem ex occaſione ejuſdem doctrinæ*

[l] Gerhohus, lib. 1. de Inveſtigatione Antichriſti, apud Gretſer. in Prolegom. ſcript. edit. contr. Waldenſ. cap. 4.

idem

idem Præfectus à Romanis civibus perpeſſus fuerat:) quare non ſaltem ab occiſi crematione ac ſubmerſione ejus occiſores metuerunt? quatenus à domo ſacerdotali, ſanguinis quæſtio remota eſſet: ſicut David quondam honeſtas Abner exequias providit, atq́ ante ipſas flevit; ut ſanguinem fraudulenter effuſum, à domo ac throno ſuo removeret. Sed de his ipſi viderint. Nihil enim ſuper his noſtrâ intereſt, niſi cupere matri noſtræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ id, quod bonum, juſtum & honeſtum eſt. Hæc de Arnaldi nece Gerhohus.

44 *Paſſaginorum* vel *Paſſageriorum* (nam & ita apud [m] Bernardum Lutzemburgium nominati leguntur) unde tracta fuerit appellatio, planè ignoro: niſi fortè ab itineribus, quæ *paßagia* vulgo dicebantur, ita nuncupati fuerint Waldenſes, qui ἀστατοῦντες * (ut ipſi olim Chriſti Apoſtoli) [n] *paßim exules ſine lare* [o] *per mundum diffugiebant.* Qui enim *Paſſaginos* hos appellat [p] Fridericus II. Imp. de *viarum paſſagijs* in aliâ [q] epiſtolâ facit mentionem: indeq; ad hodiernum uſque diem viator Italis *Paßaggiere*, Anglis *Paßenger* nuncupatur. De *Humiliatis* & *Pauperibus de Lugduno* à Lucio P. damnatis, ſic ad annum Domini 1212. ſcribit Abbas Urſpergenſis. *Olim duæ ſectæ in Italiâ exortæ, adhuc perdurant, quorum alij Humiliatos, alij Pauperes de Lugduno ſe nominabant. Quos Lucius Papa quondam inter hæreticos ſcribebat: eo quòd ſuperſtitioſa dogmata & obſervationes in eis reperirentur; in occultis quoq́ prædicationibus, quas faciebant plerunq́ in latibulis, Eccleſiæ Dei & ſacerdotio derogabatur.* & Paulus Æmilius, lib°. 6^c. de rebus geſtis Francor. *Lucius Pontifex Maximus utramque ſectam damnaverat:* (quod idem non à Lucio III. ſolùm, ſed etiam ab Urbano III. Clemente III. Celeſtino III.

[m] *Lutzemburg. Catal. hæret. in* Paſſager.

* incertis ſedibus errantes. 1. *Corinth.* 4. 11.

[n] *Thuan. Hiſtor. lib.* 5. *ann.* 1550.

[o] *Alan. lib.* 2. *contr. Valdenſ. pag.* 227.

[p] *Petr. de Vineis, lib.* 1. *epiſt.* 27.

[q] *Ibid. lib.* 2. *epiſt.* 23.

& Innocentio III. factum notat [r] Andreas Favinus:) *tolli tamen non poterant.*

45 Ordinis *Humiliatorum* initium à Mediolanenſibus quibuſdam anno 1017. ab Henrico Imp. exilio mulctatis repetunt [s] Antoninus & [t] Raph. Volaterranus. Sabellicus ad Friderici Barbaroſſæ refert tempora. *Multi* ([u] inquit) *mortales aut bello capti, aut quia fides eorum ſuſpecta eſſet, fuerunt ex Ciſalpinâ Galliâ in Germaniam traducti Federici Imperatoris ſævitiâ. nec enim ſemel ea terra Barbarubræ ductu eſt Suevis armis concuſſa. Hi longiorem moram pertæſi, aliquando albis veſtibus amicti viri fœminæque humiliter ad Federici pedes proſtrati jacuere, veniam implorantes. Horum lachrymis veſtituque motus Imperator, poteſtatem fecit omnibus in patriam abeundi. Qui poſtliminio reverſi ſunt, voto, ut credere par eſt, in eo habitu perſeverâſſe dicuntur, lanificio & orationibus dediti.* Humiliatorum verò nomen ex eo tuliſſe, *quòd ad Federici pedes quandoque humiliter proſtrati jacuiſſent,* arbitratur Sabellicus: [x] Jacobus de Vitriaco, *quòd in paupertate & aſperitate habitus & geſtus exterioris compoſitione & morum gravitate, & in omnibus verbis & operibus ſuis magnum oſtenderent humilitatis exemplum.*

46 Quæ ad *Pauperum de Lugduno* (qui & Leoniſtæ & Waldenſes & Inzabbatati dicti) ſpectant originem, antea pertractata ſunt. Hoc in loco illud tantùm reſtat adjiciendum: circa annum Salutis 1194. prodiiſſe adverſus eos *Alani* Theologi Pontificij ſcriptũ, & *Alphonſi* regis Aragonum edictum. Eo enim tempore floruit *Alanus* teſte [y] Ottone de S. Blaſio:) qui [z] *contra Albigenſes, Waldenſes, Iudæos & Sarracenos libellum edidit ſuccinctum ad Wilhelmum Montiſpeſſulani dominum;*

[r] Favin. Hiſtor. Navarr. lib. 5. an. 1234. pag. 290.

[s] Antonin. Hiſtor. part. 2. tit. 15. cap. 23.

[t] Volaterran. Anthropol. lib. 21.

[u] Sabellic. Ennead. 9. lib. 5.

[x] Vitriac. Hiſtor. Occidental. cap. 28.

[y] Append. ad Chronic. Otton. Friſing. cap. 40.

[z] Chronic. Belgic. pag. 200. edit. Francof. 1607.

dominum; & anno 1202. Ciſtercij mortuus eſt: quẽadmodũ ex magno Chronico Belgico, à Jo. Piſtorio edito, intelligimus. Duo priores hujus voluminis libelli, è Bibliothecâ Papirij Maſſoni, Pariſijs * nuper typis ſunt excuſi: unâ cum authoris ad *Willelmum Principem Montiſpeſſulani* Prologo; cujus hæc poſtrema ſunt verba. *Quia te, Princeps ſtrenuiſsime, ſpecialem fidei filium & defenſorem intueor; tibi hoc opus devoveo, & à te hujus operis examen expecto. Hoc autem opus duorum voluminũ diſtinctionibus ſeparatur: quorum primum contra hæreticos; ſecundum contra Valdenſes.* In primo libro nullos ſui temporis *hæreticos* ſpeciatim nominat, præterquam [a] *Catharos*: pro quibus Belgici Chronici concinnator reponit *Albigenſes*. Secundus liber contra *Valdenſes* eſt inſtitutus. Tertio poſtea & quarto adverſus *Iudæos* & *Sarracenos* adjecto libello, opus factum eſt *Quadripartitum*: quo nomine à Thomâ Waldenſi in 3°. [b] quod de Sacramentalib. inſcriptũ eſt, volumine citatum invenimus. Regis verò Alphonſi edictum, ut à [c] Franciſco Pegnâ & [d] Iohanne Marianâ eſt editum, hîc exhibemus: eoq; totam primæ hujus periodi hiſtoriam concludimus.

47 *Ildefonſus Dei gratiâ Rex Aragonum, Comes Barchinonæ, Marchio Provinciæ, Univerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris Eccleſiarum Regni Prælatis, Comitibus, Vicecomitibus, Militibus, & Univerſis populis in regno & in poteſtate ſuâ conſtitutis, Salutem, & integram Chriſtianæ religionis obſervantiam. Quoniam Deus populo ſuo nos præeſſe voluit, dignum eſt & juſtum, ut de ſalvatione & defenſione ejuſdem populi continuam pro viribus noſtris geramus ſolicitudinem. Quapropter præcedentium noſtrorum imitatores, & jure canonibus obtemperantes,*

* *an.* 1612. *è typographiâ Petri Chevalier.*

[a] *Alan. lib.* 1. *pag.* 146.

[b] *Waldenſ. Sacramental. tit.* 12. *cap.* 108. *collat. cum Alano, lib* 1. *pag.* 163. 164.

[c] *Fr. Pegna in Director. Inquiſitor. part.* 2. *comment.* 39.

[d] *Io. Marian. Præfat. in Lucam Tudenſ.*

perantes, qui hæreticos à conſpectu Dei, & catholicorum omnium abjectos, ubiq́ damnandos atq́ perſequendos cenſuerunt, Valdenſes *videlicet ſive* Inſabbatatos, *qui alio nomine ſe vocant* Pauperes de Lugduno, *& omnes alios hæreticos, quorum non eſt numerus, à ſanctâ Eccleſiâ anathematizatos, ab omni regno noſtro & poteſtativo, tanquam inimicos crucis Chriſti, Chriſtianæq́ religionis violatores, & noſtros & regni publicos hoſtes, exire ac fugere præcipimus. Si quis igitur ab hâc die & deinceps prædictos* Valdenſes & Inſabbatatos, *alioſve hæreticos, cujuſcunque fuerint profeſſionis, in domibus ſuis recipere, vel horum funeſtam prædicationem aliquo loco audire, vel his cibum, vel aliud aliquod beneficium largiri præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & noſtram ſe noverit incurriſſe, boniſq́ ſuis abſq́ appellationis remedio confiſcandis, ſe tanquam reum criminis læſæ maieſtatis puniendum. Et hoc noſtrum edictum, & perpetuam conſtitutionem per omnes civitates, caſtella, & villas regni noſtri, & dominationis, ac per omnes terras poteſtatis noſtræ Dominicis diebus recitari ab Epiſcopis, ceteriſque Eccleſiarum rectoribus, atq́ à Vicarijs, Balivis, Iuſtitijs, Merinis, & * Zenalmedinis, omnibuſque populis obſervari, & prædictam pænam tranſgreſſoribus inferendam, mandamus.*

* Al. Zafalmerinis.

48 *Notandum etiam, quia ſi qua perſona nobilis aut ignobilis aliquos ſæpe dictorum nefandorum, quibus jam per triduum edictum noſtrum innoteſcere conſtiterit, alicubi regionum noſtrarum invenerit, non prorſus aut citò tamen exeuntes, ſed potius contumaciter commorantes, aut deambulantes, omne malum, dedecus, & gravamen, quod his (præter ſolummodo læſionem mortis aut membrorum detruncatiouem) intulerit, gratum & acceptum erit in oculis noſtris, & nullam inde pænam pertimeſcat quoquo modo incurrere;*

currere; ſed potiùs gratiam noſtram ſe noverit promereri. Damus autem nefandis illis inducias (quamvis quodammodo præter debitum, & contra rationem fieri videatur) uſq; in craſtinum Sanctorum omnium, quo vel egreſsi fuerint de terrâ noſtrâ, vel egredi incæperint, deinde ſpoliandis, cædendis, ac fuſtigandis, & turpiter, & malè tractandis.

Signum ✻ Ildefonſi Regis Aragonum, Comitis Barchinonis, Marchionis Provinciæ. Signum ✻ Petri Regis Aragonum, & Comitis Barchinonis in originali hujus chartæ. & ſignum Domini Regimundi Archiepiſcopi Tarraconenſis, & domini G. Epiſcopi Tiraſſonenſis, & domini R. Epiſcopi Iaccenſis. & fuit facta charta illa apud Illerdam à Gulielmo de Baſsiâ regio Notario, Anno Domini MCXCIV.

Cap. IX.

De ſtatu rerum ab initio Pontificatus Innocentij III. uſq; ad initium Pontificatus Gregorij XI. hoc eſt, ab anno 1198. uſq; ad annum 1370. ubi de Iliade malorum ſub Innocentio in Eccleſiam invectâ: de delegatæ Inquiſitionis & Ordinum Mendicantium inſtitutione, atq; conatu ſubintroducendi novi Euangelij.

1 SEcundæ periodi initium ab Innocentij III. Pontificatu ducimus: qui, triginta annorũ juvenis, Cæleſtino tertio, VI. Id. Januar. an. Dom. 1198. ſubſtitutus eſt: *in die Cathedræ ſancti Petri* (ut inquit Matthæus Weſtmonaſterienſis) *Papa conſecratus, & in Petri cathedrâ collocatus, utinam Petri veſtigia ſecutus.* Extat ipſius Innocentij in *anniverſarium diem,* [a] *quo fuit hoc conjugium ſpirituale conſummatum,* Panegyricus. in quo verba illa Baptiſtæ ſibi proponens; [b] *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt; Amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi:* paranymphos ſuos ſic alloquitur. *An non ego ſponſus ſum, & quilibet veſtrum amicus ſponſi?*

[a] *Innocent. in conſecr. Pontif. ſerm. 3. pag. 193. edit. Colon. an. 1606.*

[b] Ioh. 3. 29.

Utiq;ue

Utique Sponſus: quia habeo nobilem, divitem, & ſublimem; decoram, caſtam, gratioſam, ſacroſanctam, Romanam Eccleſiam; quæ diſponente Deo, cunctorum fidelium mater eſt & magiſtra. Hæc eſt Sarâ maturior, Rebeccâ prudentior, Liâ fæcundior, Rachel gratior, Annâ devotior, Suſannâ caſtior, Iudith animoſior, Ediſſâ formoſior. Multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc autem ſola ſupergreſſa eſt univerſas. Cum hâc mihi ſacramentale conjugium, cum hâc mihi commercium nuptiale.

2 Tum, ne per has eum nuptias ab aliarum omnium Eccleſiarum commercio ſecluſum arbitrarentur; ſubdit illa * ἀλληγορούμενα. *Nonne legiſtis quòd Abraham Saram habebat uxorem, quæ tamen Agar famulam ſuam introduxit ad ipſum? nec commiſit propter hoc adulterium, ſed officium adimplevit. Sic & Romanus Pontifex ſponſam habet Romanam Eccleſiam; quæ tamen Eccleſias ſibi ſubjectas introducit ad ipſum, ut ab eo recipiant debitum providentiæ: quia quantò plus redditur, tantò magis debetur. Sed nunc fit in ſpiritu, quod tunc fiebat in carne: quia ſpiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.* Deinde ſuam & ſponſæ ſuæ amplitudinem ac magnificentiam glorioſè oſtentans. *Hæc*, inquit, *ſponſa non nupſit vacua, ſed dotem mihi tribuit abſq; pretio pretioſam; ſpiritualium videlicet plenitudinem & latitudinem temporalium. Nam cæteri vocati ſunt in partem ſolicitudinis, ſolus autem Petrus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis. In ſignum ſpiritualium contulit mihi mitram, in ſignum temporalium dedit mihi coronam; mitram pro ſacerdotio, coronam pro regno: illius me conſtituens vicarium, qui habet in veſtimento & in fæmore ſuo ſcriptum; Rex regum & dominus dominantium, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Hæc ille: Chriſti factus jam non

* per allegoriã dicta. Gal. 4. 24.

vicarius

vicarius modò, ſed etiam *rivalis*. Cui Getam monitorem adhibebimus, libelli [c] *De ſqualoribus Romanæ Curiæ* authorem. (ſive is Matthæus de Cracoviâ fuerit, Wormatienſis epiſcopus, ſive quis alius.) *Si contingit aliquando Papam per officium ſuum honorari vel laudari, dicitur pro laude ſuâ antonomaſticè (ſive ex adulatione, ſive ex donatione hominum, hoc fiat) quòd ſit ſponſus, dominus, & caput Eccleſiæ. Recogitet ergo, quòd hoc non poteſt eſſe propriè loquendo verum. Eccleſia enim non habet duo capita, nec duos ſponſos, ſed unicum; & hoc eſt Chriſtus, & non Vicarius ſuus (cùm hoc verè ſic dici non competit) quem Chriſtus conſtituit potiùs cuſtodem ſponſæ ſuæ, quàm ſponſum.*

[c] edit. Baſil. an. 1551. cum Petr. Aliac. pag. 102.

3 Alterâ die poſt conſecrationem Innocentij [d], *Petrum Urbis præfectum in conſiſtorio Lateranenſis palatij publicè juravisse ei, & ſucceſſoribus ſuis, atq; Romanæ Eccleſiæ fidelitatem contra omnem hominem; & recepiſſe ab eo inveſtituram præfecturæ per mantum, ac deinde feciſſe ei ligium hominium inter manus ipſius*, in Innocentij Regeſto legimus. Narrat tamen [e] Hovedenus, *ſtatim poſt conſecrationem illius, Præfectum & Senatores & Tribunos Urbis & cæteros Romanos exegiſſe ab eo reditus & conſuetudines, quas prædeceſſores ſui Romani Pontifices ijs impendere ſolebant. quibus ipſe* (inquit author) *reſpondit, ſe hoc nunquam facturum; quum ſi feciſſet, contra Deum & in præjudicium Romanæ Eccleſiæ faceret. Quod Romani audientes irruerunt in bona ipſius & diripuerunt ea: & ipſe excommunicavit eos.* Cumq; eo tempore in Germaniâ Philippum Ducem Sueviæ, poſt fratris Henrici obitum imperialia inſignia ſibi vendicâſſe inaudîſſet, dixiſſe fertur Innocentius [f]: quòd *ablaturus eſſet Philippo diadema regium, aut ipſe Papæ inſigne Apoſtolicum.*

[d] Epiſt. decretal. Innoc. III. lib. 1. pag. 13. edit. Colon. an. 1606. Sigon. de regno Italiæ, lib. 15. an. 1198.

[e] Hoveden. Annal. part. 2. fol. 442. b. edit. Londin.

[f] Conrad. Abb. Urſpergenſ. in Chronic. Ioh. Cuſpinian. in Philippo Cæſare.

atq; inde miræ in Romano Imperio turbæ ſunt exortæ: quarum occaſione factum eſt, *ut vix remanſerit aliquis epiſcopatus, ſive dignitas eccleſiaſtica, vel etiam parochialis eccleſia, quæ non fieret litigioſa; & Romam deduceretur ipſa cauſa, ſed non manu vacuâ.* quemadmodũ his ipſis verbis narrat, qui eo tẽpore Romæ fuit, Conradus Liechtenauius Urſpergenſis abbas: ſubjunctâ etiam hâc ad Romanam Curiam apoſtrophe. *Gaude mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum in terrâ, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorũ in magnâ copiâ. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominũ; quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi pretium. Iocundare ſuper adjutrice tuâ diſcordiâ; quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quod ſemper ſitiſti: decanta canticum; quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, Orbem viciſti. Ad te trahit homines, non ipſorum devotio, aut pura conſcientia; ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litium deciſio, pretio comparata.* Hæc ille.

4 Erat autem Papa Innocentius (ut refert [g] Matthæus Pariſius) *ſupra omnes mortales ambitioſus & ſuperbus, pecuniæq́; ſititor inſatiabilis, & ad omnia ſcelera pro præmijs datis vel promiſſis cereus & proclivus.* Sic verò dominationi Antichriſtianæ amplificandæ ſtuduit, ut ultimis etiam Iſlandis [h] ſuadere conatus ſit, Romanum epiſcopum *ita ſuas alijs vices diſtribuere, ut cæteris vocatis in partem ſolicitudinis,* ille *ſolus retineat plenitudinem poteſtatis: ut de ipſo poſt Deum, alij dicere poſſint; Et nos de plenitudine ipſius accepimus.* Eodem etiam procurante, [i] *primùm publicâ auctoritate facta collectio juris Pontificij eſt. Cui rei Petrus Beneventanus notarius præfectus eſt anno* XII. *ejuſd. Pontificis:* qui decretales Inno-

[g] *Mat. Pariſ. hiſtor. major. an. 1213. edit. Tigurin. pag. 235.*

[h] *Innoc. Epiſt. decr. lib. 1. pag. 195.*

[i] *Ant. Auguſtin. admonit. de 5. veterib. collect. Decretal. præfix. antiqu. Collect. edit. Pariſ. an. 1609.*

Innocentij epiſtolas [k] *in uno volumine compegit, diſtinguens eas ſub certis titulis, & librorum differentijs, ſecundùm convenientes ſententias.* eiq; operi interſeri fecit Innocentius epiſtolam ſuam *directam ad Bertholdum ducem Zaringiæ, in quâ contra Philippum* Cæſarem *multa abſurda, & quædam falſa deſcribuntur.* Acceſſerunt his poſt quinquennium & alia decreta, ab Innocentio in Synodo Lateranenſi edita: [l] quæ *in pleno Concilio recitata, alijs placabilia, alijs videbantur oneroſa.* Eorum primum eſt *De fide Catholicâ:* cui (ſerò admodum) adjectus eſt de *Tranſſubſtantione* articulus. Secundum *De errore abbatis Ioachim,* & Almarici dogmate. Tertium *De hæreticis:* cui illa intexta eſt ſanctio: [m] *Si dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſiâ, terram ſuam purgare neglexerit ab hæreticâ fœditate; per Metropolitanũ & cæteros comprovinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut extunc ipſe vaſallos ab ejus fidelitate denuntiet abſolutos, & terram exponat catholicis occupandam; qui eam exterminatis hæreticis ſine ullâ contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent: ſalvo jure domini principalis, dummodò ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat; eâdem nihilominus lege ſervatâ circa eos, qui non habent dominos principales.* & ſequens illa, de Indulgẽtijs, [n] quas adverſus Albigenſes ſeu Waldenſes dimicaturis Pontifex impertijt. *Catholici verò, qui crucis aſſumpto charactere ad hæreticorum exterminium ſe accinxerint, illâ gaudeant indulgentiâ, illoq́; ſancto privilegio ſint muniti, quod accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceditur.*

5 Iam enim *Cruciatas* expeditiones, adverſus Saracenos

[k] *Conrad. Abb. Urſpergenſ. in Chronic.*

[l] *Matth. Pariſ. hiſtor. major. an. 1215.*

[m] *Tom. 4. Concil. edit. Rom. an. 1612. pag. 44. 45. Decretal. antiqu. collect. 4b. li. 5. tit. 5. cap. 2. pag. 786. edit. Pariſ. Decretal. Gregor. IX. tit.* de Hæreticis, *cap. 13.* Excommunicamus. 1. *Confer Conſtitut. Frideric. II. Imp. in Authẽt.* Si verò dominus. C. de Hæret. & Manich. *& De ſtatut. & Conſuet. collat. 10. & Petr. de Vineis, lib. 1. epiſt. 27.*

[n] *Greiſer. Prolegom. in ſcript. edit. contr. Waldenſ. cap. 6.*

cenos inſtitutas, in Sedis ſuæ adverſarios Papa converterat. ad quam flammam ſuſcitandam Prædicatorum ſuorum uſus ille eſt operâ: qui ſumpto hujuſmodi themate; [o] *Quis conſurget mihi adverſus malignantes, aut quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem?* conciones ad populum habitas tali claudere conſueverunt epilogo. [p] *Ecce videtis, cariſſimi, quanta eſt malitia hæreticorum, videtis etiam quantum nocent in mundo: videtis iterùm quàm piè, & multis modis pijs laborat Eccleſia eos revocare; ſed apud tales nihil iſta poterunt proficere, imò per potentiam ſecularem ſe defendunt. Et ideò ſancta mater Eccleſia, licèt invita, & cum dolore, contra eos convocat exercitum Chriſtianum. Quicunq; igitur habet zelum fidei, quicunq; eſt quem tangit honor divinus, quicunq; eſt qui vult habere iſtam magnam indulgentiam, veniat, & accipiat ſignum Crucis, adjungat ſe militiæ crucifixi.* Neq; deſunt, [q] qui ſcribant ſub Lateranenſis Concilij tempora *Crucigerorum* ordinem, ob rem geſtam adverſus Albanenſium ſeu Albienſium ſectam Romæ tum invaleſcentem, ab Innocentio confirmatum: inter quos Antonius Sabellicus. *Sunt,* [r] inquit, *Crucigeri Lateranenſi conventu probati ſupremo Innocentij anno, qui ſalutis fuit duodecies centeſimus, ac quintus decimus. quum peſtilens eſſet Romæ hæreſis orta, magnuſq; ex eâ motus extitiſſet; multi qui tum fortè in Urbe erant, cruce ſignati, in Syriam, credo, ituri, aut certè inde reverſi, Innocentij hortatu peſtem illam in horas gliſcentem naviter extinxerunt. quidam Albienſem ab* [*] *authore, ut reor, eam nuncupârunt hæreſim. Placuit adeò factum, ut Pontifex Crucigerorum nomen propè ad interitum perductum, erexerit authoritate ſuâ, ornaritq; privilegio haud uno.* & Wernerus Laërius: [ſ] *Ordo Cruciferorum circa hæc tempora renovatus*

[o] Pſal. 93. (Hebr. 94.) verſ. 16.

[p] Umbert. Burgund. Serm. part. 2 ſerm. 64.

[q] Hartmann. Schedel Chronic. ætat. 6. Philip. Bergomenſ. Supplement. Chronic. lib. 13. ad ann. 1215. Polydor. Vergil. de Inventor. rer. lib. 7. cap. 3.

[r] Sabellic. Ennead. 9. lib. 6.

[*] à loco potius.

[ſ] Werner. Faſcic. temp. ætat. 6.

renovatus eſt per Innocentium tertium, anno Pontificatus ſui xviij. *jam devictâ hæreſi Albienſium per cruceſignatos.* Similem quoq; ordinem adverſus Albienſes in partibus Tholoſanis à Dominico inſtitutum, affirmat in *Delicijs equeſtrium ordinum* Franciſcus Mennenius. *Cùm partes* (inquit) *Toloſanæ & Lombardiæ plenæ eſſent hæreticis, Dominicus prædicans contra illos dicitur convertiſſe ex illis* 100000. *Et in adjutorium ſumpſit quaſdam devotas perſonas, quæ corporaliter illos hæreticos gladio materiali expugnarent, quos ipſe gladio verbi Dei amputare non poſſet; quibus & tradidit tertium modum vivendi ſpiritualem, ultra communem morem laicalem, & citra ſtatum completæ Religionis: & dicebantur tunc* Fratres de militiâ B. Dominici. *Extirpatis demùm hæreticis in partibus illis, cùm non oporteret ampliùs gladio pugnare, remanſerunt in illo modo partim religioſo cum uxoribus ſuis, quæ mortuis viris continenter vivebant: & alij utriuſq; ſexus, viduæ & virgines & conjugati illis adhæſerunt. Vocati ſunt poſtea* Fratres ſeu Sorores de Pœnitentiâ B. Dominici: *quorum regulam approbavit Innocentius* VI. *circa annum Chriſti* 1360.

6 Illud quoque obſervatione dignum, ab Innocentio III. *delegatæ Inquiſitionis officium* inſtitutum eſſe: ad Epiſcoporum ſc. [t] *nolentium alijs negotijs præferre fidei negotia*, ſupplendam negligentiam. Extant Innocentij ad Auxitanum archiepiſcopum, anno primo Pontificatus, Calendis Aprilib. datæ literæ: [u] in quibus, de *naviculæ Petri* adverſarijs conqueſtus, qui *in partibus Vaſconiæ, ac circumpoſitis terris fortiùs invaleſcebant* (quod illius *animum graviùs affligebat*) de remedio huic tanto incommodo adhibendo ita commonet. *Per tuam ac aliorum coëpiſcoporum tuorum induſtri-*

[t] *Nic. Eymeric. Director. Inquiſitor. part. 3. num. 129. (pag. 494 edit. Rom. 1585.)*

[u] *Epiſt. Decret. Innoc. lib. 1. pag. 49. edit. Colon. 1606. Bull. à Fr. Pegnâ edit. pag. 1.*

am huic morbo tanto efficaciùs volumus obviari, quanto magis eſt timendum, quòd pars ſincera trahatur; & ex tali contagione, quæ paulatim, velut cancer, irrepit, mentes fidelium inquinentur corruptelæ vitio generalis. Ideoq́ fraternitati tuæ præſenti paginâ indulgemus, per apoſtolica ſcripta firmiter injungentes, quatenus ad extirpandas hæreſes univerſas, & eos qui ſunt hâc fæce polluti, de provinciæ tuæ finibus excludendos, modis quibus poteris, operam tribuas efficacem: in ipſos, & omnes illos, qui cum eis aliquod commercium, aut manifeſtæ ſuſpicionis familiaritatem contraxerint, ſine appellationis obſtaculo eccleſiaſticæ diſtrictionis exercendo rigorem, & etiam (ſi neceſſe fuerit) per principes & populum eoſdem facias virtute materialis gladij coërceri. ubi ad marginem annotat [x] ſcholiaſtes Pontificius: *Hoc tempore nondum erant inquiſitores delegati conſtituti.*

[x] *Fr. Pegna: ubi ſupra.*

7 Eodem verò menſe Innocentius, alijs miſſis literis, [y] non ad Auxitanum ſolùm archiepiſcopum, ſed etiam ad Archiepiſcopos Aquenſem, Narbonenſem, Viennenſem, Arelatenſem, Ebredunenſem, Terraconenſem, Lugdunenſem, & eorum Suffraganeos; Rainerium quendam & Guidonem ſuos conſtituit *Commiſſarios*, ad capiendos eos qui Romanæ Eccleſiæ refugiebant magiſterium. *Inter quos in provinciâ veſtrâ* (ait ille ad archiepiſcopos) *quoſdam, qui Valdenſes, Cathari, & Paterini dicuntur, & alios quoſlibet quibuſcunq́ nominibus appellatos in tantum jam accepimus pullulâſſe, ut innumeros populos ſui erroris laqueis irretierint, & fermento corruperint falſitatis. Cùm igitur ad capiendas hujuſmodi vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini ſabaoth, ſpecies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipſum, ut virga Moyſi maleficorum phantaſmata devoret, dilectum*

[y] *Innoc. epiſt. decretal. lib. 1. pag. 56. 57. edit. Colon.*

filium

filium fratrem Rainerium, virum probatæ vitæ & converſationis honeſtæ, potentem divino munere in opere & ſermone, ac cum eo dilectum filium fratrem Guidonem, virum Deum timentem, & ſtudentem operibus charitatis, ad partes ipſas duxerimus deſtinandos: fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtrictè præcipimus, quatenus eos benigno recipientes & tractantes affectu, taliter eis contra hæreticos aßiſtatis, ut per ipſos ab errore viæ ſuæ revocentur ad Dominum: et ſi qui fortè converti non poterunt, ne pars ſincera trahatur, de veſtris finibus excludantur. Hæc ille, in literis *datis Romæ apud S. Petrum XI. Calend. Maij, Pontificatus anno I.* quibus & haſce alteras [z] *III. Idus Maij* adjunxit.

[z] *Ibid. pag. 98.*

8 *Cùm ad capiendas vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, ſpecies quidem habentes diverſas ſed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipſum, & hæreticos ab fidelium conſortio excludendos; dilectum filium fratrem Rainerium potentem divino munere in opere & ſermone, & cum eo dilectum filiū fratrem Guidonem virum Deum timentem, & vacantem operibus charitatis, ad partes veſtras duximus deſtinandos: univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remißionem injungimus peccatorū, quatenus eos benignè recipientes pariter & devotè, contra hæreticos ipſis potenter & viriliter aßiſtatis, eis conſilium & auxilium impendentes. Verùm quia frater Rainerius pro arduis eccleſiæ negotijs in Hiſpaniam de mandato præceßit Apoſtolico, volumus nihilominus, & mandamus, ut vos fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi, cùm à dicto fratre Guidone fueritis requiſiti, in hæreticos, quos ipſe vobis nominaverit, ſpiritualem gladium exeratis: laici verò bona eorum confiſcent, & eos eijciant de terrâ ſuâ, & eorum paleas ſeparent*

à frumento. Omnibus autem, qui pro conſervatione fidei Chriſtianæ in tanto diſcrimine, quod Eccleſiæ imminet, ipſis aſtiterint fideliter & devotè, illam peccatorum ſuorum concedimus indulgentiam, quam beati Petri vel Iacobi limina viſitantibus indulgemus. Datum Romæ &c.

9 Poſtea [a] *officium delegatæ inquiſitionis in provinciâ Provinciæ ſive in Galliâ Narbonenſi Dominico fuit commiſſum*; qui [b] decem ibi continuos annos in Albigenſibus oppugnandis laboravit. Unde de eo Nicolaus Bertrandius, in [c] geſtis Tholoſanorum: *Primò hoſpitatus eſt in domo cujuſdam nobilis viri, cujus erat domus inquiſitionis Tholoſæ prope caſtrum Narbonenſe. Quem hæreſi vulneratum inveniens ipſe pater Dominicus fidei Inquiſitor, ad viam veritatis reduxit: & ſe totum B. Dominico & ordini cum ſuâ domo dedit; quæ expoſt pertinet Inquiſitioni & Ordini B. Dominici, ſicut cernimus.* Cumq; hactenus [d] *nullus ordo certus* fuiſſet, *cui propoſitum foret inprimis hæreticos profligare: Dominicus adverſus hos Ordinem ſuum conſtituit; cui foret hæc præcipua cura, illos retundere & perdere.* in quibus etiam extinguendis *impetuoſiſſimum audaciſſimumq́* habitum eſſe eum Ordinem affirmat [e] Bergomenſis. *Ipſe autem Dominicus* (ut ex geſtis *ejus* referunt [f] Vincentius & Antoninus) *ex Hiſpaniæ villâ Calarogâ Oxomenſis diæceſis extitit oriundus: cujus mater, antequàm ipſum conciperet, vidit in ſomnis ſe geſtare catulum, accenſam ore faculam bajulantem, qui egreſſus ex utero totum mundum videbatur accendere.* Poſtea cum Fulcone archiepiſcopo Tholoſano([g] *Albigenſium acerrimo impugnatore*) Lateranenſis Concilij tẽpore *Innocentium III.* [h] *adijt, atq́ ordinem qui Prædicatorum dicere-*

[a] *Fr. Pegna, in 3. part. Director. Inquiſit. comment. 32.*

[b] *Vincent. Specul. Hiſtorial. lib. 29. cap. 105. Theodoric. Appold. in vitâ Dominici, lib. 1. cap. 9. (apud Surium tom. 4. Auguſt. 5.) Antonin. hiſt. 2. part. 3. tit. 19. cap. 1. §. 4. Garzon. in vitâ Dominici. (apud Lipoman. de Vit. Sanctor. part. 2.) Nicol. Bertrand. de geſtis Tholoſanor. fol. 29. 30.*

[c] *fol. 30. col. 1.*

[d] *Tho. Boz. de ſign. Eccleſ. lib. 9. cap. 5. Antonin. hiſt. part. 3. tit. 23. cap. 10. §. 4.*

[e] *Jac. Phil. Bergom. Supplẽ. Chronic. lib. 13. an. 1217.*

[f] *Vincent. Spec. hiſt. lib. 29 cap. 94. Antonin. Hiſtor. part. 3. tit. 23. cap. 4. Hertman. Schedel. ætat. 6.*

[g] *Papir. Maſſon. Annal. Frãc. lib. 3.*

[h] *Vincent. Spec. hiſt. lib. 30. cap. 65. Antonin. hiſtor. part. 3. tit. 23. cap. 4. §. 3. Theodoric. Appold. vit. Dominic. lib. 1. cap. 12. Nicol. Bertrand. de geſt. Tholoſanor. fol. 47. a.*

tur

tur & eſſet, confirmari ſibi ſuiſq; ſequacibus poſtulavit. Cùm autem ille *poſtulationi hujuſmodi viſus eſſet aliquantulum primitùs ſe difficilem exhibere:* quâdam nocte vidit in ſomnis, *Lateranenſem Eccleſiam, quaſi ſuis compagibus reſolutam, gravem ſubitò minari ruinam. Quod cùm tremens ſimul ac mærens aſpiceret*, vidit ex adverſo Dominicum accurrentem, *humeriſq; ſuppoſitis totam illam fabricam caſuram ſuſtentantem.*

——— [i] qui poſtquam ſomnia vidit
Admiranda, virum blandas admiſit in vlnas,
Et genus illius durare in ſecula iuſsit.
Viderat in ſomnis Laterani ingentia templi
Tecta ruinoſum caput inclinare, virumq;
Suppoſuiſſe humeros, & ſuſtinuiſſe ruinam.
Taliter admonitus paſtor, ſuccurrere feſsis
Poſſe hominem fidei rebus, regnoq; labanti:
Annuit, & ventis implevit vela ſecundis.

[i] *Bapt. Mantuan. Faſtor. lib.* 8.

10 Ita ſomnium hoc enarrat Baptiſta Mantuanus: quod à *Dominico* ad *Franciſcum* ſuum trahit [k] Bonaventura; quem etiam per *Angelum* illum in Apocalypſi [l], ſub ſexti ſigilli apertione, *aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi*, ſignificatum aſtruit [m] Doctor ille Seraphicus. Et ne quis de interpretationis certitudine dubitet, *ipſe Dominus Ieſus revelavit* eidem *Bonaventuræ, quòd beatus Ioannes non intellexit in prædictâ prophetiâ de alio quàm de S. Franciſco: & hoc affirmavit ipſe ſanctus Bonaventura legens Pariſijs, & juravit ſic eſſe veritatem.* Author eſt Bernardinus de Buſto, ſecundo tomo Roſarij, ſerm. 27. part. 2. ubi, [n] Bartholomæi Piſani inſiſtens veſtigijs, locum illum Apocalypſeos ſic exponit. Ab ortu Solis, *id eſt, de civitate Aſsiſij in oriente poſitâ*, aſcendit Angelus, *id eſt*,

[k] *Bonavent. in Vit. Franciſc. cap.* 3. *Vid. Hieronym. Plat. de bono ſtat. religioſ. lib.* 2. *cap.* 30.
[l] Apocal. 7. 2.
[m] *Bonav. in Prolog. Vit. Franciſc.*
[n] *Conformitat. Franciſc. lib.* 1. *fruct.* 2. *part.* 2.

Franciſcus, puritate & ſanctitate Angelis conſimilis, directus à Domino cum ſigno Dei vivi, *id eſt, cum ſtigmatibus Ieſu Chriſti.* ex quâ *ſtigmatizatione* (ſic enim loquitur) [o] Bernardinus Senenſis concludit, factum eſſe Franciſcum Cuſtodem ſigilli ſive *Cancellarium Ieſu Chriſti:* nec non *Legatum, & vexilliferum ſummi Regis.* quò refert & illum Gregorij IX. de laudibus Franciſci hymnum, à [p] Bartholomæo Piſano pleniùs propoſitũ:

[o] *Bernardin. Senenſ. tom. 2. De Euangel. ætern. ſerm. 60. artic. 2. cap. 3.*

[p] *Conformit. Franciſc. lib. 1. fruct. 2. part. 2.*

Caput draconis ultimum
Ultorem ferens gladium,
Adverſus Dei populum
Excitat bellum ſeptimum:
Contra cœlum erigitur,
Et nititur attrahere
Maximam partem ſiderum
Ad damnatorum numerum.
Verùm de Chriſti latere
Novus legatus mittitur:
In cujus ſacro corpore
Vexillum crucis cernitur.
Franciſcus princeps inclytus
Signum regale bajulat:
*Et celebrat * concilium*
Per cuncta mundi climata.
Contra draconis ſchiſmata,
Acies trinas ordinat
Expeditorum militum:
Ad fugandum exercitum,
Et tres catervas dæmonum,
Quas draco ſemper roborat.

* Convivium, *legitur in 2°. tomo Roſarij Bernardini de Buſto, ſerm. 27. pag. 691. edit. Colon. an. 1607.*

Deinde ad Franciſci ſtigmata, illud Apoſtoli teſtimonium, *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc*

hoc (2. Tim. 2. 19.) non minùs impiè quàm ridiculè detorquens Bernardinus; ſubdit. *Stetit ergo Franciſcus in bello tentationis in modum firmißimi fundamenti. Nónne ut renovatum fundamentum ædificium Eccleſiæ ſtabilivit? quemadmodum per viſionem Domini Innocentij comprobatur. Primum quippe fundamentum eſt ipſe Euangelicæ noſtræ religionis.*

11 Nec diſſimilem nobis gloſſam exhibet, in 11ᵘ. Zachariæ Thomas Cantipratanus, & in 20ᵘ. Apocalypſeos caput Nicolaus Lyranus. Alter [q] enim à Deo per Zachariam Prophetam Ordinem Prædicatorum *Decorem*, Minorum verò *Funiculum* vocatum aſſerit. quam expoſitionem ad Joachimum abbatem, *qui fuit ante inſtitutionem* Ordinum mendicantium, refert [r] Antoninus: additâ etiam ratione interpretationis ſanè egregiâ. *Decor eſt ordo Prædicatorum, per habitum decorum quaſi prælatorum. Funiculus dicitur ordo Minorum: quia funiculo manifeſto cinguntur.* Alter textum Apocalypſeos ſic exponit. Vidi Angelum, *id eſt, Innocentium Papam tertium*, deſcendentem de cœlo, *id eſt, de apice Pontificali condeſcendentem ſancto Franciſco & Dominico*, habentem clavem abyſſi, *id eſt, poteſtatem approbandi dictos ordines ad reprimendam poteſtatem Diaboli*, & catenam magnam in manu ſuâ, *id eſt, fratrū utriuſq; ordinis multiplicitatem.* At verò Theologos qui ipſius Innocentij temporibus floruerunt, eo regnante non ligatum ſed ſolutum Diabolum prædicâſſe: in anni 1201. hiſtoriâ confirmat, qui tum quoq; claruit, [ſ] Rogerus Hovedenus Anglus. *Doctores noſtri* (inquit) *prædicaverunt ſolutum eſſe draconem illum antiquum, qui eſt Diabolus & Sathanas: dicentes, Væ, væ, væ habitantibus in terrâ, quoniam ſolutus eſt antiquus draco, qui eſt Diabolus*

[q] *Cantiprat. lib. 2. cap. 10. §. 21.*

[r] *Antonin. hiſt. part. 3. tit. 23. cap. 1. §. 1.*

[ſ] *Hoveden. Annal. fol. 465. b.*

bolus & Sathanas. juxta illud beati *Iohannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui ſupra pectus Domini in cœnâ recubuit, & euangelij fluenta de ipſo ſacro dominici pectoris fonte potavit, dicentis : Ego* Iohannes *vidi Angelum deſcendentem de cælo,* &c. *Aſſerebant itaq; doctores noſtri illos mille annos jam eſſe conſumptos, & Diabolum ſolutum. Væ terræ & habitantibus in eâ : quia ſi Diabolus ligatus tot & tanta intulerit mala mundo, quot & quanta inferet ſolutus?* Quod autem aſſerit Lyranus, per *fratrum Minorum & Prædicatorum doctrinam & prædicationem Eccleſiam fuiſſe quodammodo renovatam, & poteſtatem Dæmonis reſtrictã:* id à Iohanne Wiccliffio in Tractatu, linguâ vernaculâ contra Fratrum ordines edito, refellitur : in quo oſtendit[t], corruptam ab iſtis doctrinam & diſciplinam antiquam, nova commenta introducta, hære in *accidentis ſine ſubjecto* propagatam, oppreſſos veritatis profeſſores. unde & *Angelos Satanæ* [u] eos appellat *transformatos in Angelos lucis,* & *immanes humani generis proditores,* [x] *irregulares impuri Spiritus Procuratores, Chriſtiani orbis incendiarios, pacis & charitatis inimicos;* ac [y] *Diaboli in animabus hominum ſtrangulandis ſingulares adminiſtros :* denique propoſitis [z] *quinquaginta* eorum *hæreſibus & erroribus* (tot enim illis infligit plagas) concludit, ab iſto fonte Reipublicæ Chriſtianæ *perturbationem atq; omnia hujus mundi mala* emanâſſe.

Apocal. 20. 1.2.3.

t Vid. Georg. Carleton. lib. de Iuriſdiction. cap. 7. num. 22.23.

u Tractat. Wiccliff. contr. ord. fratr. cap. 12.

x Cap. 24.

y Cap. 37.

z Cap. 50.

12 Idem quoque in[a] quarto Trialogi ſui libro adverſus Papales indulgentias diſputans, & Antichriſtianam quam ſibi Pontifex arrogat poteſtatem, dum *ſtatuit novas leges, & vult ſub pænâ graviſſimæ cenſuræ, quòd tota militans Eccleſia credat illis; ſic, quòd ſi quicquam in eis definierit, ſtabit ut Euangelium Ieſu Chriſti. In tales,* inquit, *infinitas blaſphemias involvitur infatuata Eccleſia,*

a Wiccliſ. Trialog. lib. 4. cap. 32.

Eccleſia, & ſpecialiter per caudam illius draconis, hoc eſt, ſectas Fratrum, quæ ad illuſionem iſtam, & alias ſeductiones Eccleſiæ Luciferinas deſerviunt. Sed eia milites Chriſti prudenter abijcite hæc opera atque ſicticias principis tenebrarum; & induimini dominum Ieſum Chriſtum, in armis ſuis fideliter confidentes; & excutite ab eccleſiâ tales verſutias Antichriſti. Deinde [b], *poſt ſolutionem Satanæ, & per ejus cautelam ſub figurâ ſanctitatis, iſtos hypocritas* inductos ſignificat: & de munere eorum addit. [c] *Quantū ad celebrationem certum eſt, quòd .. in radice ſunt hæretici, negantes panem eſſe corpus Chriſti, ſed quod accidens eis incognitum ab ipſis idololatricè conſecratur; tunc manifeſtum eſt quòd celebratio eorum eſt in peccatum, longè evidentius quàm ſacerdotium Baal, vel idololatrarum gentium peſſimorum. Et quantum ad prædicationem eorum; rei eventus oſtendit, quomodo reſultat in deteriorationem eccleſiæ. ut ſi curtantes fidem ſcripturæ, intendunt rhythmizationibus, adulationibus, detractionibus atque mendacijs; fide ſcripturæ dimiſſâ, & peccato durè reprobando dimiſſo: quis dubitat, quin eorum frivola ſermocinatio nocet Eccleſiæ? Et quantū ad eorū orationes hypocriticas, eadem eſt conſideratio.* poſteaque *de duodecim abuſionibus fratrum* pluribus diſſerit: quarum primam facit *fratrum blaſphemam hæreſim, quâ in ſacramento altaris ſophiſticant Eccleſiam. Et ſi Templarij* (inquit) *deſtructi fuerant, propter defectum fidei nobis incognitum: quanto magis iſti ordines propter hæreſim tantè notam? Mittunt enim ad tartarum magiſtro ſuo diabolo, multas vivas animas annuatim.* Aliam, *onerationem* dici poſſe ait, [d] *quâ contra Chriſtum & ſuum Apoſtolum, ſunt fidelibus oneroſi:* atque hoc gravamen ita explicat. *Certum eſt, quòd multa millia fratrum diſperſa in unâ parvâ provinciâ, ſunt illi provinciæ magis ſubdolè*

[b] *ibid. cap.* 33.

[c] *ibid. cap.* 34.

[d] *ibid. cap.* 35.

oneroſa, *quàm forent in caſu mille raptores qui illam provinciam publicè prædarent. Ut eſto quòd ſint in Angliâ quatuor millia fratrum; & quòd quilibet conſumat annuatim in perſonâ ſuâ de bonis regni centum ſolidos, & totidem in ædificationibus & in reparationibus & adornationibus domuum & clauſtrorum. Et tunc patet quòd illa ſecta expendit de bonis regni ſexaginta millia marcarum annuatim; non dubium quin ſolicitè, & cum multis mendacijs perpetrata* &c. *Quomodo ergo non forent tam pauperes, tenentes dominorum ſecularium, inſufficientes ad paratè dandum eis redditum ſicut priùs? cùm circiter tantum fratres de illis accipiunt annuatim. Et revera totus populus remurmuraret, etiamſi ad magnam relevationem vel defenſionem regni, etiam ex poteſtate regiâ ad tantam pecuniam ſit taxatus. Et mirabile videtur multis, quòd tot Antichriſti diſcipuli, tam ſubdolè in regno Angliæ ſubtrahunt tam ſubtiliter de bonis regni, & cum placentiâ populi tantum lucrum; & tamen Rex pro defenſione regni, vix tantam pecuniam in tanto tempore obtineret.* Ante ducentos tamen annos nullum ex Fratrum ordine in mundo extitiſſe, [c] alibi monet idem: & tot millium marcarum ſumptui parci potuiſſe, ſi officio (quo, ſub æternæ damnationis pœnâ, tenentur) fungerentur Paſtores ordinarij; quos iſti (inquit) libenter ſinunt *in peccato computreſcere*, & ab officio (quod per Dei legem ipſis eſt impoſitum) exequendo impediunt. Hi enim *ordines per Europam diffuſi, docendi munus in Eccleſiâ ſuſcepere: unde evenit, ut Epiſcopi & parœciarum rectores ſoliti ad id tempus ſacras conciones ad populum habere, deinceps in alto ferè otio vixerint*: quemadmodum in tertio libro Annalium obſervat Papirius Maſſonus.

[c] *Wiccliff. tractat. contr. ordin. fratr. cap.* 50.

13 Atque inde eſt quòd iſti fraterculi ſe ad ſupplendos

plendos omnium ordinum defectus introductos eſſe jactitant. *Equidem* (ait, ex Dominicanorum ordine, [f] Antoninus) *divina providentia, quæ perpetuâ mundũ ratione gubernans, minùs in neceſſariis deficiens quàm natura; ſed omnia ſuaviter diſponens, unicuiq́ opportuna tempore ſuo concedens; animadvertens Pontifices loca tenentes Apoſtolorum, Parochialeſq́ Sacerdotes ſucceſſores* LXXII. *diſcipulorum, quos ad prædicandum Dominus Ieſus Chriſtus eligens deſtinavit per orbem, ab officio prædicationis quaſi ceſſare, & multo magis ab hæreſum extirpatione, & in zelo animarum tepeſcere: Eccleſiæ ſuæ ſacroſanctæ affluenter providit, ſuſcitando tempore illo* (Innocentij III. ſcilicet) *Ordinem Mendicantium, qui his tam ſolerter, quàm ardenter inſiſterent. Hic autem ordo bifariam diſtinctus invenitur; in Prædicatores videlicet & Minores: quibus tamen adjuncti ſunt ex privilegio Eremitani & Carmelitæ. Hi utiq́ ſunt duæ Olivæ, pinguedine dilectionis & devotionis: & duo candelabra lucentia ante Dominum, orbem doctrinâ illuſtrantia. Hi duo Cherubin ſapientiâ plena, obumbrantia Propitiatorium: nec non & duo Seraphin charitate ardentia, clamantia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; implentes omnem terram gloriâ ejus, documentis & exemplis. Hi ſtatus mendicantiũ, utrumq́ ſtatum videntur comprehendere: Prælatorum Eccleſiæ, Epiſcoporum & aliorum, quo ad actum doctrinæ, & prædicationis, ſpectantis ad vitam Activam; & ſtatum Religioſorum, ſeu Monachorum, deſervientium Contemplativæ, quoad ceremonias regulares & officia.*

[f] *Antonin. hiſt. part. 3. tit. 23. cap. 1. prope initium.*

Apocal. 11. 4.

Exod. 37. 7. 9.

Eſai. 6. 2. 3.

14 Quibus verò artibus in utriuſque ſtatus poſſeſſiones conati ſunt iſti pedem ponere; ſic in Henrici III. Anglorum regis hiſtoriâ aperit [g] Matthæus Pariſius Albanenſis monachus: *Anno* 1235. *quidam de fratribus*

[g] *Mat. Pariſ. pag.* 404. 405. *edit. Tigurin.*

fratribus Minorum, nec non & aliqui de ordine Prædicatorum, impudenter nimis, ſuæ profeſsionis & ordinis immemores, in territoria aliquorum nobilium Cœnobiorum ſe clàm ingeſſerunt, ſub prætextu officij ſui adimplendi, & velut poſt craſtinam prædicationem receſſuri. Sed vel infirmitatem, vel quippiam aliud ſimulantes, manſerunt: & fabricato ex ligno altari, ſuperpoſitoq́ altariolo lapideo benedicto ſecum allato, Miſſas clandeſtinas demiſſâ voce celebrârunt, confeſsiones multorum receperunt etiam parochialium, in præjudicium Presbyterorum. Dicebant namq́ ſe talem à domino Papâ ſuſcepiſſe poteſtatem, ut eis ſcilicet fideles quæ ſuo erubeſcunt Sacerdoti confiteri, vel dedignantur, quia conſimili peccato conſtringuntur, vel timent, quia temulento, confiteantur: quibus injungant Minores pœnitentias, & abſolvant. Interim ad Romanam Curiam miſſo procuratore feſtino & diligenti, contra religioſos, in quorum degebant territorio, conceſſam impetrârunt cum aliquo adjuncto beneficio manſionem. Quòd ſi fortè adhuc eis ſatisfieri non videretur, in verba contumelioſa comminatoria proruperunt, ordinem alium quàm ſuum reprobantes, alioſq́ de numero fore damnandorum aſſerentes, nec parcere callo plantarum ſuarum, donec theſauros adverſariorum ſuorum licèt multos exhauſiſſent. Unde in multis cedebant eis religioſi, deferentes propter ſcandalum, & propter potentum offendiculum. Erant enim Magnatum conſiliatores & nuncij, etiam domini Papæ ſecretarij, nimis in hoc gratiam ſibi ſecularem comparantes. Aliqui tamen in Curiâ Romanâ contradictores invenientes, obvijs rationibus refrenati, confuſi receſſerunt. Dicente eis torvo vultu ſummo Pontifice: Quid eſt hoc, fratres? quò prorumpitis? Nónne profeſsi eſtis paupertatem ſpontaneam; ut diſcalceati & inglorij peragrantes vicos & caſtella; & loca remotiora, prout opus

exigit,

exigit, verbum Dei humiliter ſeminetis? præſumitis jam invitis dominis feudorum manſiones vobis uſurpare? Iam videtur in magnâ ſui parte religio veſtra expirare, & doctrina refutari. Hoc audito recedentes, modeſtiùs ſe habere cœperunt, qui priùs multiplicaverunt loqui ſublimia gloriantes, & infra ſepta alterius arbitrio alieno morari & detineri recuſantes.

15 Deinde, circa annum Domini 1246. (ut narrat [h] idem) Fratres Prædicatores, impetratis à Gregorio IX. & Innocentio IV. privilegijs *lætificati & magnificati, varios eccleſiarum Prælatos, Epiſcopos, Archidiaconos, in ſynodis ſuis præſidentes, (ubi multi & magni viri, videlicet Decani, Presbyteri, & Vicarij, nec non & eccleſiarum rectores, cum clericis convenerant) procaciter alloquentes, indulta ſibi privilegia in propatulo demonſtrârunt, erectâ cervice ea exigentes recitari, & in eorum eccleſijs veneranter recipi & commendari, & ad prædicandum populo, ſine aliquâ contradictione, vel in ſynodis, vel in eccleſijs parochianis, quaſi Legatos, vel etiam Dei Angelos admitti. & ſe ingerentes nimis impudenter, rogitabant ſingulos, etiam ſæpe viros religioſos; Es ne confeſſus? quibus ſi reſponſum fuiſſet; Etiam. A quo? A Sacerdote meo. Et quis ille idiota? nunquam Theologiam audivit, nunquam in Decretis vigilavit, nunquam unam quæſtionem didicit enodare. Cæci ſunt, & duces cæcorum. Ad nos accedite, qui novimus leprã à leprâ diſtinguere: quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei ſecreta patuerunt. Nobis confitemini imperterriti, quibus tanta, ut jam videtis, & auditis, concesſa eſt poteſtas. Multi igitur, præcipuè nobiles & nobilium uxores, ſpretis proprijs Sacerdotibus & Prælatis, ipſis Prædicatoribus confitebantur. Unde non mediocriter viluit ordinariorum dignitas & conditio: & de tanto ſui contemptu, non ſine ma-*

[h] *ibid. pag 673.*

gnâ confuſione, doluerunt, nec ſine evidenti cauſſâ. Atque eò ſpectat ſequens hæc Epiſtola, quâ [i] *Sacerdotium conqueritur de fratribus Prædicatoribus & Minoribus, eorumq́ faſtum reprimi petit.*

[i] *Petr. de Vin. lib. 1. epiſt. 27. collat. cum Mſſ.*

16 *Lachrymabili querimoniâ cogimur explicare normã enormem in noſtrum contemptum, & generale cleri ſcandalum introductam: per quam augeri robur fidei dum creditur, oritur error, & diſſenſionis materia propagatur. Nam fratres Prædicatores & Minores, qui poſt ſuarum religionum exordia, contra nos odio, & rancore concepto, vitam & converſationem noſtram reprobam prædicando multifariam depravârunt; * nos & jura noſtra minoraverunt in tantũ, quòd ſimus jam ad nihilum redacti. Et qui olim ratione officij dominabamur regibus, principes ligabamus, increpationes faciebamus in populis, nunc ſumus in opprobrium & deriſum; & celeberrima laus noſtra verſa eſt in fabulam omni carni. Tacemus autem, qualiter prædicti fratres, in alienam meſſem paulatim manum immittentes, clerum ſingulis dignitatibus ſupplantârunt; & ſibi pænitentias, & baptiſmata, & infirmantium unctiones, & cæmiteria uſurpantes, in ſe omnem vim & authoritatem clericalis miniſterij reſtrinxerunt. Nunc autem ut jura noſtra potentiùs enervarent, & à nobis devotionem præciderent ſingulorum, duas novas fraternitates creaverunt: ad quas ſic generaliter mares & fœminas receperunt, quòd vix unus vel una remanſit, cujus nomen in alterâ non ſit ſcriptum. Unde convenientibus ſingulis in Eccleſijs eorundem, noſtros parochianos, maximè diebus ſolennibus, habere non poſſumus ad divina: imò, quod deterius eſt, nefas credunt, ſi ab alijs quàm ab ipſis audiant verbum Dei. Propter quod factum eſt, ut debitis decimis & oblationibus privati vivere non poſſimus; niſi nos ad manuale opus, vel ad artes*

* Ms. & nos & vitam noſtrã.

mechanicas, ſive ad quæſtus illicitos convertamus.

17 *In nullo deinceps ordo noſter à laicis & ab eorum conditione diſcrepare videtur; imò noſter deterior eſt in multis: quoniam nec laici cum ſalute, nec clerici eſſe poſſumus cum honore. Quid ergo aliud ſupereſt, niſi ut Eccleſias noſtras, conditas ad Dei & ſanctorum ſuorum honorem, funditùs diruamus? in quibus nihil aliud cultus & ornatus remanſit, quàm tintinnabulum & vetus * imago fuligine ſuperinducta. Proh dolor! plura loca, quæ olim pro devotione fidelium multis ſignis & miraculis coruſcabant, privatarum perſonarum ſupellectilibus jacent plena; ſacrataq́ altaria multo hactenus ornatu compoſita, vix uno nudo linteamine, vel perforatâ ſyndone veſtiuntur: pavimenta etiam multo ſtudio dudum lota, herbarum odore & florum ſuavitate completa, nunc pulvericata ſordeſcunt. Ipſi verò Prædicatores & Minores, imò noſtri Prælati potiùs & Majores, qui à domiciliјs & tugurijs inceperunt, domos regias, & palatia ſubnixa altis columnis & officinis diſtincta varijs, erexerunt; quorum impenſæ deberent in uſus pauperum erogari. Et qui priùs, in naſcentis eorum religionis exordio, depoſito faſtu, calcare mundi gloriam videbantur, nunc faſtum reſumere, & amplecti videntur gloriam quam calcârunt; & ſub paſſivi literâ, activi retinendo naturam, ſibi legem uſurpant deponentis. Hi dum nihil habent, omnia poſſident; & carentes divitijs, cunctis fiunt divitibus ditiores: nos autem, qui aliquid habere dicimur, mendicamus. Supplicamus itaq́, Majeſtatis veſtræ pedibus obvoluti, quatenus ſuper hujus morbi degraſſantis magnitudine providentes, medicinæ celeris remedio ſuccurratis: ne inter nos & Fratres jam dictos torrente odij ſucreſcente, fides inde patiatur naufragium, unde ſuſcipere creditur incrementum.*

* Ms. ſynagoga.

18 Extant hæ literæ, inter Epiſtolas Petri de Vineis, tanquam ad Fridericum II. Imperatorem datæ. Verùm duo earundem in Hiberniâ nactus ſum manuſcripta exemplaria: quarum alterum hanc præferebat inſcriptionem, *Litera Epiſcopi Ambianenſis contra Fratres*; alterum hanc, *Litera Prælatorum adverſantium in generali Concilio*: utrumq; ad finem epiſtolæ, non *Majeſtatis*, ſed, *Paternitatis veſtræ pedibus obvoluti*, exhibebat. quaſi ea non ad Imperatorem ſed ad Pontificem vel Cardinales fuiſſet ſcripta. Ambianenſis autem Epiſcopus, ille ipſe fuiſſe videtur, qui in Synodo Pariſijs contra fratres mendicantes à Gallicanæ Eccleſiæ præſulibus habitâ (cui quatuor Archiepiſcopi interfuerunt, viginti Epiſcopi, & tota Pariſienſis univerſitas) *oſtendit per multas authoritates Theologiæ, Canonum & legum, & evidentibus factis, Fratres non habere veritatem vitæ, quia de hypocriſi ipſi arguantur manifeſte; nec veritatem doctrinæ, quia corde fel gererent & ore dulcia prædicarent; nec veritatem juſtitiæ, quia aliorum ſibi officia uſurparent.* quemadmodum refert, qui conventui præſens videtur adfuiſſe, Godefridus de Fontanis.

Illyric. Catalog. teſt. veritat.

19 Quænam verò inter Fratres & Academicos Pariſienſes certamina interceſſerint, ampliùs exponit Matthæus Pariſius[k]. Anno 1253. *orta eſt diſcordia magna inter univerſitatem Pariſiacam ſcholarium & fratres Prædicatores, qui in tantum jam multiplicati ſunt & exaltati, Regum facti confeſſores & conſiliatores, ut veteribus & approbatis conſuetudinibus & juribus ſcholarium renuiſſent ſubjacere. Congregati igitur Scholares, collectam fecerunt, & contribuerunt, ſcilicet quilibet ſecundùm poſſe ſuum. Et cujuſlibet communio hebdomalis abbreviata eſt,*

[k] *Mat. Pariſ. in Henr.* III. *pag.* 851.

ut

ut inde Romanæ Curiæ pro parte Cleri ſatisfieret: unde cornua ſumpſerunt fratres memorati. Habebant enim in Curiâ amicos magnæ poteſtatis, ſcilicet dominum fratrem Hugonem de ordine Prædicatorum, imò ipſum Papam, & multos præpotentes. Effuſâ igitur multâ pecuniâ, & perdito hinc inde multimodo labore, mutatis quibuſdam conſuetudinibus Pariſienſibus, pax eſt tandem reformata. Verùm

—malè ſarta Gratia nequicquam coit & diſſinditur.

Nam altero pòſt anno (ut narrat[l] idẽ) denuo *orta eſt gravis diſſenſio inter* U*niverſitatẽ Pariſienſiũ Scholariũ, & fratres Prædicatores ibidem converſantium; qui contra antiquam civitatis & univerſitatis conſuetudinem, numerũ limitatum legentium in Theologiâ intenderunt ſine univerſitatis aſſenſu ampliare. Tandem, licèt Rex ipſe Francorum intenderet libertatem ſalvare Scholarium univerſitatis, ſimiliter & cives; ipſi Prædicatores domino Papæ devoti, & propter eorum multimoda obſequia ipſi Curiæ gratioſi, in hoc certamine meliorem calculum reportârunt. Data eſt igitur ſententia à domino Papâ pro fratribus Prædicatoribus, & omnibus Religioſis; ut legant deinceps licenter in Theologiâ, non conſiderato numero legentium, qui antiquitus tenebatur certus numero limitatus.*

[l] *Id. ibid. pag.* 880.

20 Fervente hâc contentione; ex parte Fratrum liber prodijt EUANGELII ÆTERNI nomine inſcriptus, [m] *cujus auctor fuit* (ut fertur communiter) *Ioannes de Parmâ Italicus monachus:* ex parte Academiæ alius, *De periculis noviſſimorum temporum*, à [n] *quatuor Magiſtris* Pariſienſibus compoſitus. quorum nomina (ut ex [o] literis quas contra eos, *tanquam Romanæ Eccleſiæ rebelles*, ad Regem Francorum ſcripſit Alexander IV. colligitur) fuerunt, *Guilielmus de ſancto Amore* (in [p] oppido Amatoris apud Sequanos natus, à

[m] *Nicol. Eymeric. Director. Inquiſit. part.* 2. *quæſt.* 9 § 4.

[n] *Tho. Canti-pratan. lib.* 2. *cap.* 10. §. 23.

[o] *in Firmamẽt. trium Ordinum Franciſci, part.* 2. *tracta.* 2. *fol.* 60. 61. *edit. Pariſ. an*, 1512.

[p] *Maſſon. Annal. Francor. lib.* 3. *Azor. inſtitut. moral. lib.* 13. *cap.* 1.

quo Fratrum adverſarios *Amoræos* [q] Thomas Waldenſis denominat) *Odo de Duaco* Doctor Theologiæ, *Nicolaus* decanus *de Barro*, & *Chriſtianus* canonicus *Beluacenſis*. Eodem verò tempore quo contra mendicantes editus eſt hic libellus, affirmat [r] Antoninus generalem miniſtrum ordinis Minorum fuiſſe *Ioannem de Parmâ, virum ſcientiâ & religioſitate præclarum, maximum paupertatis & humilitatis amicum, de provinciâ Bononiæ oriundum*; cui & *Angelum Domini in miſſâ ſerviviſſe* ait. Sed de *Euangelio æterno* tacet: de quo in libello *De periculis noviſſimorum temporum* ita ſcribunt Magiſtri Pariſienſes. *Iam ſunt* 55. *anni, quòd aliqui laborant, ad mutandum Euangelium Chriſti in aliud Euangelium, quod dicunt fore perfectius & melius & dignius, quod appellant Euangelium æternum ſive Euangelium Spiritus Sancti: quo adveniente, evacuabitur (ut dicunt) Euangelium Chriſti; ut parati ſumus oſtendere in illo Euangelio maledicto.* Dixerant autem paulò antè, ab adventu Domini tranſactos jam eſſe annos [*] 1255. (ſic enim habet codex meus Mſ^tus^.) vel 1256. (ut eſt in exemplari Bibliothecæ Regiæ) & paulò pòſt ſubjiciunt, *Euangelium æternum Pariſiis, ubi viget ſacræ ſcripturæ ſtudium, poſitum fuiſſe publicè ad exemplandum anno Domini* [cc] 1254.

[q] *Walden. Doctrinal. fidei, tom.* 1 *lib.* 4. *cap.* 1. 3. 7. *&c.*

[r] *Antonin. hiſt. part.* 3. *tit.* 24. *cap.* 9. §. 5.

[*] *malè* 1264. *in Antilogiâ Papæ, edit. Baſil. an.* 1555. *pag.* 54. 55.

[cc] *ita Mſſ. non* 1255. *ut in edit. Baſil. pag.* 56.

21 Addunt ibidem Pariſienſes, tria illa verba quorum in 5°. capite Danielis fit mentio, *Mane, Tecel, Phares*, jam viſa eſſe in Eccleſiâ. *Scripta enim ſunt* (inquiunt) *in illo maledicto libro, quem appellant Euangelium æternum, quod in Eccleſiâ jam propalatum eſt: propter quod timendum eſt de ſubverſione Eccleſiæ. Primum verbum eſt* Mane, *id eſt, Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud, vel concluſit; ut exponit Daniel* 5°. *capitulo*

pitulo. Ibi enim numeratur regnum Eccleſiæ, ſc. Euangelium Chriſti, & concluditur in 1260. *annis ab incarnatione Domini. Item ibi invenitur* Tecel, *quod eſt appenſum in ſtaterâ, & inventum eſt minus habens; ut exponit Daniel* 5°. *capitulo. Nam ibi comparatur Euangelium Chriſti ad Euangelium æternum, & invenitur minus habens perfectionis & dignitatis quàm Euangelium æternum; quanto minùs lucet Luna quàm Sol, quanto minùs valet teſta quàm nucleus: & multæ tales ſunt ibi ſcriptæ comparationes, quibus probatur minùs valere Euangelium Chriſti quàm Euangelium æternum. Item in ſcripturâ illâ, ſc. in Euangelio æterno, invenitur* Phares, *id eſt, Diviſum eſt regnum tuum à te; ut exponit Daniel* 5°. *Nam ibi invenitur quòd regnũ Eccleſiæ dividetur poſt prædictum tempus ab illis qui tenent Euangelium Chriſti, & dabitur tenentibus Euangelium æternũ.* Eodẽ pertinet & alius locus, ex Sermone[f], quẽ *in die Philippi & Iacobi* Guilielmus de Sancto Amore habuit, petitus. *De iſtis novis periculis jam habemus quædam Pariſijs, ſcilicet librum illum qui vocatur Euangelium ſempiternum: & nos vidimus non modicam partem illius libri. & audivi, quòd, ubicunq́ eſt, tantum, vel plus contineat ille liber quàm tota Biblia. Ibi enim docetur, quòd ipſe non eſt Deus, & quòd ſacramentum Eccleſiæ nihil eſt, & quòd Euangelium Chriſti non ſit verum Euangelium: ſed docetur ibi, & dicitur, quòd ille liber ſit Euangelium Spiritus ſancti; & dicit eſſe Euangelium æternum. & dicitur ibi, quòd tantùm per* * 50. *annos adhuc Euangelium Chriſti prædicabitur. Nec ſunt iſta pericula hujus libri penitùs nova; imò ſunt* 55. *anni, quòd primò ſunt inchoata.* Sed quid vetat, myſteriorum novi hujus Euangelij catalogum ampliorem, ex [t] Henrico Erphurdienſi & [u] Nicolao Eymerico huc apponere?

[f] *Antilog. Pap. edit. Baſil. pag.* 194.

* *leg.* 5.

[t] *Henr. Erphurd. Chronic. cap.* 93.

[u] *Eymeric. Director. Inquiſitor. part.* 2. *quæſt.* 9. §. 4.

22 *Erro-*

22. *Errores primæ partis Euangelij, quæ appellatur Præparatorium in Euangelium æternum.*

Primus eſt, quòd Euangelium æternum (quod idem eſt quod doctrina Abbatis Ioachim) excellit doctrinam Chriſti, & omne Vetus & Novum Teſtamentum.

2us. Quòd Euangelium Chriſti non eſt Euangelium regni, ac per hoc nec ædificatorium Eccleſiæ.

3. Quòd novum Teſtamentum eſt evacuandum, ſicut vetus evacuatum eſt.

4. Quòd novum Teſtamentum non durabit in virtute ſuâ, niſi per ſex annos proximè tunc futuros, videlicet uſq; ad annum Chriſti incarnationis MCCLX.

5. Quòd illi, qui erunt ultra prædictum tempus, erunt in ſtatu perfectorum. (al. *non tenentur recipere novum Teſtamentum.)*

6. Quòd Euangelio Chriſti aliud Euangelium ſuccedet, & ita ſacerdotio Chriſti aliud ſacerdotium ſuccedet.

7. Quòd nullus ſimpliciter eſt idoneus ad inſtruendum homines de ſpiritualibus & æternis, niſi illi, qui nudis pedibus incedunt.

Secunda pars, quæ appellatur Concordantia Veteris & Novi Teſtamenti, ſive Concordia veritatis, continet hos errores.

De primo libro hujus partis extrahitur iſte:

1. Quòd quantumcunq; Deus affligat Iudæos in hoc mundo, illos tamen ſervabit; quibus benefaciet etiam manentibus in Iudaiſmo: & quòd in fine liberabit eos ab omni impugnatione hominum, etiam in Iudaiſmo manentes.

2. Quòd Eccleſia nondũ peperit nec pariet filios ante finẽ regni temporalis, quod finietur poſt ſex annos tunc proximè ſequentes. Et per hoc datur intelligi ibidẽ, quòd religio Chriſtiana, quæ jam multos peperit vocatos ad fidem Chriſti, non eſt Eccleſia.

23 *De ſecundo libro ejuſdem partis errores iſti extrahuntur.*

1. *Quòd Euangelium Chriſti neminem perducit ad perfectum.*

2. *Quòd adveniente Euangelio Spiritus Sancti, ſive clareſcente opere Ioachim (quod ibidem dicitur Euangelium æternum, ſive Spiritus ſancti) evacuabitur Euangelium Chriſti.*

3. *Quòd ſpiritualis intelligentia novi Teſtamenti non eſt commiſſa Papæ Romano, ſed tantùm litteralis. Et per hoc datur ibi intelligi, quòd Eccleſia Romana non poteſt judicare de ſpirituali intelligentiâ novi Teſtamenti; & ſi judicat, temerarium eſt ejus judicium, & ei non eſt acquieſcendum: quia Eccleſia Romana (ut dicunt) animalis eſt, & non ſpiritualis.*

4. *Quòd tertius ordo * electorum (qui ſecundùm hunc librum eſt ordo religioſorum) non tenetur ſe exponere morti pro defenſione fidei, ac pro conſervatione cultus Chriſti in aliјs hominibus.* **al.* Clericorũ.

5. *Quòd receſſus Eccleſiæ Græcorum à Romanâ Eccleſiâ, fuit de Spiritu ſancto. Et per hoc datur intelligi, quòd viri ſpirituales non tenentur obedire Romanæ Eccleſiæ, nec acquieſcere ejus judicijs, etiam in his quæ Dei ſunt.*

6. *Quòd * populus Græcus magis ambulat ſecundùm ſpiritum, quàm populus Latinus. Et per hoc datur intelligi, quòd populus Græcus magis eſt in ſtatu ſalvandorum, & magis eſt adhærendum ei, quàm populo Romanæ Eccleſiæ.* **al.* Papa.

7. *Quòd ſicut Filius operatur ſalutem populi Latini ſive populi Romani, quia ipſum repræſentat: ita Spiritus ſanctus operatur ſalutem populi Græci, quia ipſum repræſentat. ac per hoc datur intelligi, quòd Pater ſalvat populum Iudaicum, quia ipſum repræſentat.*

8. *Quòd ſicut veniente Ioanne Baptiſtâ, ea quæ præterierunt reputata ſunt vetera, propter nova ſupervenientia: ita adveniente tempore Spiritus ſancti, ſive tertio ſtatu mundi, ea quæ præceſſerunt reputabuntur ut vetera, propter nova quæ ſupervenient. Per quod datur intelligi, quòd novum Teſtamentum reputabitur vetus & projicietur.*

24 *De tertio libro hujus partis unus error extrahitur: videlicet, Quòd Spiritus ſanctus accepit aliquid ab Eccleſiâ, ſicut Chriſtus in quantum homo accepit à Spiritu ſancto.*

De quarto libro ejuſdem partis, in primo tractatu, inveniuntur errores duo. Primus eſt, ſtudium enumerandi & concordandi genealogias carnales, quæ fuerunt in primo ſtatu mundi, & ſpirituales ſtatus ſecundi mundi, con-
1.Tim. 1.3.4. *tra Apoſtolum dicentem:* Rogavi ut denunciares quibuſdam, ne aliter docerent, neq; intenderent fabulis & genealogijs interminatis. *Secundus eſt, ſtudium manifeſtandi momenta & tempora eorum quæ venient in ſecundo ſtatu mundi, contra id Actorum:* Non
Act. 1.7. eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, &c. *In ſecundo verò tractatu ejuſdem libri errores inveniuntur duo:*

1. *Quòd Chriſtus & ſancti Apoſtoli ejus non fuerunt perfecti in vitâ contemplantium.*

2. *Quòd activa vita uſq; ad tempus Abbatis Ioachim fructuoſa fuit; ſed nunc fructuoſa non eſt: contemplativa verò vita ab ipſo Ioachim fructificare cæpit, & amodò in perfectis ſucceſſoribus ipſius perfectiùs manebit. Et per*
*al. electorum. *hoc datur intelligi ibidem, quod ordo * clericorum, ad quem pertinet vita activa, amodò non fructificabit in ædificatione & conſervatione Eccleſiæ, nec omnino in regimine: ſed ordo monachorum amodò in his fructificabit.*

25 De

25 *De quinto libro ejuſdem partis, in tractatu de ſeptem diebus, inveniuntur quatuor valde ſuſpecta & diligenter examinanda.*

1. *Quòd aliquis de ordine religioſorum futurus eſt, qui præferetur omnibus dignitate & gloriâ, in quo implebitur prophetia, & promiſſio Pſalmiſtæ dicentis:* Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Pſal. 16. 6.

2. *Quòd ille ordo in quo complebitur prædicta promiſſio Pſalmiſtæ tunc convaleſcet, quando ordo clericorum deſinet "perire.*

"*Vulgata locutio, id eſt, quando omnino peribit ſive cùm deſinet eſſe.* Fr. Pegna.

3. *Quòd ordo parvulorum eſt ille ordo, in quo complebitur promiſſio prædicta Pſalmiſtæ.*

4. *Quòd ſicut in primo ſtatu mundi commiſſum fuit regnum, ſeu regimen totius Eccleſiæ à Patre aliquibus de ordine conjugatorum, in quo auctorizatus fuit ille ordo; & in ſecundo ſtatu commiſſum fuit aliquibus de ordine Clericorum à Filio, in quo ab ipſo glorificatus fuit ille ordo: ſic in tertio ſtatu mundi committetur alicui vel aliquibus de ordine monachorum à Spiritu ſancto, in quo vel quibus ab ipſo Spiritu ille ordo clarificabitur.*

Item in eodem quinto libro in tractatu de Iob, invenitur unum valde ſuſpectum: videlicet, Quòd illi, qui præſunt collegijs monachorum, diebus iſtis cogitare debent de receſſu à ſecularibus, & parare ſe ad revertendum ad antiquum populum Iudæorum.

Item ibidem, in tractatu de Ioſeph & pincernâ cui ſomnium apparuit, invenitur; Quòd prædicatores, qui erunt in ultimo ſtatu mundi, erunt dignitatis & auctoritatis majoris, quàm primitivæ Eccleſiæ Apoſtoli.

Item in eodem tractatu de generibus hominum, videlicet Iſraeliticis, Ægyptijs, Babylonijs, invenitur; Quòd prædicatores

dicatores & doctores religioſi, quando infeſtabuntur à clericis, tranſibunt ad infideles: & timendum eſt ne ad hoc tranſeant, ut congregent eos in prælium contra Romanam Eccleſiam, juxta doctrinam beati Iohannis Apocal. 16.

26 Atq; hi ſunt articuli ex novo Fratrum Alcorano ab ipſis Pontificijs excerpti: quos dum deſcriberem, non potui quin cum * Campiano identidem exclamarem; *Tempora, tempora, cujuſmodi monſtrum aluiſtis?* Quid verò ab his qui illis vixere temporibus hîc factum ſit, ex Matthæo Pariſio accipe, rem totam tum in majori, tum in minori hiſtoriâ ita explicante. *Crebreſcentibus ſcandalis & odijs inter magiſtros Pariſienſes & fratres Prædicatores, electi ſunt cum magnâ deliberatione celeberrimi magiſtri Lectores, videlicet magiſter Guilielmus de ſancto Amore, & magiſter Odo de Doaco, (qui nobiliter rexerant in Artibus, in Decretis, & tunc in Theologiâ) magiſter Chriſtianus Canonicus Beluacenſis, (qui maximus quaſi philoſophus emeritus, poſtquàm in artibus rexerat, in Theologiâ lecturivit) magiſter Nicolaus de Barō ſuper Albam, (qui rexerat in Artibus, Legibus, & Decretis, ad legendum in Theologiâ præparatus) magiſter Iohannes de * Sicca villa Anglicus, Rhetor Univerſitatis, & magiſter Belin Gallicus, (nominatiſſimi philoſophi, regentes in Artibus.) Omnes iſti de nobiliſſimis viris procreati, præelecti ſunt per magnum (quia fides patiebatur detrimentū) conſilium & deliberationem; ut Romam adeant & dominum Papam, pro tranquillitate Univerſitatis Pariſienſis, & fidei redintegratione (maximè cùm hoc malum majus generare comminetur:) collectaq; ſunt eis ex Univerſitate viatica. Fratres namq; quædam nova prædicabant, legebant & docebant (ut dicebatur) deliramenta, quæ de libro Ioachim Abbatis (cujus ſcripta Gregorius Papa damnaverat) extraxerunt*

* Campian. rat. 8.

* Driton.

*runt. Et quendam librum compoſuerunt, quem ſic eis intitulare complacuit; Incipit Euangelium æternum: & quædam alia, quæ non expedit recitari. Prædicatores autem contra Univerſitatem ſuos expeditos nuncios illicò tranſmiſerunt, ut magiſtris in faciem contradicerent. Subſannavit populus, eleemoſynas conſuetas ſubtrahendo, vocans eos hypocritas, Antichriſti ſucceſſores, pſeudoprædicatores, Regum & Principum adulatores & * conſiliatores, ordinariorum* * *al.* falſos conſiliatores. *contemptores & eorundem ſupplantatores, thalamorum regalium ſubintratores, confeſſionum prævaricatores, qui peragrantes ignotas provincias, peccandi audaciam ſubminiſtrabant. Auditis igitur hinc inde querelis, præcepit Papa, ut novus ille liber, quem Euangelium æternum nominant, ſecretò, & ſi poſſet fieri, ſine fratrum ſcandalo, combureretur; & alia, quæ de Ioachim corruptelâ dicuntur emanâſſe. Vigilanter igitur procurante diligentiâ domini Hugonis Cardinalis, & Iohannis de Columnâ archiepiſcopi Meſſanenſis, qui de Ordine Prædicatorum erant, cautè ac tacitè procuratum eſt, ut tumultus ad horam conquieſceret.*

27 Hæc Matthæus Pariſius, in hiſtoriâ anni 1256. quo & *Iohannem de Parmâ* dignitate, quam inter Minoritas obtinebat, Miniſtri generalis ceſſiſſe legimus; ſeu ſponte (uti refert Franciſcanorum ſcriptorum vulgus) ſeu ex Pontificis præcepto, ut in Chronico ſuo author eſt [y], qui huic negotio non interfuit modò ſed etiam præfuit, frater Peregrinus de Bononiâ. *Æmulis* enim *ejus, qui erant multi, accuſantibus eum Papæ Alexandro; ipſe Papa præcepit in ſecreto, quòd renunciaret officio, & quòd nullo modo aſſentiret, ſi eum miniſtri provinciales vellent in officio retinere. Et ego* (inquit author) *in capitulo fui mediator inter ipſum & miniſtros: & hoc habui ab ore ejus.* Ita viſum Pontifici, homines ſibi maximè

[y] *Antonin. hiſtor. part. 3. tit. 24. cap. 9. §. 5.*

ximè neceſſarios tractare quàm leniſſimè : omnique ratione providere, ne illi quoquo modo in odium offenſionemq; populi incurrerent. Unde & Magiſtrorum Pariſienſium liber [z] *damnatus* eſt atq; *combuſtus*, tum in *Curiâ* (quæ tunc *Anagniæ* reſidebat) tum etiam *Pariſijs coram univerſitatis multitudine copioſâ* ; [a] *non propter hæreſim quam contineret*, (ait Guilielmus Nangiacus) *ſed quia contra præfatos religioſos ſeditionem & ſcandalum mouebat.* quâ quidem re Papa Alexander ita eſt commotus, ut editâ [b] *Extra vagante, quæ incipit ; Quidam ſcripturæ ſacræ intelligentiam ſe habere fatentes, &c.* libellum illum *tanquam iniquum, & ſceleſtum, & execrabilem, continentem documenta prava, falſa, erronea, & nefaria, damnaverit & reprobaverit* : quemadmodum in Summâ ſuâ refert Johannes de Turrecremata. Illam verò Extravagantem, cùm paſſim non extet, & ad illuſtrationem hujus hiſtoriæ multùm faciat, integram libet hîc adſcribere [c].

28 *Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Venerabilibus fratribus, Turonenſi & Rothomagenſi Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Pariſienſi, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quidam ſcripturæ ſacræ intelligentiam ſe habere fatentes, ſed divertentes à tramite recti ſenſus, cogitaverunt nuper malitiam, & contra innocentes & rectos iniquitatem maximam ſunt locuti ; exarſerunt in cordibus ſuis & lingua eorum maliloqua dolum & nequitiam concinnavit : ſurgentes adverſus fratres detraxerunt, & contra dilectos matris Eccleſiæ filios ſcandalum poſuere. Prodiere, inquam, & in prava commenta ex nimio calore animi proruperunt, libellum quendam valde pernicioſum & deteſtabilem temere componentes : libellum quidem non rationabilem ſed reprobabilem, non veritatis ſed mendacij, non eruditionis*

[z] Tho. Cantipratan. lib. 2. cap. 10. §. 23.

[a] Nang. in geſtis regis Philippi. pag. 437. edit. Francofurt. 1596.

[b] *Turrecremat. Summ. de Eccleſ. lib. 4. part. 2. cap. 37.*

[c] *ex Speculo minorũ, tractat 1. fol. 10. b. edit. Rothomagi an. 1509. & Firmamento trium Ordinum Franciſci, part. 2. tractat. 2. fol. 62. a. edit. Pariſ. ann. 1512.*

ditionis ſed derogationis, non monentem ſed mordentem, non inſtruentem veraciter ſed fallentem. Nos autem libellum ipſum ad ſedem delatum Apoſtolicam, venerabili fratri noſtro Tuſculanenſi Epiſcopo, & dilectis filijs noſtris I. tituli S. Laurentij in Lucin. H. tituli S. Sabinæ presbyteris, & I. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacon. Cardinalibus examinandum commiſimus; ut plenè ipſum inſpicerent, & univerſa contenta in eo perfectè attenderent & diſcuterent diligenter. Quo ſtudioſè perlecto, & maturè ac diſtrictè examinato, nobiſq́ de hoc plenariâ factâ relatione ab eis, quòd in ipſo quædam perverſa & reproba contra poteſtatem & auctoritatem Romani Pontificis & Coëpiſcoporum ſuorum; & nonnulla contra illos, qui propter Deum ſub arctiſſimâ paupertate mendicant, mundum cum ſuis opibus voluntariâ inopiâ ſuperantes; alia verò contra eos, qui ſalutem animarum zelantes ardenter & ſacris ſtudijs procurantes, multos in Eccleſiâ Dei operantur ſpirituales profectus & magnum faciunt ibi fructum; quædam autem contra ſalutarem pauperum ſeu mendicantium religioſorum ſtatum, ſicut ſunt dilecti filij Fratres Prædicatores & Minores, qui vigore ſpiritus ſeculo cum ſuis divitijs derelicto ad ſolam cæleſtem patriam totâ intentione ſuſpirant; nec non & alia plura inconvenientia, digna utiq́ confutatione ac confuſione perpetuâ, manifeſtè comperimus contineri.

29 *Quia etiam idem libellus magni ſcandali ſeminarium & multæ turbationis materia exiſtebat, & inducebat etiam diſpendium animarum, cùm retraheret à devotione ſolitâ & à conſuetâ eleemoſynarum largitione ac à converſione & religionis ingreſſu fideles: libellum eundem, qui ſic incipit,* Ecce videntes clamabunt foris; *quiq́ ſecundùm ipſius titulum,* Tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum *nuncupatur; tanquam iniquum, ſceleſtum*

&

& execrabilem : & inſtructiones ac documenta in eo tradita, utpote prava, falſa, & nefaria; de fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolicâ, præſente magnâ fidelium multitudine, duximus reprobanda & in perpetuum condemnanda: districtè præcipientes, ut quicunq; libellum ipſum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujuſmodi noſtram reprobationem & condemnationem ſciverit, prorſus in toto & in qualibet ſui parte comburere & abolere procuret, & in illos qui hujuſmodi præcepti noſtri fuerint contemptores excommunicationis ſententiam promulgantes, in virtute obedientiæ prohibendo, ne quiſquam prædictum libellum ore Apoſtolico jam damnatum approbare vel quomodolibet defenſare præſumat. Et ſiquis præſumpſerit, tanquam contumax, inobediens, & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus fidelibus habeatur : & nos nihilominus aliâs contra eum taliter procedemus, quòd pœna condigna temerarium feriet, & alij eâ perterriti à ſimilibus frænabuntur. Ideoq; fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus hujuſmodi noſtram reprobationem, condemnationem, præceptum & prohibitionem, ac præmiſſa omnia Pariſius ſolemniter publicetis, & faciatis per alios in omnibus locis, in quibus expedire videritis, publicari ; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo. Quòd ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe : duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagniæ, XII. *Kalend. Novembr. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

30 Ita authoritate Pontificiâ ſtabiliti ſunt Fratrũ mendicantium ordines, ([d] *fulcra* utiq; & *ſuſtentacula* Eccleſiæ Pontificiæ :) qui ſub [*] Innocentio III. inſtituti, [e] *multa præter Monachorum commune jus, inſtitutum, morem, ac diſciplinam ſolitam introduxerunt.* E quorum

[d] *Henr. Sedul. commentar. ad vit. Franciſc. cap. 3. pag. 197.*

[*] *Vid. Werner. Faſcic. temp. ætat. 6. ſub ann. Dom.* 1204. & 1214. *Magnũ Chronicon Belgicum, à Piſtorio edit. pag.* 212. 213. *Jo. Stellam, in vit. Innoc.* III. *Sabellic. Ennead. 9 lib. 6. init. Joſeph. Pamphil Chronic. Ordinis fratr. Eremitar. S. Auguſtini, edit. Rom. an. 1581. fol. 26. b.*

[e] *Jo. Azor. inſtitut. moral. lib. 13. cap. 1. Vid. Ioh. Balæi Appendic. ad Acta Romanorum. Pontific. edit. Baſil. an.* 1558.

quorum ſcholâ, tanquam ex equo Trojano, Sophiſtæ exierunt innumeri, qui inquinatiſſimis ſuis commentis doctrinæ Euangelicæ ſimplicitatem miſerè contaminârunt. Hinc enim Sententiariorum, Quæſtioniſtarum, Summiſtarum, Quodlibetiſtarum, & neſcio quorum tenebrionum, ingens egreſſa eſt turba; qui [f] *languentes circa quæſtiones & pugnas verborum*, pro ſolidâ Theologiâ ſpinoſas & rixoſas diſputationes, μωρὰς ϗ ἀπαιδεύτους ζητήσεις (ut loquitur [g] Apoſtolus) *ſtultas & ineruditas quæſtiones*, [h] βεβήλους κενοφωνίας, ϗ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *profanos de rebus inanibus clamores, & oppoſitiones falsò nominatæ ſcientiæ*, in Chriſtianorum Scholas invexerunt. ut in eos non immeritò accommodetur illud [i] Prudentij:

[f] 1. Tim. 6. 4.
[g] 2. Tim. 2. 23.
[h] 1. Tim. 6. 20.
[i] *Prudent.* Ἀποθεώσ. *Reprehenſ. Infidel.*

Statum laceſſunt omnipollentis Dei
Calumnioſis litibus.
Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Ut quiſque linguâ nequior.
Solvunt, ligantq́ue quæſtionum vincula
Per ſyllogiſmos plectiles.
Væ captioſis ſycophantarum ſtrophis,
Væ verſipelli aſtutiæ.

31 Inquiſitionis etiam officium Dominicum & Franciſcum *ſuis Fratribus exercendum reliquiſſe*, notat [k] Franciſcus Pegna. Nam *initio delegatæ inquiſitionis* (ut [l] ille refert) Fratres Ordinis Prædicatorum cum Fratribus Minoribus *huic muneri fuerunt præfecti, quod uſq́ in hodiernum diem exercent adhuc in univerſâ ferè Italiâ.* Quò pertinet illa Alexandri IV. Bulla, [m] anno 6°. Pontificatus edita: cujus hoc initium. *Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dilectis filijs univerſis fratribus, Prædicatorum & Minorum ordinum In-*

[k] *in Director. Inquiſit. part. 3. Comment. 32. c.*
[l] *ibid. comment. 2. a.*
[m] *Liter. Pontific. pro officio Inquiſit. à Fr. Pegnâ edit. Rom. an. 1585. pag. 50. 51.*

quiſitoribus hæreticæ pravitatis per diverſas Italiæ partes à ſede Apoſtolicâ deputatis, & impoſterum deputandis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Catholicæ fidei negotium, quod plurimum inſidet cordi noſtro in veſtris proſperari manibus, ac de bono in melius procedere cupientes, ac volentes omne ab eo impedimentum omneq́ obſtaculum removeri: præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus in eodem negotio de divino & Apoſtolico favore confiſi, omni humano tractare depoſito, conſtanter ac intrepidè procedentes, circa extirpandam hæreticam pravitatem tam de Lombardiâ & Thuſciâ, quàm de omnibus aliJs Italiæ partibus, cum omni vigilantiâ omniq́ ſtudio laboretis. Hæc Alexander in literis anno 1260. ſcriptis: quo anno, *Carmelitas fratres, viſis populorum odiJs ac ſcandalis adverſus Prædicatores & Minores, officia inquiſitionis & exequutionis cauſſarum cum curâ Monialium à ſe excuſiſſe*, ex aliâ ejuſdem Alexandri Bullâ notat [n] Joh. Balæus.

[n] *Bal. Appendic. ad Act. Roman Pontiſ. pag. 546.*

32 Prædicatoribus verò potiſſimùm & Minoribus Fratribus illa à Pontifice data eſt provincia, ut in hæreticorum oppugnationem omni cogitatione curaque incumberent: quo in bello *primanos* milites fuiſſe Prædicatores, *ſecundanos* Minores, agnoſcit poſterioris ordinis gregalis, [o] Henricus Sedulius. Hæretici autem, quicunq; à Pontificiâ religione erant alieni, Romanenſium idiomate nuncupati ſunt: atq; inter eos illi præcipui, quos ſic, ut Jeſuitam decuit, in capite 12°. diſſertationis ſuæ *de feſto Corporis Chriſti*, allatrat Jacobus Gretſerus. *Tunc* (Clementis V. temporibus) *Calvinianorum atavi Albigenſes, Waldenſes, & Berengarianorum haud pauci, multorum corda Sacramentario ſuo veneno infecerant; & à cultu auguſtiſſimi hujus ſacramenti averterant. Nec dubito* (inquit [p] alibi idem) *clariſſimos*

[o] *Sedul. commentar. ad vit. Franciſc. cap. 3. pag. 200.*

[p] *Gretſer. Prolegomen. in ſcript. edit. cont. Waldenſ. cap. 5.*

clariſsimos illos Ordines D. Franciſci & D. Dominici, ſingulari Dei providentiâ oppoſitos fuiſſe cùm aliјs, tum præcipuè Waldenſium ſectis ; in quibus refutandis, oppugnandis & exſtirpandis duo illa Chriſtianæ Eccleſiæ lumina, tam per ſe, quàm per poſteros ſuos præclaram operam poſuerunt. Horum verò hiſtoriæ (quæ ad hujus libri maximè ſpectat inſtitutum) proximum caput deſtinavimus.

Cap. X.

Albigenſium, & aliorum qui in ſecundâ hâc periodo Eccleſiæ Pontificiæ adverſati ſunt, Hiſtoria.

1 HUmiliatos & Pauperes de Lugduno ab Innocentio III. rejectos eſſe, & in illorum locum Prædicatores, in horum Minores Fratres ſubſtitutos, author eſt [a] Conradus Liechtenavius abbas Urſpergenſis: [b] *ut intelligas, quâ cauſſâ, quo auctore, cui fini, Mendicantium ordinum inſtituta prodierint, & recepta ſint.* Non omnes tamen ſine diſcrimine *Humiliatos* in eodem cum *Pauperibus Lugdunenſibus* ordine ab Innocentio eſſe poſitos, oſtendit [c] ipſe in Epiſtolâ ad Veronenſem Epiſcopũ ſcriptâ. *Accepimus* (inquit) *quòd auctoritate literarum noſtrarum, quas dilectis filiјs noſtris Archipresbyteris & canonicis eccleſiæ tuæ contra Gazaros, Arnaldiſtas, Pauperes de Lugduno & Humiliatos, qui nondum redierunt ad mandatum Apoſtolicæ ſedis, & hæreticos univerſos direximus: dictus archipresbyter tam contra Humiliatos, quàm univerſos hæreticos ſine diſtinctione, quam poſueramus in literis noſtris, excommunicationis ſententiam promulgavit, cujus occaſione ſententiæ, nonnulli quoſdam, qui licèt inviti, à populo Humiliati dicuntur (licèt nullam hæreſim, ſed fidem, ſicut dicitur,*

[a] *Abb.* Urſpergenſ. *Chronic. ann.* 1212. *Vid. Felicem Fabrũ, in rerum Suevicar. ſcript. à Goldaſto edit. pag.* 117. *Paul. Æmil. de geſt. Francor. lib.* 6. *Jo. Aventin. Annal. Boior. lib.* 7.

[b] *Henr. Sedul. commentar. ad vit. Franciſc. cap.* 3. *pag.* 195.

[c] *Innoc.* III. *Epiſt. Decretal. Regeſt. lib.* 2. *pag.* 534. *edit. Colon. an.* 1606.

dicitur, ſapiant orthodoxam; & in humilitate cordis & corporis ſtudeant domino famulari: qui etiam in manibus tuis ſtare mandatis Eccleſiæ juraverunt) evitant, & eis tanquam excommunicatis communicare, ſicut hactenus, non præſumunt. Quia verò non eſt noſtræ intentionis innoxios cum nocentibus condemnare, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atq; præcipimus, quatenus tales ad tuam præſentiam convoces, & inquiras tàm ab alijs de vitâ & converſatione ipſorum, quàm ab eis de articulis fidei, & alijs, quæ videris inquirenda: & ſi nihil ſenſerint, quod ſapiat hæreticam pravitatem, eos catholicos eſſe denuncies, & prædictam ſententiam non teneri. Quòd ſi forſan aliquid contra fidem ſapiant orthodoxam, & parati fuerint ab errore diſcedere, ac mandatis apoſtolicis obedire, recepto ab eis juxta formam Eccleſiæ juramento, quod ſolet à talibus exhiberi, beneficium eis abſolutionis impendas: mandans eiſdem ſub debito juramenti præſtiti, vt errorem, quem approbaverant, publicè improbent, & in alijs ſtudeant pro viribus confutare: de cætero etiam fidem orthodoxam ſervent, & ſedem Apoſtolicam venerentur. Datum Lateran. VIII. *Idus Decembris.*

2 Patet idem ex ejuſdem Innocentij epiſtolâ ad Terdonenſem Epiſcopum, quæ in 2°. libro Decretalium legitur, (tit. *De reſtitutione ſpoliatorum*, cap. *Olim cauſam)* tum in antiquâ Collectione quæ ordine numeratur *tertia*, tum in novâ Gregorianâ. ubi (poſterioris Collectionis gloſſator) Bernardus Botonus Parmenſis: *Olim*, inquit, *iſti Humiliati condemnati fuerunt ab Eccleſiâ per Lucium Papam, ſecundum quod continebatur in decr. infra de hæret. Ad abolendam. in particulâ, quæ modò eſt deciſa, in prin. illius cap. Sed poſtea tempore Clementis recepti ſunt ab Eccleſiâ, quia in nullo errabant,*

niſi

niſi quia condemnabant jurantes. ſed ipſi in hoc ſe correxerunt; & jurant, quando expedit: & Eccleſia eos modò approbat. Et Tancredus (antiquæ Collectionis interpres:) *Ego oculis meis vidi quendam magiſtrum Humiliatorum honorificè receptum à domino Innocentio.* Addunt etiam [d] alij, eorum Ordinem ab Innocentio confirmatum eſſe: quod ad *Humiliatos* illos acerrimos *Patrinorum* adverſarios referendum eſt, de quibus in 28°. capite Occidentalis Hiſtoriæ agit Jacobus de Vitriaco.

Vid. ſupr. cap. 8. §. 44. 45. Iacob. Cujac. Recitat. in Decretal. pag. 110. 111. 259.

[d] *Antonin Hiſtor. part. 2. tit. 15. cap. 23. Raph. Volateran. Anthropolog. lib. 21. Joh. Naucler. Chronograph. generat 40. Barth. Caſſane. Catalog. glor. mund. part. 4. conſiderat. 60.*

3 De *Pauperibus* verò *Lugdunenſibus* ita ſcribit in anni 1212. hiſtoriâ Abbas Urſpergenſis. *Vidimus tunc temporis* (in *Curiâ* ſc. *Romanâ*, ad quam anno 1211. ſe acceſſiſſe ſcribit) *aliquos de numero eorum, qui dicebantur Pauperes de Lugduno, apud ſedem Apoſtolicam cum magiſtro ſuo quodam, ut puto Bernhardo, & hi petebant ſectam ſuam à ſede Apoſtolicâ confirmari, & privilegiari. Sanè ipſi dicentes ſe gerere vitam Apoſtolorum, nihil volentes poßidere, aut certum locum habere, circuibant per vicos & caſtella. Aſt Dominus Papa quædam ſuperſtitioſa in converſatione ipſorum eiſdem objecit, videlicet, quòd calceos deſuper pedem præcidebant, & quaſi nudis pedibus ambulabant. Præterea, cùm portarent quaſdam cappas, quaſi religionis, capillos capitis non attondebant, niſi ſicut laici. Hoc quoq́; probroſum in eis videbatur, quòd viri & mulieres ſimul ambulabant in viâ, & plerumq́; ſimul manebant in unâ domo; ut de eis diceretur, quòd quandoq́; ſimul in lectulis accubabant. Quæ tamen omnia ipſi aſſerebant ab Apoſtolis deſcendiſſe. Cæterùm Dominus Papa in loco illorum exurgentes quoſdam alios, qui ſe appellabant Pauperes Minores, confirmavit.* Quo referenda & ſequens hæc Fratris Ivoneti de ortu Pauperum Lugdunenſium

 narratio:

[e] Fr. Pegna in 2. part. Direct. Inquiſit. comment. 39 b.

narratio : à [e] Fr. Pegnâ ex codice membraceneo manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ excerpta.

4 *Ortus illius ſectæ quæ dicitur Poure de Lyon, ſive Pauperes de Lugduno, ſicut à diverſis audivi, & à quibuſdam ipſorum, qui videbantur ad fidem reverſi, dum eorum intereſſem examinationibus, ſic ſe fertur habuiſſe. Apud Lugdunum fuerunt quidam ſimplices laici, qui quodam ſpiritu inflammati, & ſupra cæteros de ſe præſumentes, jactabant ſe omnino velle vivere ſecundùm Euangelicam doctrinam, & illam ad literam perfectè ſervare: poſtulantes autem à domino Papâ Innocentio* III. *hanc vivendi formam, auctoritate ſuâ ſibi & ſuis ſequacibus confirmari, adhuc recognoſcentes primatum apud ipſum reſidere Apoſtolicæ poteſtatis: poſtea cæperunt ex ſe, ut pleniùs ſe Chriſti diſcipulos & Apoſtolorum ſucceſſores oſtenderent, & etiam ſibi, officium prædicationis iactanter aſſumere, dicentes Chriſtum præcepiſſe diſcipulis ſuis Euangelium prædicare. & quia ſenſu proprio verba Euangelij interpretari præſumpſerunt, videntes nullos alios Euangelium juxta literam ſervare: quod ſe facere velle jactaverunt, ſe ſolos Chriſti veros imitatores eſſe dixerunt. cumq; Eccleſia videret eos officium prædicationis uſurpare, quod eis commiſſum non fuerat, cùm eſſent idiotæ & laici, prohibuit ut debuit: & nolentes obedire, excommunicavit. Illi autem contempſerunt in hoc claves Eccleſiæ, dicentes clericos hoc facere per invidiam, quia viderent eos meliores eſſe, & meliùs docere, & majorem ex hoc populi favorem habere, cùm pro bono & perfecto opere nullus debeat, aut poſſit excommunicari, quale eſt docere fidem & doctrinam Chriſti; & quòd nullus debeat hujuſmodi tantum bonum prohibenti aliquatenus obedire, & illam excommunicationem reputabant ſibi æternam benedictionem, glorianteſ ſe Apoſtolorum ſucceſſores; quòd ſicut*

ſicut illi pro doctrinâ Euangelij à ſcribis & Phariſæis, extra ſynagogas ejecti, maledictioni eorum & percußioni ſubjacebant, ita & ipſi à clericis ſimilia paterentur. ſic ſuperba præſumptio palliatæ ſanctitatis, & à ſanctitate ſingularitatis, cæcitatem induxit hæreticæ pravitatis: cùm Euangelica perfectio magis doceat humiliter obedire Doctoribus & rectoribus Eccleſiæ, quàm per amorem ſingularitatis, ſe ſcindere à catholicâ unitate.

5 Hæc frater Ivonetus in Summâ, parte 5ª. cap. 2. cujus fragmentum * ſuprà etiam citatum eſt, in quo *duo genera* Valdenſium diſtinguit, ac priori tantùm (cui propriè nomen *Pauperum Valdenſium de Lion* accommodat) illa monaſticam profeſſionem ſapientia attribuit (quòd ſc. *nihil proprium dicerent ſe habere, nec domos, nec poſſeßiones, nec certas manſiones; conjugeſq́ȝ, ſi quas ante habuerunt, relinquerent)* non autem alteri, ad quod virorum, fæminarum, conjugatorum, cœlibum, divitum, pauperum, operariorum, artificum atque omnis generis hominum, Waldenſium doctrinæ credentium, multitudo pertinebat. Ut ſophiſticè [f] Sanderus de omnibus dixerit, abſq; ullo diſcrimine: *Waldenſes quicquid erant, fraterculi erant, pauperes ex voto & profeßione erant. nec ita erant monachi, ut quondam Lutherus, qui ex monacho factus eſt apoſtata, & ita cùm hæreſim ſuam profiteretur, pro non monacho haberi voluit: ſed Waldenſes habuerunt monachiſmum pro doctrinæ ſuæ fundamento.* Et ſcribit quidem [g] Petrus Pilichdorffius, *Pauperes de Lugduno, inaniter de ſuâ paupertate gloriantes, dicere, tanquam pro fundamento ſui erroris; quòd ipſi ſoli vitam Apoſtolorum ſervent, nihil habentes in proprio, vel communi: & conſequenter, quòd à ſpe ſalutis ſint excluſi, Papa & Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, & omnes Paſtores,*

* *ſupr. cap.* 8. §. 2.

[f] *Sander. viſib. monarch. lib.* 7. *pag.* 469. 471. *edit. an.* 1592.

[g] *in ſcript. cont. Waldẽſ. à Gretſero edit. pag.* 281.

Paſtores, in communi vel proprio aliquid habentes. indeque, qui fragmentum Pilichdorffij in lucem edidit, [h] Gretſerus Jeſuita: *Pauperes de Lugduno*, inquit, *veterum Hæreticorum, quos S. Epiphanius & alij vocant Apoſtolicos ſeu Apotacticos, errorem quadantenus amplectebantur; nempe Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ exemplo, omnium rerum proprietatem non modò in particulari, ſed & in communi procul habendam & repellendam eſſe, vivendumq́ ex mendicato. Quos Auctor iſte primâ tractatus ſui parte refellit; ſed adſcitis quibuſdam argumentis, quæ auribus probè purgatis non ſatis probè tinniant.* Verùm de Paſtoribus tantùm loqui Pilichdorffium, non de credentium multitudine, & verba ipſa indicant, & alius ejuſdem locus manifeſtè evincit. Sic enim in 1°. capite Obviationum contra Waldenſes diſputat [i]. *Tempore primitivæ Eccleſiæ, non ſolùm Apoſtoli vel Clerici, ſed etiam omnes Chriſtiani, tam Clerici quàm Laici, habebant omnia communia; nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ut habetur Act. 4. Quapropter etiam Ananias & Saphira, qui fraudem fecerunt de pretio agri venditi correpti ſimul & mortui ſunt. Si ergo poſſeſſio proprij damnaret Eccleſiam, tunc etiam omnes credentes hæreſiarcharum Waldenſium damnarentur.* Similia etiam in [k] alio contra Waldenſes tractatu (qui cum illo Pilichdorffij in Ms°. codice Dieſſenſis monaſterij conjunctus eſt) repetita legimus.

6 Ab *Apoſtolicorum* autem inſtitutis, qui (teſtante [l] Auguſtino) *in ſuam communionem non recipiebant utentes conjugio, & res proprias poſſidentes*, Waldenſes longè lateq; plurimum diſſediſſe: vel ex illâ, quæ in Reinerij Appendice habetur, *Examinatione Leoniſtæ*, non difficile fuerit colligere. Ibi enim quærit [m] author à Leoniſtâ

[h] ibid. pag. 278.
[i] ibid. pag. 204. 205.
[k] ibid. pag. 292. 293.
[l] Auguſtin. de hæreſ. cap. 40.
[m] ſcript. contr. Waldenſ. à Gretſero edit. pag. 93. 94. 325.

Leoniſtâ; *quare non ſervat doctrinam Euangelij, ut non timeat eos qui corpus occidunt, & ut renuntiet omnibus quæ poßidet, & alia multa.* Deinde, ut evincat, eum *pauca de lege Chriſti ſervare, & in multis offendere*; ſequentes ei interrogatiunculas, inter alias, proponi jubet. *ſi habes duas tunicas, & das unam non habenti? & de eſcâ ſimiliter. Item, ſi das omni petenti & mutuas. Item, non repetis ablata. Item, ſi vendis quæ poßides. Item, ſi non es ſollicitus quid manduces, vel quo induaris. Item, ſi non cogitas de craſtino. Item, ſi in viâ nihil portas, nec pecuniam, nec peram, nec duas tunicas, nec calceamenta. Item, ſi patrem & matrem & filios relinquis. Item, ſi relinquis domum & uxorem. Item, ſi caſtras te propter regnum cælorum. Item, ſi ſine ſacculo & perâ nihil tibi deeſt. Item, ſi pariter eſtis, & habetis omnia communia. Item, ſi vendens poſſeßiones & ſubſtantias dividis omnibus, prout unicuiq; opus eſt. Item, ſi non habes proprium.* Fieri quidem poteſt, ut aliqui inter eos ſuperſtioſuli, præſertim qui è Papiſmi cœno nondum plenè emerſerant (cujuſmodi fuiſſe videntur illi, quos in Romanâ Curiâ vidit Abbas Urſpergenſis, & quos apud Romanum Pontificem *primatum reſidere Apoſtolicæ poteſtatis adhuc recognoviſſe* ſcribit Ivonetus) κακοζηλίᾳ quadam ducti, curioſè nimis operam darent, ut Apoſtolis per omnia conformes fierent: quòd verò communis fuerit hæc Pauperum Lugdunenſium ſententia, requiri à Paſtoribus, ut *nihil habeant in proprio, vel communi*, ſed *ex mendicato* vivant, id [n] in 6°. capite (ubi *ſeptimi* articuli Parſoniani examen eſt inſtitutum) & Waldenſium & Pontificiorum teſtimonijs, apertæ vanitatis coarguimus. quod idem etiam de cœlibatus voto dici poteſt.

[n] *Vid. ſupr. cap.* 6. §. 28. 29.

7 Certè inter Waldenſium propoſitiones, *ex anti-*

quo manuſcripto libro à [o] Magdeburgenſibus hiſtoricis recitatas, cernuntur iſtæ : *Vota eſſe hominum figmenta, Sodomam nutrientia. Monachatum eſſe cadaver fœtidum. Conjugium Sacerdotum eſſe licitum & neceſſarium.* Et poſtremæ propoſitioni fidem facit ipſe Reinerius : in 5°.capite tractatus à Gretſero nuper editi, de Pauperibus Lugdunenſibus ſive Leoniſtis ita ſcribens. *Quòd Eccleſia erraverit, dicunt, matrimonium Clericis prohibendo ; cùm etiam Orientales contrahant.* & in *Explanatione errorum*, ab [p] Illyrico & Frehero editâ : *Dicunt, Eccleſiam Dei graviter errâſſe, prohibendo Clericis matrimonium ; quia lex vetus & nova conceſſit.* Unde & ſuperiori ſeculo à Valdenſibus Gallicæ nationis cum Fratribus Bohemiæ & Moraviæ amicam expoſtulationem factam legimus, quòd *de conjugio admitterentur ea, quæ ſibi diſplicerent. Deterrebantur autem*, inquit [q] Narrationis author, *curantes in Eccleſijs Fratrum à frequentando conjugium, & periculorum impendentium exilij atque carceris metu, & præſentium difficultatum incommodorumque mole ; cùm naturâ ad conjugium propenſis & voluntate proclivibus nullis hoc interdictum eſſet, ac copulatio quoque ut iſta fieret honeſtè, adjumenta etiam afferrentur omnibus.* Fratres verò ipſi, in Confeſſione Regi Ferdinando an°. 1535. exhibitâ, inſtituti ſui rationem ita explicant. *Conjugium multa ſecum adfert impedimenta, quæ multos, quo minùs bene reſpondeant ſuæ vocationi, remorantur. Proinde noſtri idoneos magis habilioreſque ad miniſterium eccleſiæ exiſtimant cœlibes, ſi quibus tamen hoc peculiare donum à Deo datum fuerit. Non quòd Sacerdotes peccare putent, ſi matrimonium contrahant, ſi id moneat neceſſitas, ſintve ad hoc aliæ iuſtæ rationes. Nam & Paulus apertè docet, ad eccleſiaſtica munia tractanda, unius*

uxoris

[o] *Centur.* 12. *cap.*8.*col.* 1207.

[p] *Illyric. catal. teſt. verit. Freher. Rer. Bohemic. ſcript. pag.* 228.

[q] *Ioach. Camerar. de Eccleſ. Fratr. Bohem. pag.* 128.

uxoris viros eligendos eſſe. Nec ita iniquè judicant, quin honeſtum ac legitimum conjugium multis nominibus præferant impuriſſimo quorundam cœlibatui, qui in manifeſtâ turpitudine vivunt, ventri ac ſcortationibus deditì. In profeſſo enim illud Pauli eſt: Melius eſt nubere quàm uri. nam ob hujuſmodi flagitia tam fœdæ ac nefariæ libidinis, quæ multi exercent, non Sacerdotes modò, ſed quiſquis alius etiam, citra perſonarum reſpectum, meritò à communione eccleſiæ exigi debet. Hæc, in 9°. Confeſſionis ſuæ articulo, Fratres Bohemiæ & Moraviæ, (Waldenſes vulgo appellati:) addentes inſuper in Præfatione Confeſſionis, quæ an°. 1572. eſt edita, ipſos *cœlibatus exercitia apud ſe aliqua eſſe malle, quàm nulla; ne Iovinianam conjugij neceſſitatem introducere aut ſtabilire videantur.*

8 Nempe Cœlibatum *non vovent miniſtri Eccleſiæ fratrum Bohemorum: & tamen pleriq́; omnes in Bohemiâ & Moraviâ vivunt cœlibes ſanctiſſimè. at qui in Poloniâ ſunt, ubi tuta & libera omnia, ij uxores ducunt:* ut notat in [r] Theologiâ Moſcoviticâ Johannes Laſicius Polonus. Ita Waldenſes non ex religione alicujus voti, ſed [ſ] *propter inſtantem neceſſitatem* à conjugio conſultò abſtinuerunt. Nam ad vota, & monachorum ac fraterculorum ſuperſtitiones (quibus eos gravat Sanderus) quod attinet: inter *præcipua ac certa eorum doctrinæ capita* à D. [t] Thuano recitatur iſtud; *Monaſticam vitam Eccleſiæ ſentinam ac Plutonium eſſe, vana illius vota, nec niſi fœdis puerorum amoribus ſervientia. Improbant omnes religiones tam monachorum, quàm ſanctimonialium, dicentes eſſe ſuperfluas & inanes:* ait author [u] *Indicis errorum Waldenſium*, quem unâ cum Reinerio Gretſerus nuper edidit. Denique *horrebant Fratrum & Monachorum*

[r] *edit. Spir. an.* 1582. *pag.* 157.

[ſ] 1. Corinth. 7. 26.

[t] *Thuan. hiſtor. lib.* 5. *an.* 1550.

[u] *edit. Ingolſtad. an.* 1613. *pag.* 312.

nachorum privatas religiones, quas etiam malo dæmoni aſcribebant: ut [x] Guil. Reginaldus aſſerit.

9 Quod verò ex Ivoneti narratione colligit Franciſcus Pegna, recentiorem eſſe ortum Valdenſium,& ad tempora Innocentij III. referendum,vaniſſimum eſſe oſtendunt complura in 8°. capite à nobis producta teſtimonia : quæ manifeſtè evincunt, id quod Gretſerus etiam agnoſcit,[y] *diu ante Innocentij*, III. *Pontificatum, Waldenſes natos* ; nec circa annos Domini 1200. (ut [z] Pegnæ fert conjectura) multoque minùs anno 1218. (ut affirmat [a] Bernardus Lutzemburgius) exortos eſſe. Extant quidem Innocentij [b] epiſtolæ tum ad *Metenſes*, tum ad *Abbates Ciſtercienſ. Morimundenſ. & de Chriſta* miſſæ, quibus animadverti in eos jubet, qui in diœceſi & urbe Metenſi tranſlationi Scripturarum Gallicanæ dabant operam, ſecreta frequentabant conventicula, & officium prædicationis uſurpabant. Atq; eos non alios fuiſſe quàm Waldenſes ex Alberici monachi trium fontium, & Cæſarij Heiſterbachenſis liquet hiſtorijs : nec tamen tum ſimpliciter exortos (quemadmodum auguratur Pegna) ſed in Metenſi urbe exortos, dicamus neceſſe eſt. *Paucis annis elapſis,* (inquit [c] Cæſarius) *ſub Epiſcopo Bertramo, viro valdè literato, orta eſt hæreſis Waldoſiana in civitate Metenſi hoc modo. Cùm idem antiſtes in feſtivitate quadam populo in eccleſiâ prædicâſſet, duos homines miniſtros diaboli in turbâ ſtare conſpiciens, ait: Video inter vos duos nuntios diaboli ; Ecce illi ſunt, (digito eos oſtendens) qui me præſente in Monte Peſſulano propter hæreſes damnati ſunt & ejecti. Qui Epiſcopo duriùs reſponderunt, habentes in comitatu ſuo ſcholarem, qui more canino contra eum latrabat, injurijs eum laceſſens. Egreſſi verò de eccleſiâ,*

multitudinem

[x] *Reginald. Calvino-Turciſm. lib. 2. cap. 5. Vid. Prateol. Elench. Hæreſ.* Pauper. de Lugdun. *artic.* 21.

[y] *Gretſer. Prolegom. in ſcrip. contr. Waldenſ. cap.* 1.

[z] *Fr. Pegn. in 2. part. Director. Inquiſit. comment.* 39.*b.*

[a] *Lutzemburg. Catal. hæret. in* Paup. de Lugdun.

[b] *Innocent. Regeſt. lib. 2. pag.* 468. 471. & 537. *edit. Colon. an.* 1606.

[c] *Cæſar. lib.* 5. *cap.* 20.

multitudinem populi circa ſe congregantes, errores ſuos illis prædicaverunt. Quibus cùm quidam ex Clericis dicerent; Vos domini, nonne Apoſtolus dicit: Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Volumus ſcire quis vos miſerit huc prædicare. Reſponderunt illi: Spiritus. Non enim poterat illis epiſcopus vim inferre propter quoſdam potentes civitatis, qui eos in odium Epiſcopi fovebant, eo quòd quendam uſurarium defunctum ipſorum cognatum de atrio eccleſiæ ejeciſſet. Revera miſſi fuerant à ſpiritu erroris, per quorum ora hæreſes Waldoſianæ (ab uno eorum ſic dictæ) in eâdem civitate ſunt ſeminatæ; & necdum prorſus extinctæ. ſub annum ſcilicet Salutis 1222ᵘ. quo ſe ſcripſiſſe author [d] alibi ſignificat. unde apparet, quomodo accipiendus ſit alter Alberici locus, quem [e] magno Chronico Belgico inſeruit Nuſſienſis monachus ex Jo. Piſtorij bibliothecâ editus. *In urbem Metenſem, pullulante ſectâ quæ dicitur Waldenſium, directi ſunt ad prædicandum nonnulli Abbates; qui quoſdam libros de Latino in Romanum verſos* (libros intelligit ſacros in ſermonem Gallicum tranſlatos) *combuſſerunt, & prædictam ſectam extirpaverunt.*

[d] *Id. lib. 10. cap. 48.*

[e] *edit. Francof. an. 1607. pag. 199.*

10 De Waldenſium doctrinâ in 6°. capite plura dicta ſunt: atque ab eorum reliquijs, quæ Merindolij ad noſtram uſq; ætatem ſuperfuerunt, tempore Franciſci I. Galliarum Regis edita eſt profeſſio religionis ejus, [f] *quam à Majoribus quaſi per manus acceperunt, abhinc anno poſt Chriſti incarnationem milleſimo ducenteſimo; quemadmodum ex omni memoriâ ætatum ac temporum à veteribus intellexerant.* In tertio libro Actionum & Monimentorum Martyrum à Johanne Criſpino edito, habetur horum Merindolianorum & Caprarienſium (in Venaſcinenſi comitatu habitantium) fi-

[f] *Jo. Criſpin. Act. & Monim. Martyr. lib. 3. Lancelot. du Voyſin Popliner. Hiſtor. Franc. lib. 1. edit. an. 1581. fol. 26. a.*

dei Confeſſio, oblata ſummæ Curiæ ſeu Parlamento Provinciæ. Extat & alia brevior, ab ijſdem pro innocentiæ ſuæ defenſione anno 1544. Regi Franciſco tranſmiſſa, & anno 1551. Pariſijs in Parlamento Regio publicè recitata: quam ex [g] Caroli Molinæi tractatu *de Monarchiâ Francorum*, viſum eſt hîc ſubjicere.

[g] Car. Molin. Oper. tom. 3. edit. Pariſ. an. 1612. part. 2. col. 578. 579. 616. 617.

Credimus unum tantùm eſſe Deum, qui ſpiritus eſt, rerum cunctarum conditor, pater omnium, ſuper & per omnia, in nobis omnibus, adorandus in ſpiritu & veritate, quē ſolum exſpectamus, datorem vitæ, alimentorum, indumentorum; proſperæ item valetudinis, infirmitatis, commodorum, & incommodorum: hunc diligimus, tanquam omnis bonitatis authorem, & ceu cordium inſpectorem timemus.

Ieſum Chriſtum credimus eſſe Patris filium & imaginem, in quo omnis plenitudo deitatis habitat, per quem cognoſcimus Patrem, qui noſter eſt Mediator & Advocatus, nec ullum aliud ſub cælo nomen hominibus datum eſt, per quod ſervari nos oporteat. In hujus nomen ſolùm invocamus patrem: nec ullas preces effundimus coram Deo, præter eas, quæ in Scripturâ ſanctâ continentur, aut cum eiuſdem ſenſu planè conveniunt. Credimus nos habere conſolatorem Spiritum Sanctum, à Patre & Filio procedentem, cujus inſpiratione precamur, & efficaciâ regeneramur. Is in nobis omnia bona opera efficit: atque per eum in omnem deducimur veritatem.

II *Credimus unam ſanctam Eccleſiam, omnium electorum Dei à conſtitutione ad finem mundi congregationem, cujus caput eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Hanc verbum Dei gubernat, Spiritus Sanctus ducit. In eâ ſinceri Chriſtiani omnes verſari tenentur: pro omnibus etenim indeſinenter orat, grata Deo ad quem confugit, & extra quam*

nulla

nulla eſt ſalus. Illud apud nos eſt conſtitutum, miniſtros Eccleſiæ, Epiſcopos nempe & Paſtores, in moribus & doctrinâ irreprehenſibiles eſſe debere: alioquin deponendos, aliosq́ ſubſtituendos, qui eorum locum & officium impleant. Nemo autem hunc ſibi honorem aſſumat, niſi à Deo vocatus, ut Aaron, gregem Dei paſcens, non turpe affectans lucrum, vel ut cleris dominans, ſed prompto animo exemplum pijs præbens, in ſermone, converſatione, charitate, fide & caſtitate. Reges, Principes & Magiſtratus confitemur à Deo inſtitutos eſſe miniſtros, quibus parendum ſit: nam gladium geſtant ut innocentes tueantur, & malos puniant. Propterea honorem eis deferre, tributaq́ perſolvere tenemur. Nullus autem ab hâc obedientiâ ſeſe eximere poteſt, ſi modo Chriſtianus dici velit, Ieſu Chriſti Domini & Servatoris noſtri exemplum ſequens. Is enim tributum perſolvit, nec iuriſdictionem dominationemve temporalem uſurpavit, in ſtatu illo humiliationis gladium verbi cœleſtis exerens. Credimus aquam in Baptiſmi ſacramento eſſe ſignum viſibile & externum, nobis repræſentans illud quod virtus Dei intus in nobis operatur, nempe Spiritus renovationem, & in Chriſto Ieſu carnis noſtræ mortificationem: per quem etiam Chriſtum ſanctæ Dei Eccleſiæ membra efficimur, in quâ fidei noſtræ profeſſionem & vitæ emendationem demonſtramus.

12 Sanctum menſæ vel cœnæ Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacramentum credimus eſſe ſacrum memoriale & gratiarum actionem ob beneficia per Chriſti mortem nobis collata, in cœtu piorum, in fide, charitate, ſuiq́ ipſius probatione celebrandam: & ita panem & poculum ſumendo Chriſti carni & ſanguini communicare, ſicuti in ſacris Scripturis edocemur. Coniugium eſſe bonum, honorabile, ſanctum, & à Deo inſtitutum profitemur: nemini prohibendum, niſi

Dei verbum intercedat. Pios & Deum timentes credimus Deo ſe probaturos ut bonis vacent operibus, quæ præparavit, ut in eis ambulent. Hæc autem opera ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, probitas, modeſtia, temperantia, aliaq́ opera in Scripturis commendata. Contrà, fatemur cavendum nobis eſſe à pſeudoprophetis, quorum ſcopus eſt, populum ab adoratione religioſâ, uni Deo & Domino debitâ, revocare, creaturis adhærere & confidere: bona opera in Scripturis mandata relinquere, & hominum figmenta ſequi: Regulam fidei noſtræ vetus & novum Teſtamentum retinemus: ſymbolumq́ ſequimur Apoſtolicum. Quiſquis autem dixerit nos aliam profiteri doctrinam, longè eum falli & fallere demonſtrabimus, ſi modò per judices ordinarios nobis liceat.

13 Quâ autem occaſione complura impietatis Manichçæ dogmata Waldenſibus ſub Albigenſium nomine à ſcriptoribus Pontificijs ſunt tributa, in capite [h] 8°. explicavimus. *Petrus Ciſtercienſis monachus* (inquit [i] Mariana) *qui de Albigenſibus viſa explorataq́ in hiſtoriam retulit, Innocentio* III. *Pontifici dicatam, hæreticos Toloſates, atq́ aliarum urbium & oppidorum, eorumq́ protectores communi nomine Albigenſes vocari conſueviſſe ait abuſu loquentium; Provinciales hæreticos, hoc eſt, in provinciâ Phocæenſi natos, eo nomine nuncupantium.* Terram autem illam (Provinciam nempe Narbonenſem, & Albienſem, Ruthenenſem, Cadurcenſem atq; Agennenſem diœceſim) à diverſarum ſectarum hominibus occupatam eſſe, ex ſcriptore qui Petri Ciſtercienſis ætati vel par vel ſuppar fuit, refert [k] Nicolaus Bertrandius I.C. Tholoſanus: quorum quidam *Arriani* fuerint, quidam *Manichæi*, quidam *Waldenſes*. Unde etiam à quibuſdam [l] Arriani, à quibuſdam [m] Mani-

[h] *ſupr. cap.* 8. §. 25. 28.
[i] *Jo. Marian. Præfat. in Luc. Tudenſ. contr. Albigenſ.*
[k] *Bertrand. de geſtis Tholoſan. impreſſ. Tholoſ. an.* 1514. *fol.* 26. *col.* 4. *fol.* 30. *col.* 4. & *fol.* 46. *col.* 4. *ex Chronic.* Guilielmi de Podio Laurencij.
[l] *Hoveden. Annal. part.* 2. *ann.* 1176. & 1178. *edit. Lõdin. fol.* 317. *b.* 327. *a.* & 330. *b.* *Andr. Favin. Hiſtor. Navarr. lib.* 6. *pag.* 304. 305.

[m] Manichæi, à quibuſdam etiam [n] Waldenſes & Pauperes de Lugduno appellantur. *Author Hiſtoriæ Tholoſanæ eos reliquias fuiſſe ait Arianæ ſectæ, quæ inter Viſigothorum principes (à quibus Tholoſani Comites traxerunt originem) à patribus ad filios continuata permanſerit:* ut libro 2°. Annalium Burgundiæ (ad annum Domini 1209.) ſcribit Guilielmus Paradinus. Similiter in Navarrenæ Hiſtoriæ libro 5°. (ad annum 1234.) Andreas Favinus, ex Abbate Vallis Sarnenſis (Petro Ciſtercienſe) & Tholoſanæ hiſtoriæ ſcriptore (Antonio Noguiero) *Raimundum Comitem Fuxenſem* inter Albigenſes duas uxores habuiſſe refert, quarum altera *Valdenſis* fuerit, *Ariana* altera: *poſtquàm enim Gothi in Aquitaniâ, Occitaniâ & Provinciâ ſedes poſuiſſent, hæreſeos Arianæ ſectatores ad illud uſq; tempus in dictis provincijs ſuperfuiſſe.* [o] Lucas Tudenſis *Manichæorum hæreſim in Galliarum partibus ſuis temporibus pullulâſſe* affirmat. *Catharos* etiam, qui alijs *Manichæi* ſunt, collocat [p] Reinerius in *Provinciâ*: ac de numero eorum addit. [q] *Eccleſia Tholoſana, & Albiſenſis, & Charchagenſis* (al. *Carthaſenſis* vel *Cadurcenſis*) *cum quibuſdam, quæ olim fuerunt, ut Eccleſia Auzinenſis* (al. *Auſcienſis*) *quæ ferè deſtructa eſt, ſunt ferè* ccc.

14 Maximam verò partem Waldenſes fuiſſe, qui Albigenſium titulo vulgo ſunt notati, ex *Concilij Narbonenſis* (circa annum Domini 1260. celebrati) apparet teſtimonio: quod nomine *Conſultationis* trium *Archiepiſcorum* (Narbonenſis, Arelatenſis & Aquenſis) ab Illyrico; *Conſultationis Guidonis Fulcodij* (qui eo tempore Narbonenſis videtur fuiſſe archiepiſcopus, Romanus poſtea factus Pontifex & Clemens IV. dictus) à Johanne Calderino producitur. Concilij ſive

[m] *Vid. Radulph. Ardent. Homil. Dominic. 8. poſt Trinitat. Petr. Sarnenſ. Hiſtor. Albigenſ. &c.*
[n] *Jacob. de Rebiriâ, in Collectaneis Tholoſanis. Fr. Pegna, in 3. part. Director. Inquiſitor. comment.* 158. *pag.* 715. *Belforeſt. Hiſtor. Gal. lib.* 3. *cap.* 75. *Thuan. Hiſtor. lib.* 5. *ad ann.* 1550. *Andr. Schott. & Jo. Marian. Præfat. in Luc. Tudenſ. contr. Albigenſ. Jac. Gretſer. Prolegom in ſcript. contr. Waldenſ. cap.* 1. & 6. *Io. Maſſon. Præfat. in Alan. contr. Waldenſ. Andr. Favin. Hiſtor. Navarr. lib.* 5. *pag.* 289. & *lib.* 12. *pag.* 715.
[o] *Luc. Tudenſ. contr. hæret. lib.* 2. *cap.* 9 *pag.* 94.
[p] *Reiner. contr. hæret. cap.* 6. *pag.* 65.
[q] *Ibid. pag.* 71.

Conſultationis illius verba ſunt hujuſmodi. [r] *Hæc autem omnia intelligimus, cùm ij qui ſic culpabiles ſunt inventi, ſciebant illos, quibus, vel per quos iſta fiebant, hæreticos vel Valdenſes eſſe; nec ignorabant, quòd ſancta Eccleſia tales propter errores proprios, ſectaſq; ſuas damnabiles, ab unitate catholicæ fidei ſegregatos denuntiat, & excommunicat, perſequitur, atq; damnat: nec dicenti ſe hoc ignorâſſe, leviter eſt credendum. Quis enim eſt ſolus ille peregrinus, qui * condemnationem hæreticorum Valdenſium ignoret, à longis retro annis juſtiſſimè factam, tam famoſam, tam publicam, tam prædicatam; tot & tantis expenſis laboribus & ſudoribus fidelium inſecutam, & tot mortibus ipſorum infidelium ſolenniter damnatorum & publicè punitorum tam firmiter ſigillatam? utiq; non eſt ferendus tam evidens diſcipulus mendacium magiſtrorum, ſed potiùs cum ipſis damnatis damnandus, qui verum tam notorium diffitetur: quod etiam ipſius rei geſtæ modus ignorari non potuiſſe arguit & convincit. Nam & latere volentes & celari quærentes hæretici ac Valdenſes, ſuis ſe tantùm credentibus credunt, cum eiſdem ſupradicta mala & ſimilia in latibulo perpetrantes.* &c.

15 [s] Johannes Nauclerus & [t] Robertus Gaguinus, Albigenſium *dogmata neminem ad hunc diem notum ſcriptorem reliquiſſe* dicunt. *& cùm hæreticos* (inquiunt) *eos vocent, atq; ob eam culpam exterminatos eſſe autores tradant; genus tamen hæreſeos prætereunt.* [u] Raphael Volaterranus eos 95. *erroribus ab Orthodoxis defeciſſe* ait: ſed errorem nullum ſpeciatim commemorat. Alij ex [x] Petro Sarnenſi & [y] Cæſario Heiſterbachenſi, monachis Ciſtercienſis ordinis, non pauca ex Manichæi fæce & Principijs Origenicis eis affingunt: nec deſunt qui ab ejuſmodi ſuſpicione illos liberent.

Quanquam

[r] Calderin. Tractat. de Formâ procedendi cont. inquiſitos de hæreſi. tit. De hæreticis, credentib. &c. § 9. (tom. 11 tractat. Doctor. part. 2. fol. 414. edit. Venet. ann. 1584.) collat. cum Fr. Pegna, in 2. part. Director. Inquiſit. comment. 75. a. (edit. Rom. ann. 1585. pag. 392.) & Illyric. Catalog. teſt. veritat. (edit. Baſil. an. 1562. pag. 426. 427.)

* Calderin. damnationem hæreticorum & Valden. neſcierit.

[s] Naucler. Chronograph. generat. 41.

[t] Gaguin. de geſt. Francor. lib. 6.

[u] Volaterran. Anthropolog. lib. 21.

[x] Petr. de Vall. Sarn. Hiſtor. Albig. cap. 2.

[y] Cæſar. hiſtor. lib. 5. cap. 21.

Quanquam enim Manichæiſmi labem in Albigenſium principem, Raimundum Comitem Toloſanum, Petrus transferat: teſtatur tamen [z] Nicolaus Bertrandius, ſe *alibi hiſtoriam legiſſe*, quæ *Raimundi Comitis excuſationem* contineret. *ſcilicet, quòd habebat ſibi multos principes atq; magnates ratione virtutis & potentiæ corporalis invidos; cùm à nemine vinci poſſet. Ideò factâ principum unione, in unum adverſus eum convenerunt: ut ſic adunati Tholoſanum comitem ad nihilum redigerent. Cui hæreſim impingebant: hujuſq; medio ſuſcitârunt Cruciatam ac Papæ auxilium.* Similiter & [a] Guilielmus Paradinus, *quaſdam* ſe *Hiſtorias vidiſſe* ait, in quibus Albigenſes eorumq; Principes eodem modo excuſantur: quòd hujuſmodi ſcilicet *vitia & errores afficta illis fuerint & malitiosè impoſita; nec quicquam illi fecerint eorum quorum falsò accuſarentur, præterquàm quòd vitia & corruptelas Præſulum liberiùs reprehenderent.* Ipſe quoq; [b] Bernardus Girardus, Galliæ hiſtoriographus: *Eorum*, inquit, *partes ſecuti ſunt Comites Toloſæ, Convenarum, Bigerronum & Carmanij, ipſeq; Rex Tarraconenſium. Et quamvis pravis imbuti fuerint opinionibus, non hoc tamen tantum Papæ & magnorum Principum odium in eos concitabat, quantum libertas orationis, quâ dictorum Principum atq; Eccleſiaſticorum vitia & mores diſſolutos culpare, ipſiuſq; Papæ vitam & actiones reprehendere conſueverunt. Hæc præcipua res fuit, quæ univerſorum eis conflavit odium, quæq; effecit, ut plures nefariæ affingerentur eis opiniones, à quibus omnino fuerant alieni. Rex Auguſtus à regni ſui Clericis excitatus (qui Albigenſes ob hoc omnis generis hæreſium inſimulabant, quòd ipſorum vitia inſectarentur & accuſarent) Innocentium* III. *Pontificem rogavit, ut ſuam hîc vellet authori-*

[z] *Bertrand. geſt. Tholoſan. fol. 29. col. 1.*

[a] *Paradin. Annal. Burgund. lib. 2. ad an. 1209. (pag. 247. 248. edit. Lugdun. ann. 1566.)*

[b] *Girard. Hiſtor. Franc. lib. 10.*

tatem interponere, & hæreticos ad frugem bonam reducere conaretur. Hæc de Albigenſibus Bernardus Girardus.

15 [c] D. Thuanus, *præcipuis ac certis eorum doctrinæ capitibus*, quæ commemorat, *alia affictа* eſſe ait, *de conjugio, reſurrectione, animæ ſtatu poſt mortem, & de cibis:* Papirius Maſſonus prorſus ea ſilentio prætermittit. *Homo quidam fide dignus*, inquit [d] Nicolaus Vignierus, *è Galliâ Novempopulanâ, mihi affirmavit, legiſſe ſe unam ex confeſſionibus eorum vetere linguâ Gaſconicâ conſcriptā, ac Cancellario Hoſpitalio paulo ante ſecundas Galliæ turbas oblatam: quæ cum Waldenſium doctrinâ planè conſentiebat, nullo omnino* Manichæiſmi *comparente veſtigio. Expreſſè verò declarabant, canonicos ſe tam Veteris quàm Novi Teſtamenti libros recipere: omnemq́ doctrinam reijcere, quæ in eis fundamentum non haberet, aut aliquid eis contrarium contineret.* Indeq; *omnes Romanæ Eccleſiæ ceremonias, traditiones & ordinationes repudiabant ac condemnabant: dicentes eam ſpeluncam eſſe latronum, & meretricem Apocalypticam.* Albigenſium etiam [e] *religionem parùm admodum ab eâ diſcrepâſſe quam hodie profitentur Proteſtantes*, confirmat Poplinerius, *tam ex pluribus fragmentis & monumentis, quæ antiquâ patriæ illius linguâ de horum temporum hiſtoriâ conſcripta ſunt: quàm ex* * *publicâ & ſolenni diſputatione, inter Apamienſem Epiſcopum & M. Arnoltotum Lombrenſem miniſtrum habitâ; cujus acta integra ad hunc uſq́; diem extant linguâ ad Catalanicum potiùs quàm patrium ſive Francicum idioma accedente, conſcripta. Imò plures* (" inquit) *mihi pro certo dixerunt, vidiſſe ſe articulos fidei ipſorum, veteribus quibuſdam tabulis quæ Albij ſunt inciſos, doctrinæ Proteſtantium uſquequaq́ conformes.*

[c] *Vid. ſupr. cap.* 8. §. 28.

[d] *Vignier. Hiſtor. Eccleſ. an.* 1206.

[e] Popliner. *Hiſtor. Franc. tom.* 2. *lib.* 38. *edit. ann.* 1581. *fol.* 245. *b. Vid. ſupr. cap.* 8. §. 1.

* *Vid. infr.* §. 21. 22.

" *Voire que pluſieurs m'ont aſſeuré auoir veu les Articles de leur foy grauez en quelques tableaux qui ſont en Alby du tout cōformez à ceux des Proteſtans.*

17 Quanta

17 Quanta verò Albigenſium horum fuerit multitudo, ex illis [f] Cæſarij verbis licet colligere. *In tantum Albienſium error invaluit, ut brevi intervallo temporis, infecerit uſq; ad mille civitates : & ſi non fuiſſet gladijs fidelium repreſſus, puto quòd totam Europam corrupiſſet.* [g] Joannes Mariana *Galliam univerſam Hiſpaniæq; partem invaſiſſe* ſcribit. [h] Matthæus Pariſius ſedes aſſignat illis *in Waſconiâ, Arumpniâ, Albigeſio, partibus Tholoſanis, & Arragonum regno.* [i] Godefridus Colonienſis monachus, *per totam Provinciam plurimas civitates, cum Baronibus & nobilibus terræ, & clero, in* eam *hæreſin decidiſſe* notat. Dicti ſunt autem Provinciales illi ab alijs, *Bulgari*, ab alijs *Beggini*, ab alijs etiam *Rotarij*, ſi Alphonſo Ciaconio credimus. Sic enim [k] ille, de Innocentio III. *Operâ Hugonis Epiſcopi Regienſis, & Theodoſij Genuenſis Canonici, conventum apud Vaurum in Gallijs contra hæreticos Albigenſes, quos Rotarios vocabant, celebrari curavit. cui omnes ferè Galliæ prælati interfuerunt. Rotarij hæretici, & ipſorum Dux Comes Toloſanus Raymundus damnati : decreta ſynodalia ad Apoſtolicam ſedem tranſmiſſa.* In Lateranenſi Concilio ſub Alexandro III. anno 1179. celebrato, *contra hæreticos & contra Coterellos ſive Ruptarios quædam facta eſſe capitula* ex Alberico Monacho trium fontium refert [l] magni Chronici Belgici concinnator. & anno 1183. *interfectos eſſe in pago Bituricenſi Catherellos, qui vulgo dicuntur Ruptarij, uno ſolo die ſeptem millia*, author eſt Guilielmus Armoricanus, in geſtis Philippi Auguſti Francorum regis, quæ ſolutâ oratione conſcripta in D. Roberti Cottoni Bibliothecâ vidimus. nam in *Philippide*, quæ ex P. Pithæi Bibliothecâ in lucem data eſt, pro *Coterellis*, *Scotellorum* nomen hîc excuſum legitur.

[f] *Cæſar. Heiſterbach. hiſt lib.6. cap.21.*

[g] *Marian. hiſtor. Hiſpan. l. 12. cap. 1 & Præfat. in L. Tudenſ.*

[h] *Mat. Pari hiſtor. an. 121 pag. 231.*

[i] *Godefrid. Annal. à Frehero edit. pag. 278. (ad an. 1208 Vid. Alphonſ. Ciacon. de Vit Pontific. pag. 525. Io. Caſſanion. Hiſtor. Albigenſ. lib. cap. 10.*

[k] *Ciacon. in vit Innoc. III. pag 526.*

[l] *Chronic. Belgic. à Piſtorio edit. pag. 190 init.*

Ms.

[m] Guil. Armorican. Philippid. lib. 1. pag. 240. edit. Francofurt.

[m] Nec mora Bituricas exercitus ibat in oras
Ut Scotellorum vim ſævitiamq; retundat;
A quibus Eccleſijs, aut vaſis Eccleſiarum,
Perſoniſve ſacris, rebuſve lociſve ſacratis
Nullus præſtabatur honor, reverentia nulla.

* nomen hoc, quod illi Cotellorum reſpondet, à Catharis deflexū putat Nicol. Vignier. in Hiſtor. Eccleſ. ann. 1023.

[n] Bertrand. de geſt. Tholoſan. fol. 27. col. 1.

[o] ibid. fol. 34. col. 2.

[p] Antiqu. Collect. IV. Decretal. lib. 5. tit. 5. cap. 1. pag. 785. edit. Pariſ.

Ruptarij verò latrones ſunt, Gallis *Routiers* & * *Cottereaux* appellati: pro quibus Ciaconij *Rotarios* poſitos ſi dixero, non multùm opinor aberravero. Raimundo certè Toloſano comiti id datum eſſe crimini, quòd *ſuam terram non purgaret ab hæreticis & ruptuarijs*, ex vetere authore refert [n] Nicolaus Bertrandius. Et inter conditiones pacis, quas anno 1228. Pariſijs accepit filius ejus, una hæc eſt: quòd [o] *Iſauros ac ruptuarios expellet & puniet animadverſione debitâ.* quò pertinet & ille [p] Innocentij locus, ex decreto in Lateranenſi Concilio contra Raimundum patrem edito. *Quantum Eccleſia laboraverit per Prædicatores & Crucesignatos, ad exterminandum hæreticos & ruptuarias de provinciâ Narbon. & partibus ſibi vicinis, totus penè orbis cognoſcit: & quidem per Dei gratiam, & ſolicitudinem noſtram valde profecit; cùm exterminatis utriſq; terra ipſa in fide catholicâ, & pace fraternâ jam ſalubriter gubernetur.* Hæc de *Rotarijs* ſive *Ruptarijs*.

* ſupr. cap. 8. §. 20.

18 De *Bulgarorum* appellatione in * octavo capite aliquid attigimus. Extat eorum mentio in Roberti Altiſſiodorenſis monachi Chronologiâ: ubi ad annum Domini 1201. hæc legitur narratio. *Euraudus miles, quem Henricus Nivernenſis comes terræ ſuæ præfecerat, vir in rebus ſeculi verſutus admodum, oppreſſorque minorum, hæreſis illius quam Bulgarorum vocant, coram Legato arguitur, & dies ei præfigitur de objectâ hæreſi publicè ſe purgandi. Legatus concilium Pariſius convocat, in*

quo

quo aßidentibus cum legato Archiepiſcopis & Epiſcopis regni Pariſienſibuſque magiſtris, Euraudus ſtatuitur : & multis contra eum teſtimoniis teſtibuſque productis, maximeque Hugone Altißiodorenſi præſule vrgentiùs inſiſtente, hæreticus eſſe convincitur, & expletâ definitione judicii puniendus traditur poteſtati. Attamen ut diſpenſationis ſuæ redderet rationem, redditur interim comiti Nivernenſi. Dehinc Nivernis adducitur, & in conſpectu omnium quibus ob illata gravamina exoſum ſe fecerat, flammis exuritur. Idem monachus, ad annum 1206. de Hugonis Antiſſiodorenſis epiſcopi exceſſu verba faciens ; *Hæreticos*, inquit, *quos Bulgaros vocant, vehementer ſtuduit inſectari : ejuſque inſtantiâ actum eſt, ut plerique rebus ſuis exinanirentur, exterminarentur alii, alii cremarentur.* Pleniùs verò ſequente anno, ſub *Bulgarorum* nomine, hunc in modum Albigenſium explicat hiſtoriam.

De Nivernenſib. vid. Innocentii III. Regeſt. lib. 2. pag. 436. 437. collat. cum Roberti Altiſſiodorenſ. Chronolog. ann. 1198. fol. 95. a.

19 *Per idem tempus Bulgarorum hæreſis execranda, errorum omnium fæx extrema, multis ſerpebat in locis, tanto nocentiùs quanto latentiùs : ſed invaluerat maximè in terrâ comitis Tholoſani & principium vicinorum ; ubi dum ſuum publicè profitentur errorem, primatum & judicium Romanæ Eccleſiæ ſpernunt, & communionem Chriſtianorum ſub eâ poſitorum declinant, dicentes nullum ſub eâ vel in ipſius fide poſſe ſalvari : omneſque fidei articulos aut denegant aut pervertunt, omnem omnino religionem & cultũ & gradum pietatemque Eccleſiæ Catholicæ blaſphemantes, damnantes omne genus hominum præter ſe ſolos, ſuorumque conventicula Catholicam Eccleſiam jactitantes. Quocirca de conſilio Domini Papæ Ciſtercienſis Abbas aliique abbates circiter* XIII. *delegantur, ejuſdemque ordinis viri probabiles omnes, & ſapientiâ & facundiâ perinſtructi, parati ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de fide, & pro fide*

etiam

etiam animas ponere non verentes. Egreſſi igitur de Ciſtercio menſe Martio numero circiter 30. *per Ararim labuntur in Rhodanum modicis expenſis, equitaturis nullis, ut per omnia viros euangelicos ſe probarent. Ingreſſi deniq; quo tentebant bini vel terni ab invicem diviſi, partes illas perambulant, & hoſtes fidei ſanæ doctrinæ ſpiculis appetentes, vix in multis millibus paucos inveniunt rectæ fidei profeſſores. Alij verò, quorum erat numerus infinitus, ſic ſuo pertinaciter inhærebant errori, ut nullis veridicis acquieſcerent documentis : ſed tanquam aſpides obſurdeſcerent ad voces incantantium ſapienter, ne mentes dimerſas tenebris penetraret auditio veritatis. Per tres itaq; menſes, urbibus, villis & oppidis multo labore & ſollicitudine peragratis, multiſq; periculis & inſidijs appetiti, paucos revocant, paucos fideles repertos de fide certiùs inſtruunt, & confirmant. Affuit & cum eis quidam Epiſcopus Oximenſis civitatis Hiſpaniæ vir mitiſſimus ac diſertus, qui & ipſe lucrandis animabus invigilans & circumquaque perambulans, de reditibus ſuis cibariorum emerat copiam, & per loca plurima poſuerat, & prædicatoribus verbi Dei largiter exponebat.* Hæc Robertus Altiſſiodorenſis : atq; eum hîc ſecutus [q] Guilielmus Nangiacus.

20 Anno Domini 1209. *Abbatem Ciſtercienſem, & alios Abbates ejuſdem ordinis, iterum à Papâ in Provinciam, convertendi gratiâ Begginos ad fidem, miſſos; ſed ab eis contemptos, & cum ignominiâ repulſos eſſe,* ſcribit [r] Godefridus Colonienſis monachus. Anno verò 1203. *per Arnoldum Ciſtercienſem, & per fratrem Petrum de Caſtro Novo (ex regulari canonico factum monachum) cæpiſſe contra hæreticos Albinenſes ferventem prædicationem, & hoc de ſummi Pontificis mandato :* deinde, anno 1208. *factam eſſe prædicationem validam prælatorum*

[q] Nangiac. Continuat. Chronic. Sigebert. Ms. in Bibliotheca Regiâ.

[r] Godefrid. Annal. à M. Frehero edit. pag. 200.

rum Eccleſiaſticorum, & pugnam acerrimam militarium & nobilium armatorum contra hæreſim Albigenſium; in [ſ] magno Chronico Belgico legimus. *Anno ab incarnatione Domini* 1207. *Ciſtercienſis ordinis Abbates, & alij quidam à Domino Papâ mittuntur ad Provinciam, ad hæreſim extirpandam. Ibi pauci fideles tunc inveniuntur; ac de infidelibus, quorum non erat numerus, paucißimi convertuntur.* Ita Vincentius Bellovacenſis, in Speculo hiſtoriali, lib°.29.cap.93. Denique Guilielmus de Podio Laurentij in Chronico ſuo: *Sub anno,* [t] inquit, *Domini* 1205. *Dominus Deus ipſe, qui ſagittas electas providentiæ ſuæ conſervat pharetrâ, duos de Hiſpaniâ ad hoc opus produxit electos Dei pugiles: dominum Didacum epiſcopum* * *Exonienſem, & virum per omnia benedictum* (*ſanctum poſtea declaratum*) *ſocium ejus Dominicum, Canonicum ſuæ Exonienſis eccleſiæ regularem. Duo igitur iſti Epiſcopi* (Fulco ſc. Tholoſanus & Didacus Uxamenſis) *& B. Dominicus mittentes manus ad fortia, aggregatis illis abbatibus duodecim Ciſtercienſis ordinis, contra ſuperſtitiones hæreticorum in altitudine Satanæ gloriantium omni humilitate, abſtinentiâ & patientiâ cœperunt procedere & congredi: non pompoſâ aut equeſtri multitudine, ſed calle pedeſtri ad indictas diſputationes contra hæreticos de caſtro in caſtrum nudis plantis & pedibus ambulantes. Fuitque una de primis congregationibus apud Viridefolium: ubi palàm hæreſiarchæ ad diſputandum contra noſtros convenerunt, & confuſi fuerunt, non tamen converſi. Altera verò fuit apud Appamias ſpecialiter contra Valdenſes: qui arbitri electi judicio ſuccubuerunt; at quidem ex ipſis ad cor & ad pœnitentiam redierunt.*

[ſ] *Chronic. Belgic. à Piſtorio edit. pag.* 200.

[t] *Bertrand. de geſt. Tholoſanor. fol.* 46. *col.* 4.

* Uxamenſem

21 *Demum inter alias plurimas diſputationes, quas in diverſis locis noſtri contra hæreticos illo tẽpore habuerũt, una*

fuit ſolemnior apud Montem Regalem diœceſis Carcaſſonenſis anno Domini 1207. *Cui interfuerunt prædicti Chriſti pugiles, Fulco Tholoſanus, & Didacus Exonienſis epiſcopus, & B. Dominicus, ac venerabilis vir dominus frater Petrus de Caſtro Novo Ciſtercienſis ordinis Apoſtolicæ ſedis legatus, ac collega ſuus magiſter Radulphus; contra plures hæreſiarchas ibidem congregatos. Fuitq́; præſcriptâ die & alijs pluribus diſputatum coram quatuor arbitris laicis à partibus electis.* Ex hiſce arbitris *duo nobiles* erant, *Bernardus de Villanovâ & Bernardus Arrenſis; duo plebeij, Raimundus Godius & Arnoldus Riberia:* quemadmodum refert Jacobus de Rebiriâ iu ſuis de Urbe Toloſâ Collectaneis. ubi etiam docet, quænam *hæreſiarcharum* illorum & nomina fuerint & hæreſes. Nomina hæc ſunt: *Ponticus Iordanus, Arnoldus Auriſanus, * Arnoldus Otthonus, Philebertus Caſtrenſis, Benedictus Thermus.* Hæreſes hæ: *Eccleſiam Romanam non eſſe ſanctam Eccleſiam, nec ſponſam Chriſti; eſſe Eccleſiam Diaboli imbutam doctrinâ, Babylona eſſe illam, quam Ioannes deſcripſit in ſuâ Apocalypſi, matrem fornicationum & abominationum, obrutam ſanguine Sanctorum. Domino nôn probari, quæ ipſi Eccleſiæ Romanæ probarentur. Miſſam neq́; Chriſtum neq́; Apoſtolos inſtituiſſe, ſed hominum commentum eſſe.* Extant adhuc integra Acta Diſputationis hujus, in codice membranaceo, antiquis characteribus & linguâ Cathalanâ, deſcripta: quorum ſummam ex [u] Nicolao Vigniero accipe.

Vid. Anton. Reguier. Hiſtor. Toloſan.

* *al.* Arnoltot vel Arnaud Hot. *Vid. ſupr.* §. 16.

22 *Die Lunæ, * 2°. Octobr. an.* 1207. *in oppido Montis Regalis prope Carcaſſonem in Comitatu Toloſano, habitum eſt memorabile colloquium inter Epiſcopum Exovenſem Hiſpanum, qui à Papâ miſſus fuerat cum S. Dominico & alijs pluribus; & Arnaldum Hot Paſtorem Albigenſium appellatum*

[u] *Vignier. Hiſtor. Eccleſ. an.* 1207.
* *vel dies* 1. *Octobr. legend. vel ann.* 1206.

tum, qui hæc tria expreſſè aſſerebat. Primò, Romanam Eccleſiam non eſſe Chriſti ſponſam, nec ſanctam Eccleſiam, ſed turbulentam, Satanæ doctrinâ inſtitutam, adeoq́; Babylonem eſſe illam de quâ in Apocalypſi loquitur B. Iohannes, matrem fornicationum & abominationum, ſanguine ſanctorum & martyrum Ieſu Chriſti inebriatam. Secundo, Politiam illius non eſſe bonam, neq́; ſanctam, neq́; à Ieſu Chriſto ſtabilitam. Tertiò, Miſſam, eo modo quo celebratur hodie, non eſſe vel à Ieſu Chriſto vel ab Apoſtolis ejus inſtitutam. Contrarium ſuſcepit Epiſcopus ex novo Teſtamento confirmandum; coram B. de Villanovâ, B. Auzerbenſi, R. de Bot. & A. Riberiâ, delectis arbitris. Poſtquàm triduo durâſſet diſputatio, petijt Epiſcopus 15. concedi ſibi dies, quibus theſium ſuarum probationes ſcripto mandaret; & Arnaldus Hot octo dies, quibus adverſarij ſcripto reſponderet. Reverſi die præſtituto, ad quatriduum colloquium produxerunt: quo tempore Epiſcopo præſtò fuerunt legati duo, P. de Caſtronovo, M. Radulphus Candelenſis Abbas, P. Bertrandus Prior Auteribi, Prior Palatij, atq́; alij plures. Demùm, aſſerente Epiſcopo; ea quæ non ſunt de Miſſâ, ex eâ eſſe auferenda: dimiſſa eſt concio, nec quicquam aliud de iſtis controverſijs conſtitutum. Hujus colloquij meminit in Hiſtoriâ Albigenſi Petrus Sarnenſis monachus: ut & alterius, quod Carmanij habitum eſt per integrum octiduum; & tertij, quod * Apamiæ cum *Waldenſibus* eſt inſtitutum. Ex Albigenſium parte præcipui ab illo nominantur, *Balduinus*, *Bernardus de Cimorrâ*, & *Theodorus*, qui Canonicus Nivernenſis fuerat, ſed in Pariſienſi Concilio (cujus * paulo ſuperiùs facta eſt mentio) coram Octaviano Legato Pontificio, hæreſeos condemnatus, in Occitaniam ſe receperat. *Dominicum* etiam, *& duodecim Abbates cum Albigenſibus publicè diſputaviſſe*

* Paſmiers. *Vid. Nicol. Vignier. Hiſtor. Eccleſ. an.* 1208. *& Hiſtor. Albigenſ. à Jo. Cheſſanione edit. lib.* 1. *cap.* 12. 13.

* *ſupr.* §. 18.

ſputaviſſe apud Fanum Iovis, ſub judicibus deputatis, in [y] Reſponſione Synodali Baſileenſis Concilij legimus.

23 Quum verò diſputationibus parùm res proficeret Pontificia:

Tollitur è medio ſapientia, vi geritur res.

Odone enim Pariſienſi Epiſcopo [z] *ſuggerente & ſatagente actum eſt, ut Dominus Papa principes & populos per Gallias concitaret, ad debellandam Albigenſium hæreticorum perfidiam,* (ita ſcribit Robertus Altiſſiodorenſis monachus) *qui ſæpiùs attentati, nullatenus gladio verbi Dei poterant expugnari. Literis itaq; Domini Papæ longè lateq; directis, peccatorum remiſſione & pænitentiarum abſolutione conceſſâ, innumerabilis multitudo fidelium concitatur: & novo more crucis ſe ſigno conſignant in pectore contra fidei deſertores, zelo fidei ſe armantes.* [a] Innocentij literæ contra Albigenſes, X. die Martij, Pontificatus anno XI. datæ ſunt: eodemq; anno, qui Salutis humanæ 1208. numerabatur, [b] III. Idus Julij, mortem obijt Odo ille Pariſienſis Epiſcopus. Inter ejus (vel alicujus ſucceſſorum ejus) [c] *Statuta Synodalia*, leguntur iſta: *Moneant* Presbyteri *ſolicitè & aſſiduè parochianos ſuos, ut in Albigenſes hæreticos ſe accingant; & iterum eandem habebunt indulgentiam, quam aliâs habuerunt. Item moneant presbyteri ſub pænâ excommunicationis, omnes illos qui crucem habuerunt, & votum ſuum non ſunt proſecuti, quòd crucem ſuam & proponant reſumere & portent.* Papa verò Innocentius, quemadmodum in geſtis Philippi Aug. narrat [d] Rigordus, *ſcripſit Regi Francorum Philippo, & omnibus Principibus regni ſui, mandans & præcipiens, quòd cum magno exercitu terram Tholoſanam & Albigenſem & Cadurcium & par-*

tes

[y] *tom. 4. Concil. edit. Binij, pag. 107. a.*

[z] *Chronolog. Altiſſiod. ann.* 1208. *fol.* 103. *b.*

[a] *Nic. Vignier. Hiſtor. Eccleſ. an.* 1208.

[b] *Rigord. de geſt. Philippi Aug. an.* 1208. *Vincent. Spec. hiſt. lib.* 29. *cap.* 101.

[c] *Biblioth. Patr. tom.* 6. *col.* 638. *edit. ann.* 1589.

[d] *Rigord. hiſt. ann.* 1208. *pag.* 207. *Vincent. Spec. hiſt. lib.* 29. *cap.* 101. *Antonin. hiſt. part.* 3. *tit.* 19. *cap.* 1. §. 3.

tes Narbonenſium & Biterrenſium, & alias multas adjacentes, ſicut viri catholici & fideles Ieſu Chriſti invaderent, & omnes hæreticos qui terras illas occupaverant, delerent. Et ſi in viâ, vel bellando contra illos, morte intercipiuntur: idem Papa ex parte Dei & auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſuâ, ab omnibus peccatis nativitatis ſuæ contractis, de quibus confeſsi fuerint, & pœnitentiam non egerint, abſolvit. Miſsis etiam *prædicatoribus ad omnes regiones Occidentis*, ut eſt apud [e] Matthæum Pariſium, *principibus aliiſq; populis Chriſtianis in ſuorum remiſsionem peccatorum injunxit, ut ſe cruce ſignarent ad hanc peſtem* (ita loquebantur Pontifex & Pontificij) *extirpandam, atq; tantis cladibus ſe opponentes, viribus & armis tuerentur populum Chriſtianum. Addidit etiam authoritate ſedis Apoſtolicæ, ut quicunque ad expugnandum eos laborem ſibi injunctum ſuſceperint, ſicut illi qui ſepulcrum Domini viſitant, tam in rebus quàm in perſonis, ab omni hoſtium incurſione manerent ſecuri. Ad hanc autem prædicationem tanta Cruce ſignatorum multitudo convenit, quanta non creditur in noſtro climate aliquando conveniſſe.* Hæc Matth. Pariſius.

[e] *Mat. Pariſ.* in Iohanne. *pag.* 231.

24 Hinc anno 1209. [f] *de cunctis Galliarum partibus, Franciâ, Flandriâ, Normaniâ, Aquitaniâ & Burgundiâ, tam Epiſcopi quàm Comites & Barones, militum & vulgarium numerus infinitus, votivæ profectioni ſe præparant. Menſe igitur Iunio apud Lugdunum conveniunt ex condicto, & diſpoſitis itineri neceſſariis, & ducibus qui præeſſent de communi conniventiâ conſtitutis, verſus Provinciam iter movent omnes Cruce ſignati in pectore.* His ſe adjunxerant [g] *Petrus Senonenſis, R. Rothomagenſis archiepiſcopi, Robertus Baiocenſis, Iordanus Lexovienſis, Reginaldus Carnotenſis, & alij multi epiſcopi, & perſonæ aliæ Eccleſiaſticæ:*

[f] *Rob. Altiſſiod. monach. Chronolog. an.* 1209.
[g] *Rigord. & Guilielm. Armorican. Ms. in geſtis Philippi Aug. ad ann.* 1213. *Vincent. Spec hiſt. lib.* 30. *cap.* 9. *Vid. Io. Chaſſanion. Hiſtor. Albigenſ. lib.* 2. *cap.* 7. & 10.

* al. *Henricus.*

*Odo Dux Burgundiæ, * Herveus Comes Nivernenſis, & multi alij Barones, milites, & populi infiniti de regno Francorum, divino* (ut tum homines interpretabantur) *zelo ſuccenſi, & peccatorum remiſſione à Papâ eis affluentiſſimè indultâ provocati.* Rem autem à Philippi regis Francorum & Cruceſignatorum ingenti illo exercitu adverſus Albigenſes geſtam, verſibus ſuis [h] Guilielmus Armoricanus ſic expreſſit.

[h] *Guil. Brito Armoric. Philippidos lib.* 8.

Rex igitur primus zeli fervore ſuperni
Corde pio motus, ter millia quinq́; virorum
Ad proprios ſumptus inſtructos rebus & armis,
Dans exemplum alijs, in Chriſti prælia miſit.
At reliqui proceres, equites, comiteſq́; duceſque,
Prælati Eccleſiæ, nec non & nobile vulgus,
Omnes penè viri gladios qui ferre valebant,
Spe ducti veniæ, Chriſti ſua pectora ſigno
Conſignant, ut quod calet intus lateat extra,
Illaſq́; in partes iter aggrediuntur ituri.
Ergo Dei pugiles aciebus multiplicatis
Uſque Biturenſem feſtinant ocyùs urbem,
Ad quam turba frequens confluxerat hæreticorum.
Fortis enim & nimium locuples populoſaq́; valde
Urbs erat, armatiſque viris & milite multo
Freta; ſed Albigei maculis infecta veneni.
Quam virtus modico ſub tempore catholicorum
Frangit: & ingreſſi ſexus utriuſque trucidant
** Millia bis triplicata decem, quos abſque virorum*
Majorum aſſenſu vulgi furor immoderatus
Et Ribaldorum dedit indiſcretio morti,
Interimens mixtim cum non credente fidelem
Nec curans eſſet quis vitâ, quis nece dignus.

* *Idem Guilielmus in Anna- lib. geſtorum Regis Philippi (Ms. in Biblioth. Cottonianâ) ſimiliter civitatem hanc captam & everſam notat,* LX. millibus hominum & amplius in eâ trucidatis. *unde corrigendus locus tum Rigordi (in geſtis ejuſd. Philippi, pag.* 214.) *in quo* X. millibus hominum; *tum Vincentij (lib.* 30. *Specul. hiſtorial. cap.* 9.) *in quo* LXX. militibus hominum *corruptè legitur.*

25 Verùm horrendam illam ſtragem, non *ribaldo-*

rum

rum indiſcretioni (ut iſte barbarè in re barbarâ loquitur) ſed *Arnoldi Abbatis Ciſtercienſis* (Narbonenſis poſtea archiepiſcopi, & Romani Pontificis in hâc expeditione legati) conſilio tribuendum eſſe, Cæſarius Heiſterbachenſis docet: de Cruceſignatorum copijs magnam hanc civitatem,[i] *in quâ plus quàm centum millia hominum fuiſſe dicebantur*, obtinentibus ita ſcribens. *Cognoſcentes ex confeſſionibus illorum, catholicos cum hæreticis eſſe permixtos, dixerunt Abbati: Quid faciemus, Domine? Non poſſumus diſcernere inter bonos viros & malos. Timens tam Abbas, quàm reliqui, ne tantùm timore mortis ſe catholicos ſimularent, & poſt illorum abſceſſum iterum ad perfidiam redirent, fertur dixiſſe: Cædite eos; novit enim Dominus, qui ſunt ejus. Sicque innumerabiles occiſi ſunt in civitate illâ. Nulli*, inquit [k] Robertus Altiſſiodorenſis, *ſexui vel ætati parcitur; omnes à minimo uſque ad maximum pariter trucidantur. Occiſorum cadavera coacervant & concremant; & devorante cuncta incendio, fit vaſtitas circumquaque & horribilis ſolitudo.* Pergit Guilielmus Armoricanus:

Hinc procedentes, Carcaſonentida cingunt
Agminibus denſis urbem, quam tempore parvo
Gnaviter expugnant, & eam ſe dedere cogunt
Tali condicto; quòd nil ex urbe ferentes
Bellator, civis, ætas & ſexus uterque
Solâ contenti vitâ ſine veſte, ſine armis
Arcto poſtico quod vix foret exitus uni
Unus poſt alium ſtudeant exire viritim:
Cunctarelinquentes libito bona Catholicorum,
Agros, arma, pecus, gazas, vineta, penates
Et quamcunque locus rem tam præclarus habebat.

[l] Robertus Altiſſiodorenſis, eos *ſolis indutos lineis* prodijſſe

[i] *Cæſar. hiſt. lib.* 5. *cap.* 21.

Confer Garnetti *reſponſum ad* Catisbeij *quæſtionem, in D. Edv. Cook. Action. in Garnet. pag.* 79. & *D. Elienſ. Torturâ Torti, pag.* 281. 282.

[k] *Altiſſiod. Chronolog. ann.* 1209. *fol.* 103. *b*

[l] *Altiſſiod. Chronolog. fol.* 104. *a.*

prodiiſſe ſcribit, [m] Rigordus, *pudendis tantùm velatis*: [n] Gaguinus, nullâ pudoris naturalis ratione habitâ, *omnino nudos* dimiſſos eſſe refert. Author verò antiquus, [o] qui linguâ Occitanicâ Albigenſium hiſtoriam deſcripſit, eos per ſpeluncam quandam ſubterraneam *Cabaretum* evaſiſſe, atq; ita hoſtium furorem eluſiſſe narrat. Fuit autem Cabaretum *caſtrum inexpugnabile, non procul à Carcaſſonâ ſitum*, quò *plures ex his quos* * *Perfectos vocant confluxiſſe* notat in anni hujus 1209. hiſtoriâ Robertus Altiſſiodorenſis.

26 Receptâ Carcaſſone, [p] communi Prælatorum ac Baronum conſilio, urbi & toti regioni, acquiſitæ pariter & acquirendæ, præficitur Simon de Monteforti, [q] ex notho Roberti Regis Francorum oriundus: qui è regno Angliæ, in quo Comitis Leiceſtriæ honorem geſſit, cum ſuis expulſus fuerat. In ejus *manus*, ut in [r] Matthæi Pariſij hiſtoriâ legimus, *traditus eſt captivus vir nobilis Rogerus vicecomes & dominus quondam ipſius terræ*, (quem [s] Antoninus ait *captum arte*; illâ videlicet, * quæ hæreticis non eſſe ſervandam fidem docet). *cum totâ provinciâ illâ, videlicet pluſquam centum caſtris, quæ infra menſem unum dignatus eſt Dominus catholicæ reſtituere unitati. Inter quæ erant plurima adeò nobilia, ut quemlibet exercitum, juxta æſtimationem humanam, modicum formidarent. His ita peractis*, (inquit idem hiſtoricus) *cùm Comes Nivernenſis & plurima pars exercitus ad ſua redirent; illuſtris Dux Burgundiæ & reliqui magnates cum exercitu reſiduo, ad extirpandam pravitatem hæreticam, proceſſerunt: & plura caſtra admodum fortia, ſive amore ſive timore, poſtmodum tradiderunt in manus Simonis Comitis Montisfortis*. qui, ut [t] Guilielmus Armoricanus canit,

-papalia

[m] *Rigord. & Guilielm. Armorican. Ms in geſtis Philippi Aug. ad ann.* 1213.

[n] *Rob. Gaguin. de geſt. Franc. lib.6.*

[o] *Io. Caſſan. Hiſtor. Albig. lib. 2. cap.14.*

* *Vid. ſupr. cap.* 8. §. 2.

[p] *Robert. Altiſſiodorenſ. Chronolog. ann.* 1209. *fol.* 104.*a. Matth. Pariſ. hiſtor. an.* 1213. *pag.* 232. *Vincent. Spec. hiſt. lib.* 29. *cap.* 103. *Antonin. hiſt. part.* 3. *tit.* 19. *cap.* 1. §. 4. *Nic. Bertrand. de geſt. Tholoſan. fol.* 29. *col.* 3.

[q] *Io. Serran. Inventar. Frãc. Camden. Britan. in* Leiceſterſhire.

[r] *Mat. Pariſ. ubi ſuprà.*

[s] *Antonin. & Nic. Bertrand. ubi ſuprà.*

* *Vid. Jo. Caſſan. Hiſt. Albig. lib.* 2. *cap.* 14.

[t] *Guil. Brit. Philippid. lib.* 8.

——— papalia iuſſa ſecutus,
Et ſubiens onus impoſitum cervice volenti,
Tale videretur ne fruſtrà nomen habere,
Hæreticos omnes totâ regione fugavit:

debellavit civitates & caſtella, & omnes hæreticos & eorum fautores ſævâ morte interire coëgit: ut eſt apud eundem [u] Guilielmum atq; Rigordum in Chronico rerum à Philippo Aug. geſtarum.

[u] *Guil. & Rigord. ad ann.* 1213. *Vincent. Specul. hiſt. lib.* 30. *cap.* 9.

27 Anno 1210. alteram adverſus Albigenſes expeditionem factam, ex Roberti Montenſis Continuatore, Roberto Altiſſiodorenſi & Godefrido Colonienſi monacho, intelligimus. quorum primus, in hoc ipſo anno Chronologiam ſuam terminans, *contra Albigeſeos hæreticos* multos accipientes Crucem in pectoribus profectos eſſe *Calendis Auguſti* notat. Secundus (qui ad ſequentem annum perduxit ſuum Chronicon) rem geſtam latiùs exponit hiſce verbis. *Anno Domini* 1210. *grandis iterum fit motio noſtrorum tam epiſcoporum quàm procerum & vulgarium. Erat enim peregrinatio iſta celebris & votiva, tum propter zelum fidei fidelium animis accenſum adverſus fidei corruptores, tum propter pœnitentiarum remiſſionem à ſede Apoſtolicâ repromiſſam. Accedentes igitur adunato exercitu, Minerbiam obſident caſtrum munitiſſimum, non longè à Carcaſſonâ ſitum & noſtris infeſtum: obſeſſi deniq́ue ad deditionem ſe offerunt. cumq́ue daretur omnibus optio, ut qui ab hæreſi reſipiſcerent immunes evaderent; reperti ſunt uſq́ue ad* * CLXXX. *circiter, qui maluerunt incendio concremari, quàm ab hæreticâ pravitate converti. Obſtupuerunt videntes tam irrevocabilem miſerorum pervicaciam, qui rationis obturbato judicio, nec monitis ſalutaribus cederent, & ad ſupplicium ſpontanei feſtinarent.* Tertius hiſtoriam hujus anni ita explicat.

* *Eorum qui* Perfecti *vocabantur (de quib. ſupr. cap.* 8. §. 2.) CXL. *hic exuſti dicuntur. Vid. Petr. Sarnenſ. hiſtor. Albigenſ. cap.* 47. *Vignier. hiſtor. eccleſ. an.* 1210. *Caſſanion. hiſtor. Albig. lib.* 3. *cap.* 7.

*Godefrid. Annal. ad an. 1210

*Eodem anno, hortatu Apoſtolici plurima multitudo ex omni Franciâ, Angliâ, & Lotharingiâ cruce ſignati ad eoſdem Begginos profecti ſunt. Qui ductoribus & rectoribus, Abbatè ſcilicet Ciſtercienſi & Simone comite de Monteforti ad Toloſam civitatem munitiſſimam deducti; eam obſidione cinxerunt. Sed cives cùm Chriſtianos & fideles ſe faterentur, & à catholicâ fide nunquam receſſiſſe: acceptis ab eis ducentis obſidibus ex melioribus, receſſerunt; & terram * Remundi, qui erat caput & princeps totius perverſitatis, & ab eis quaſi Deus colebatur, intraverunt, omnia depopulantes, quaſdam etiam civitates cum caſtellis capientes, & quos ad fidem reducere non poterant, igne cremantes. Ipſum etiam in firmiſſimo & altiſſimo caſtro nomine Termis, cum Rutgero filio ſororis Comitis S. Ægidij milite pulcherrimo & ditiſſimo obſederunt, ubi etiam idem Rutgerus ſagittâ interijt. Ipſe autem Remundus cùm per quinq; dies ibidem obſideretur & quotidie ſe populo monſtraret, auream habens in capite caſſidem: tamen diffidens de firmitate caſtri, nocte cum C. ſocijs occultè deſcendens in manus XL. peregrinorum, qui ad quendam fontem potare de caſtris ierant, incidit; à quibus cum omnibus ſuis capitur. Sed cùm infinitam pecuniam, ne in manus Teutonicorum traderetur, promitteret; non adquieverunt, ſed capitaneis exercitus eum præſentaverunt. A quibus dum ad fidem rectam redire hortaretur, & non adquieſceret; incarceraverunt eum, ubì & mortuus eſt. Caſtrum etiam capientes, & incendio deſtruentes, uxorem ſimul ejus, cum ſorore ipſius & filiâ ejus virgine & alijs nobilibus ceperunt: quæ dum nec blanditijs, nec minis molliri poſſent, ut relicto errore ad veritatis tramitem redirent, inſtructo ingenti rogo omnes crematæ ſunt.

*Raimundum de Thermis intellige, non illum (de quo Guil. Armoricanus, pag. 328.) Qui Sancti Comes Ægidij Tholoſæq; vocatur.

y Cæſar. Heiſterbach. lib. 5. cap. 21.

28 Narrat y Cæſarius, anno 1210. prædicatam eſſe contra Albienſes in Alemaniâ & Franciâ crucem: & aſcendiſſe

diſſe contra eos anno ſequenti de Alemaniâ Lupoldum Ducem Auſtriæ, Adolphum Comitem de Monte, Wilhelmum Comitem Iuliacenſem, & alios multos diverſæ conditionis atque dignitatis. Expeditionis etiam anno 1211. adverſus Albigenſes ſuſceptæ meminit Godefridus in Annalibus. *Ipſo anno* (inquit) *multitudo nobilium ex diverſis partibus cum turbâ innumerabili, ad Begginos iterum profecta, plurimas civitates & caſtra ceperunt, & magnam multitudinem eorum incendio & ſuſpendio necaverunt; terram quam ſubegerant Comiti Simoni de Monteforti tuendam commendantes.* Pleniùs verò [z] Robertus Altiſſiodorenſis: *Anno Domini 1211. majorum & minorum de Franciâ fit iterum grandis profectio adverſus hæreticos Albigenſes: & coacto in unum exercitu, Lavallis oppidum obſident, omni genere munimenti firmiſſimum, ſed hæreticâ impietate omnimodis depravatum. Nuſquam ſic evidens à fide diſceſſio, & nuſquam ſic ritus catholicus videbatur abolitus. Hîc ergo noſtri contra fidei hoſtes vehementer aſſultant, eoſque fortiter impetunt & coarctant: ſed interim dum in hâc obſidione morantur, noſtrorum numeroſa caterva juxta caſtrum, quod Mons gaudij dicitur, tranſiens intercipitur, & pro fide decertans ab hoſtibus trucidatur. Ad declarandum eorum meritum lux cæleſtis emicuit, & globus ignis ſuper corpora proſtratorum viſus eſt deſcendere, videntibus hoc plurimis, & hærentibus præ ſtupore. Advenerunt Epiſcopi, Abbates, & clerici ordinum diverſorum ibique cæmeterium dedicant, & defunctorum fidelium corpora officioſiſſimè curantes eâ quâ decuit pietate ſepeliunt. His ita geſtis, habitatores Lavallis, dum noſtrorum impetum ferre non ſuſtinerent, ad eorum libitum ſeſe dedunt. Noſtri caſtro potiti, cunctis arma detrahunt, & in loco reponunt tutiſſimo. Reperti ſunt circiter 74. milites, qui omnes ſuſpendio peri-*

[z] *Chronolog. Altiſſiod. fol.* 105.106. *Vid. Vincent. Spec. hiſt. lib.* 30. *cap.*2. *Vignier. Hiſtor. Eccleſ. an.*1211. *Caſſanion. Hiſtor. Albig. lib.* 3. *cap.*11.12.

*Apocal.*13.13. Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.

ere vel gladio. Rogus ingens extruitur, datur omnibus optio aut ab errore reſipiſcere, aut incendio deperire. Repertus eſt multus eorum numerus, quos erroris pervicacia ſic tenebat, ut mallent comburi, quàm fidem catholicam profiteri ; qui omnes ſe mutuò cohortantes, rogum accenſum ultronei ſubierunt. Domina caſtri, Girauda nomine, quæ de fratre vel filio ſe concepiſſe dicebat, projecta eſt in puteum, & acervus lapidum ſuperjectus. victualium & opulentiarum quarumlibet immenſa illic copia reperta eſt.

29 Eſt autem *Lavallis* civitas juxta Toloſam ſita, quam *à re Pulchram Vallem vocatam* ait [a] Cæſarius : ubi *populo examinato* CCCL. repertos eſſe ſcribit, qui de priſtinâ ſententiâ deduci non poterant ; *ex quibus quadringenti combuſti fuerint in igne, cæteri patibulis appenſi.* idemque *in ceteris civitatibus atq; caſtellis actum* eſſe notat, *miſeris ſe ultro morti ingerentibus.* Lavallis etiam ab alijs *Vaurum* dicitur : de cujus expugnatione locum [b] Nicolai Bertrandij (qui ex Chronico Guilielmi de Podio Laurentij deſcriptus videtur) placet ſubijcere. *Ad obſidendum caſtrum Vauri Simon cum exercitu Domini properavit : quod Aimerius Dominus Regalis Montis & Lauriaci, frater nobilis mulieris Geraldæ dominæ dicti caſtri, ob ejus gratiam ſumpſerat defendendam. Eratq; interiùs hæreticorum* [*] *inductorum non modica multitudo ; non ibi aſſiduè commorantium ; ſed plurium qui tunc convenerant à remotis, habentium ſpem, quòd plures ibi caderent vulnerati, quos ipſi ſibi reperirent ſecundùm ritum ſibi damnatum ad ſalvandum (ut dicunt) talium animas, quos in fine decipiebant, ut eorum pecunias poſſiderent Illuc ergo ſe applicuit benedictus Dei exercitus : & cinxit undiq; totum caſtrum ; & pontem fecit ligneum ſuper aquam, quo iretur in exercitum altrinſecus. Hinc inde autem obſeſſis die noctuq;*

requies

[a] *Cæſar. hiſt. lib. 5. cap. 21.*

[b] *Bertrand. de geſt. Toloſan. fol. 27.*

[*] *fort.* Indutorum, *ut paulò poſt. Vid. ſupr. cap.* 8. §. 3.

requies non dabatur; cùm aßiduè petrarijs & molaribus ac alijs bellicis aggreßionibus premerentur. Videnteſq́ quòd ſe defendere non poterant, voluntati ſe oppugnantium reddiderunt. Potitus igitur ad libitum Simon Comes caſtro ſibi tradito, dictum Aimerium magnatem nobilem cum paucis militibus in ſuſpendium elevavit: cæteroſq́ generoſos, cum quibuſdam qui ſe illis miſcuerant ſperantes quòd militibus parceretur, vſq́ circiter L X X X. *gladio conſummavit. Hæreticos quoq́ Indutos circiter* C C C. *(in quibuſdam verò Chronicis ſcribitur* C C C C.*) flammis exuſtos materialibus igni concremandos perpetuo aßignavit. Et dominam dicti caſtri Geraldam proiectam in puteum lapidibus cumulavit. Vulgus autem ſub conditionibus eſt ſervatus. Peracto itaq́ quod incumbebat ibi, ad caſtrum quod dicitur Caſſer, Dei exercitus properavit. Quo expugnato & capto, circiter* L X. *hæreticos quos invenerunt ibi pariter combuſſerunt.*

30 Caſſer *Careum* appellat Paulus Æmilius in 6°. libro de geſtis Francorum: ubi urbes à Simone Monfortio poſt Vauri expugnationem receptas ſic breviter commemorat. *Careum expugnatum: de ſexaginta impijs ſupplicium ſumptum. Exin Apiſtagnum, Galliacum, Cauſatum, Fanum Marcelli, Fanum Antonij, recepta. Cadurci advenienti Simoni deditionem authore Pontifice civitatis fecere. Non eos tantùm qui capti furore hæreſis erant, ſed omnem Comitatum Simo occupare conabatur, ſpe credo id virtutis præmium fore. Moſacum noſtros diu tenuit. Captum tandem, cædeſq́ amentium edita.* Hæc ille. [c] D. Thuanus ſimiliter: *Multa etiam Vauri crudeliter perpetrata, præfecto urbis reſte ſuſpenſo, & nobilibus cunctis ſecuri percußis. nec mulieribus abſtinuere Pontificij legati, ſed Girardam Vauri dominam in puteum præcipitatam ſaxis ſuperinjectis obruerunt, quòd eam ex fratre vel filio concepiſſe*

[c] *Thuan. hiſtor. lib. 5. ad ann. 1550.*

dicerent. Mox & Cureum, Rapiſtagium, Galliacum, Fanum Marcelli, Fanum Antonij, Cauſacum, Moeſacum vi expugnata, & magna ſtrages ijs captis à victore edita. Pennenſis verò arx in Aginnenſi agro cùm diu obſeſſa tandem victoris arbitrio ſe dedidiſſet, L X X. *milites qui in eâ erant, in furcam acti, ceteri qui errorem tuebantur, ignibus exuſti ſunt.* [d] Eodem belli impetu Toloſa urbs circunſeſſa, capi non potuit, Toloſatis, Fuxenſis, & Convenarum Comitum, qui in eâ urbe erant, virtute defenſa.

Vid. Jo. Caſſan. Hiſtor. Albigenſ. lib. 3. cap. 17. 18.

[d] Io. Marian. de reb. Hiſpan. lib. 12. cap. 2.

31 Toloſatem Comitem Raimundũ, anno 1211. *tanquam refugam fidei & publicum hoſtem Eccleſiæ, cunctis ad diripiendam expoſitum eſſe* ſcribit [e], qui hîc Chronicon & ſequente anno vitam ſuam terminavit, Robertus Altiſſiodorenſis monachus. De eodem Guililielmus Armoricanus, Philippidos libro 8°.

[e] Chronolog. Altiſſiod. fol. 106. a. b.

——— urbes & caſtra quot annus
Fertur habere dies, tot villas ille celebris
Nominis & famæ Francorum à rege tenebat;
Cui ſubjectus erat feodaliter, inque ſecundo
Per vinclum carnale gradu conjunctus eidem.
Sed poſtquàm Eccleſiæ cœpit contrarius eſſe,
Catholicæ fidei defenſans improbus hoſtes,
Hæreſiarcharum fautor, populique fidelis
Nequaquam & cleri metuens inimicus haberi:
Nec conſanguineum ſibi Rex, nec habere fidelem
Dignatus, cœpit contra illum bella movere.
Utque illi liceat punire licentiùs illum,
Quamvis ſciret idem proprio de jure licere,
Impetrare ſtudet à ſummo Præſule ſacra
Scripta, quibus pariat indulta remiſſio cunctis
Spem veniæ contra hæreticos qui bella moverent;
Per quos temnebat Chriſti Provincia legem

Et

Et ſe peſtiferi fœdabat peſte veneni.
Dehinc quia nec Papæ monitis, nec Regis amico
Conſilio Comes ille ferus parere volebat,
Ut ſaltem reprobos cuivis exponeret hoſti
Aut per ſe puniret eos, ut jura jubebant,
Immo tuetur eos, & eorum prava per ipſum
Secta viget, dum non prohibendo ſit unus eorum:
Rex & Papa ſimul, exponunt omnibus illum,
Et res & patriam totam quæ ſpectat ad illum;
Ut qui prævaleat armis & viribus illi
Tollere quid proprios licitè convertat in vſus,
Et dominus fiat rerum quas auferet illi.

32 Tenebat autem [f] *Comes Toloſanus comitatum Toloſæ, comitatum de Sancto Ægidio, Provinciam, Delphinatum, comitatum Venaiſſini, Ruthenenſem patriam, Cadurcenſem, Albigenſem, & Toloſæ circunvicinas judiciarias, Linguam Occitanam, & lata dominia intra & ultra Rhodanum & Aquitaniam.* Habebat præterea Raimundus auxilia [g] *Regis Aragonis, Comitis Fuxi, Regis Angliæ (cui erat conjunctus) potentumque ac principum, & plurimorum ſibi confœderatorum virorum.* Duxerat enim in uxorem [h] Johannam, quondam reginam Siciliæ, ſororem Johannis Regis Angliæ, ex quâ filium Raimundum (qui ex eâ familiâ poſtremus Toloſæ Comes fuit) ſuſcepit: eaque defunctâ Eleonoram ſororem Petri Regis Aragonenſis. Raimundus etiam ejus filius alteri Aragonenſis Regis ſorori *nomine Sanciæ erat matrimonio copulatus; & ex iſtâ Sanciâ genuit filiam, quæ nupſit Aldefonſo, filio Ludovici Regis Francorum, Comiti Pictavienſi.* ut lib°. 6°. de reb. Hiſpan. cap^c. 4°. refert Rodericus Toletanus. Verebatur quoque Aragonius, [i] *ne Simon Monfortius, quod agi videbatur, multorumq;*

[f] *Bertrand. de geſtis Toloſan. fol. 32. col. 4.*

[g] *Ibid.*

[h] *Rog. Hoveden. Annal. an. 1199. fol. 452. a. & ann. 1200. fol. 458. a. edit. Londin.*

[i] *Io. Marian. Præfat. in Luc. Tudenſ. contr. Albigenſ.*

rumq́; perſuaſio habebat, ſpecie pietatis alieni juris urbes principatuſq́; occuparet : [k] *ut nihil eſt mortalium animis fallacius, nihil exitialius ſimulatâ religionis ſpecie.* Itaque [l] *Albigenſibus confœderatus, aſſociatis ſibi Comitibus* Fuxi & Convenarum (ita legendum in hiſtoriâ Matthæi Pariſij, non ut habet codex impreſſus corruptiſſimè, *fugit & convenit) cum Toloſanis, R. quoq́; de Beders cum ſuis Bederanis, & de conprovincialibus innumeris convocatis,* exercitum magnum congregavit : in quo centum hominum millia fuiſſe [m] auctores affirmant. *Circiter centum millia armatorum,* inquit [n] Paulus Æmilius, *in acie adverſus Simonem, ne decimâ quidem parte hoſti parem, conſtitiſſe ferunt.* Guilielmus Armoricanus, ne centeſimâ quidem parte hoſti parem fuiſſe ait. Sic enim ille in 8°. Philippidos :

Ipſe etiam ut vidit tot millibus undiq́; Simon
Se circumcingi, nec corpora ſe tot habere
Singula quot numero centenos hoſtis habebat ;
Conſulit & tali compellat famine Francos.

33 Idem in Chronico, quod de rebus Philippi Aug. ſolutâ oratione congeſſit, Simonem habuiſſe ſcribit 250. *milites, & circiter* 500. *ſatellites equites, & peregrinos pedites ferè* 700. *inermes.* Conſentiunt [o] Rigordus & [p] Vincentius Bellovacenſis : niſi quòd pro 250. *militibus,* 260. ponũt. [q] Antoninus illũ 260. *milites, ac armatos pedites* 500. habuiſſe ait. Petrus Sarnenſis equites ei tribuit 800. pedites, [r] alij 200. [ſ] alij 1000. numerant. [t] Nicolaus Bertrandius copias illius univerſas redigit *ad mille numerũ armatorũ.* Mille & ducentos cõmemorat Guilielmus Armoricanus in illis verſibus :

Inq; brevi ſpatio concludere millia centum
Intra ſe putavere viros vix mille ducentos.

[k] *Id. de reb. Hiſpan. lib.* 12. *cap.* 2.
[l] *Matth. Pariſ. hiſt. ann.* 1213. *pag.* 236.
[m] *Io. Marian. de reb. Hiſpan. lib.* 12. *cap.* 2. *Nicol. Vignier. Hiſt. Eccleſ. an.* 1213. *Io. Caſſan. Hiſt. Albig. lib.* 3. *cap.* 23. *ex* Petro Sarnẽſi monacho.
[n] *P. Æmil. de geſt. Franc. lib.* 6.
[o] *Rigord. de geſt. Philippi Aug. an.* 1213.
[p] *Vincent. Spec. hiſtor. lib.* 30. *cap.* 9.
[q] *Antonin. hiſt. part.* 3. *tit.* 19. *cap.* 1. §. 5.
[r] *Vignier. hiſt. eccl. ann.* 1213.
[ſ] *Marian. de reb. Hiſpan. lib.* 12. *cap.* 2. & *Præfat. in Luc. Tudenſ.*
[t] *Bertrand. geſt. Toloſan. fol.* 27. *col.* 2.

Idem

Idem tamen paulò ante, Simoni quidem aſſignat numerum propè dimidio minorem, parti verò adverſæ duplo planè majorem. Adſcribam locum ex 8°. Philippidos.

Confugit ergo comes Reymundus ad Arragonenſis
Auxilium Regis; qui congregat agmina regno
Quotquot habere poterat: nec defuit illi
Fuſinus comes & Toloſanæ copia gentis,
Maſsilijque viri, quoſq́ illi miſit Avigno,
Albia chara Nemaus, & quos miſere Navarri,
Et quos nutrierat Carcaſſo, Comeſq́ Bicorrus.
Conveniunt omnes numero bis millia centum,
Mente unâ cupidi cum Simone vincere Francos,
Et dare vel morti, patriâ vel pellere totâ;
Armis inſtructi, ſed nec virtutis egeni,
Quorum ſemper erat probitas exercita bellis,
Et feritas aſſueta neci, cædiq́ dicata.
Hi tantis certant cum Simone viribus, ut vix
Se ſocioſq́ ſuos defendere poſſet ab illis:
Cujus erant equites cum quadraginta ducenti
Septuaginta in equis famuli pediteſq́ trecenti;
Cum quibus ipſe volens fortunæ cedere forti
Murelli tutâ cautè ſe clauſit in arce.

34 Extant [u] literæ Prælatorum Galliæ, qui juſſu Arnoldi archiepiſcopi Narbonenſis Rom. Pontificis legati Cruceſignatorum caſtra tum ſecuti ſunt: quarum hoc initium. *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ pax hominibus, qui ſanctam Eccleſiam bonâ diligunt voluntate. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, quintâ feriâ infra octavas Nativitatis B. Mariæ Virginis, ſanctæ conceſsit Eccleſiæ (dejectis miraculoſè inimicis fidei Chriſtianæ) victoriam glorioſam, & triumphum glorioſum,*

[u] *ad calcem Continuationis Belli Sacri, edit. Baſil. an.* 1560. *pag.* 240.

*in hunc modum. Poſt correctionem affectuoſiſſimam & zelo paternæ pietatis à ſummo Pontifice diligentiſſimè factam Regi Arragonenſi, inhibitionemq́ue diſtrictiſſimam; ne inimicis ſanctæ fidei pararet auxilium, conſilium vel favorem, ſed ab eiſdem recederet indilatè, & treugas haberet firmiſſimas cum comite Montefortenſi; quibuſdam etiam literis, quas ejuſdem nuncij per falſiſſimam ſuggeſtionem, contra Comitem Montefortenſem impetravit, de terris reddendis Comitibus Fluſſatium, Convenarum, Gaſconiæ, & Biarnæ, poſt veritatis cognitionem caſſatis à domino Papâ, & tanquam nullius valoris penitus * renovatis. Idem Rex correctionem patris ſanctiſſimi non devotione ſuſcipiens filiali, ſed contra mandatum Apoſtolicum ſuperbè recalcitrans, quaſi cor habens duriùs induratum; licèt venerabiles patres, Narbonenſis Archiepiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus, Toloſanus epiſcopus, ſibi literas & mandatum ſummi Pontificis tranſmiſiſſent: ipſe quæ pridem conceperat, voluit poſtmodum parturire. Quia in terram quæ per virtutem Domini, auxilio ſignatorum contra hæreticos & eorum defenſores fuerat acquiſita, intravit cum exercitu; eamq́ue contra mandatum ſibi ſubjugavit, & prædictis inimicis reddere attentavit. Parte cujus jam, ſibi aliquantulum ſubjugatâ, cùm pars multa reſidui ob ipſius ſecuritatem apoſtatare intenderet, & ſe ad apoſtatandum pararet; congregatis inſimul Comitibus Toloſatium, Fluſſatium, Convenarum, exercitu magno valde, feriâ tertiâ poſt Nativitatem B. Mariæ Maurelli caſtrum obſedit.* Tum ſequitur rei ad Murellum geſtæ narratio: quam hinc deſcriptam hiſtoriæ ſuæ inſeruit ˣ Matthæus Pariſius.

* revocatis.

35 Eam pleniùs explicat, qui hiſce temporibus in Sarnenſi cœnobio Ciſtercienſis ordinis monachus fuit, ʸ Petrus de Vallibus, Carcaſſonenſis epiſcopi nepos:

ˣ Mat. Pariſ. hiſt. an. 1213. pag. 236.

ʸ Vid. Petr. de Vall. Hiſtor. Albigenſ. cap. 125. 126. 127. 128.

pos: cujus Hiſtoriam Albigenſem, ex Latino in Gallicum ſermonem tranſlatam, Pariſijs an°. 1569. edendam curavit Arnaldus Sorbinus Toloſanorum theologus. Meminit ejuſdem prælij, qui tum quoq; claruit, Rodericus Toletanns, de reb. Hiſpan. lib. 6. cap. 4. ubi *Petrum* Regem Aragonium occubuiſſe notat, & cum eo *Aznarium Pardi, & Petrum Pardi filium ejus, & Gometium de Luna, & Michaelem de Luſia, & multos alios de potioribus Aragonis. Cæſus eſt Rex Aragonum,* inquit [z] Theodoricus de Appoldiâ, *atq; utinam, arma ferens adverſus Eccleſiam, non æternam oppetierit mortem.* De ejuſdem cæde Gallici Prælati (& eos ſecutus Matthæus Pariſius) verba facientes, *De illuſtri rege Aragonum,* inquiunt, *qui cum interfectis occubuit, plurimum eſt dolendum: qui princeps tam potens & nobilis, (qui ſi vellet, poſſet, & deberet Eccleſiæ ſanctæ utilis eſſe multùm; nunc adjunctus Chriſti hoſtibus, inimicus Chriſti eſt) ſanctam Eccleſiam improbè perturbabat.* Pergunt Prælati in eâdem epiſtolâ. *Cæterùm cùm victores Chriſti à cæde revertuntur, & à perſecutione hoſtium cum victoriâ glorioſâ, Epiſcopus Toloſanus, Toloſanorum ſtragi & miſeriæ caritativè ac miſericorditer compatiens, corde pio eos, qui de ſtragis reſiduo adhuc infra ſua tentoria morabantur, ſalvare cupiens, ne perirent; ut ſaltem tantorum flagellorum verbere caſtigati, & tantum periculum evadentes, converterentur ad Dominum, & viverent, in fide catholicâ permanſuri: miſſâ eis per quendam religioſum cucullâ, quâ indutus erat, mandavit eis, quòd nunc arma, deinde & ſuam deponerent feritatem, & inermes venirent ad Epiſcopum, ut eos ſalvaret à morte. Qui adhuc in ſuâ perſeverantes malitiâ, & ſe qui jam victi erant,* [cc] *Chriſti populum victũ autumantes; non ſolùm* * *patriæ ſui Epiſcopi admonitionibus contempſerunt,*

[z] *Theodor. Appold. in Vit. Dominici, lib. 1. cap. 11.*

[cc] *Vid. ſupr. cap. 6. §. 6.*

* parere

verùm etiam ablatâ cucullâ ipſum nuncium lanceis vulneraverunt. per quos Chriſti militia recurſum faciens, circa ſua diffugientes tentoria interemit. Certus hoſtium interfectorum numerus, tam militum quàm aliorum, præ multitudine nullatenus ſciri poteſt. De militibus autem Chriſti unus ſolus tanto interemptus eſt conflictu, & pauciſſimi ſervientes.

36 Numerum interfectorum, quem iſti qui prælij ſpectatores fuerunt (& poſt eos Matthæus Pariſius) incertum fuiſſe profitentur, poſteriores ſcriptores certum reddere conati, incertiorem fecerunt. [a] VII. millia in Chronico quodam hujus temporis Ms°. numerantur. XV. millia habet [b] Nicolaus Bertrandius: *ferè* XVII. *millia periſſe* dicit [c] Antoninus. [d] Rigordus & [e] Vincentius & [f] Thuanus ſimiliter XVII. millia cæſa fuiſſe narrant; ex Simonis præſidio octo tantùm amiſſis. quod Guilielmus Armoricanus in 8°. Philippidos ſic expreſſit:

Inq; die virtus Francorum claruit illo
Tanta, quòd adjunctis ter millia quina duobus
Millibus ad Stygiam lux miſerit una paludem:
Dextraq; texit eos tanto divina favore,
Quòd tantùm exciderint ex agmine Francigenarum
Octo peregrini, quos repperit hoſtis inermis.

In Chronico ejuſdem Guilielmi Ms°. *decem & octo millia* leguntur: quem numerum [g] Robertus Gaguinus & [h] Papirius Maſſonus retinent. Alij, inter quos [i] Paulus Æmilius, *plus viginti millia deſiderata* aſſerunt. Petrus Sarnenſis ([k] Jo. Caſſanione referente) circiter XXXII. millia partim gladio partim flumine abſumpta ſcribit. Nec minorem victoriam ſub idem tempus à Johanne Anglorum Rege (qui Albigenſium

[a] *Vignier. Hiſt. Eccleſ. an.* 1213.
[b] *Bertrand. geſt. Toloſan. fol.* 27. *col.* 3.
[c] *Antonin. hiſt. part.* 3. *tit.* 19. *cap.* 1. §. 5.
[d] *Rigord. de geſt. Philippi Aug. an.* 1213.
[e] *Vincent. Spec. hiſt. lib.* 30. *cap.* 9.
[f] *Thuan. hiſt. lib.* 5. *ad ann.* 1550.
[g] *Gaguin. de geſt. Franc. lib.* 6.
[h] *Maſſon. Annal. lib.* 3.
[i] *P. Æmil. de geſt. Frãc. lib.* 6. *Vid. Vignier. Hiſt. Eccleſ. an.* 1213. *Bernard. Girard. Hiſtor. Franc. lib.* 10. *Jeſuit. Sicar. edit. Lugdun. an.* 1611. *pag.* 291.
[k] *Caſſan. Hiſt. Albig. lib.* 3. *cap.* 22.

ſium ſuſcepto patrocinio, ingentem exercitum, duce Savarico de Malo leone, contra Cruceſignatos inſtruxerat) Simon Monfortius reportavit; ſi quæ fides Poëtæ adhibenda. Ita certè canit in 8°. Philippidos ſuæ libro Guilielmus Armoricanus:

Non minor hâc iterum victoria contigit illis
Circa tempus idem, quando victricibus armis
Xantos, Burdigales, Blavios, Pictones & Anglos,
Innumeroſq́ alios, varijs à partibus illuc
Contra Catholicos mittente Iohanne profectos,
Simonis edomuit virtus, & nobile robur
Gentis Francigenæ numero breve, viribus ingens;
Quæ ſummâ meruit efferri laude per orbem,
Multa triumphali dum cædit millia ferro.
Unde quidem pauci fugientes cum Saverico,
Quem Rex Anglorum temerè præfecerat illis,
Vix vitam ſalvare fugâ meruere pudendâ.

Et in ejuſdem libri Argumento:

Rex dolet hæreticos non poſſe juvare Iohannes,
Inq́ Deum famuloſq́ ſuos ulciſcitur iram.

37 Pontificij, inopinatam illam ad Murellum conſecuti victoriam, inſtaurant copias, & ſuos denuo ad arma vocant. Sic enim in fine ſuarum literarum Gallicani illi Præſules, qui rei geſtæ interfuerunt, bellicum canunt; Cruceſignatos ad Toloſenſium & Albigenſium reliquias excindendas, novis propoſitis indulgentijs, excitantes. *Cùm Dominus Papa contra ipſos, fideles quoſq́ populos per indulgentias innovatas jubeat exhortari: fidelitatem veſtram in Domino monemus, & rogamus, quatenus ad reſiduum tantæ militiæ deſtruendũ, muniti ſigno Crucis in pectore, contra crucis inimicos duriſſimos veniatis; ut per laborem meritorum & auxilium noſtrum, de-*

ſtructis adverſitatibus & erroribus univerſis, ſponſa Chriſti Chriſto ſecurâ deſerviat libertate. Novit enim univerſitas veſtra, ſicut nos credimus, & ſine omni ambiguitate noſcere debet; quòd ſummus Pontifex ad extirpandam hæreticam pravitatem, laborem hujus vitæ & protractum negotij fidei injunxit, & modò per innovatam indulgentiam injunget univerſis Christi fidelibus, in remiſſionem omnium peccatorum ſuorum. Eia ergo, accingite vos milites Chriſti, ad vindicandum Chriſti injuriam; ſecuri pro certo, quòd jam incipit cauda poni in ſacrificium, & finis toto negotio Ieſu Chriſti, vobis ſuccurrentibus, appropinquat, Datum * *milleſimo, in craſtino victoriæ glorioſæ, ſcilicet ſextâ feriâ poſt octavas Nativitatis beatæ Mariæ virginis, Anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo tertio, menſe Septembri.* Hinc nova quotidie Cruceſignatorum ſubſidia ad Simonem Monfortium acceſſerunt: de quibus [1] Hugo Altiſſiodorenſis monachus. *Miſit Dominus ſingulis annis tam ex Franciâ, quàm ex alijs terris in adjutorium ejus multos, qui ex devotione propriâ aſſuerunt ſibi in pectore ſignum Crucis, ut venientes ſtarent cum eo contra hoſtes fidei ad minùs* XL.*diebus, propter indulgentiam à Sede Apoſtolicâ ei factam.* His ſe adjunxit (quemadmodum ad annum 1214. ex *Hiſtoriâ Albigenſium* & *Chronico Comitis Monfortij* refert Nicolaus Vignierus) *Guilielmus Barrius, vir bellicâ laude nobilis: quorum auxilijs fretus Monſortius, iteratis contra Comitem Toloſanum & Albigenſes prælijs, Narbonenſes oppugnavit, arcem Maurillaci recuperavit, in quâ Waldenſes ſeptem exuſti ſunt: Montempeſatum etiam, Marmandam, Caſſevolas, Cadenacum recepit; aliaq; oppida complura in agro Aginnenſi, Petrogorico, Lemovicenſi, Quercienſi & Ruteno occupavit. in quibus tria erant apud Petrogoros; Mons-fortis ſcilicet, Caſtrũ-novum,*

* *fort.* Murelli

[1] *Chronolog. Altiſſiod. fol.* 110. *a.*

&

& Bamaca : unde Albigenſium ſecta ante annos 100. *prodijſſe dicebatur.* Sic ille *bellum circumtulit*, ut in 6° libro de geſtis Francorum ſcribit Paulus Æmilius, *oppida circumjecta cepit : præcipuè in Agenenſium & Ruthenorum finibus non parva nec pauca in ditionem redegit ; non quòd omnia illa impiè ſentirent, ſed ne juvare impios* (ſcilicet) *poſſent. & Simo magnam ſpem animo conceperat, parvas opes pro virtute ſuâ nobilitateq; generis habere ſe arbitratus : & filios habebat fortiſſimos florentiſſimoſq; juvenes, Almericum Simonemq;.* Hæc P. Æmilius.

38 Sub initium anni 1215. operâ Petri Beneventani, S. Mariæ in Acquiro Diaconi Cardinalis, Romani Pontificis in Galliâ legati, apud Montem Peſſulanum habitum eſt Concilium : cui Archiepiſcopi quinque, Epiſcopi octo & viginti, alijque innumeri eccleſiaſtici ordinis viri interfuerunt. In eo, Simon Monfortius ditionum omnium quæ bello partæ fuerant dominus declaratus eſt : miſſuſque ad Pontificem Ebrunenſis Præſul, ut Concilij ſententiam ipſi probarent. Simoni interea poſſeſſio confirmata eſt à Ludovico, Philippi Francorum Regis primogenito : qui ante triennium Cruce adverſus Albigenſes ſignatus, hoc demum anno votum ſolvit ; Philippo Bellovacorum Pontifice, Gualtero Comite S. Pauli, Adamo Vicecomite Meleduni, Matthæo Montis Maurencij domino, & multis alijs magnatibus comitatus. Adventum ejus minùs æquo animo tuliſſe Legatum Pontificium Petrus Sarnenſis ſignificat : quippe veritum, ne præter animi ſui ſententiam, Rex Francorum de terrâ, quam hæreſi infectam purgare ipſe tamdiu neglexerat, & Pontifex ope Cruceſignatorum obtinuerat, velut ſupremus illius Dominus quicquam

Papir. Maſſon. Annal. lib. 3. Jo. Marian. de reb. Hiſpan. lib. 12. cap. 3. Jo. Caſſanion. Hiſtor. Albig. lib. 4. cap. 2. Nic. Vignier. hiſt. eccleſ. ann. 1215.

quicquam ſtatueret. Quid verò hîc geſtum fuerit à Ludouico, Guilielmus Armoricanus in Chronico (quod nondum typis eſt excuſum) ita explicat. *Anno Domini 1215. arripuit iter eundi in Albigenſes Ludovicus filius regis Philippi cruceſignatus, cui venit obviam Simon ille nobilis Comes Montisfortis apud Montem Peſſulanum: qui receptâ à Peſſulanis purgatione canonicâ, & cautione de fide catholicâ de cetero firmiter obſervandâ, duxerunt exercitum uſque Toloſam & eam obſederunt. Toloſanis autem pro pace ſupplicantibus, turrellis & propugnaculis ad voluntatem Ludovici & Simonis Comitis ex condicto diruptis, obſidio ſoluta eſt ſub hoc pacto, quòd hæreticis omnibus converti nolentibus de civitate ejectis, catholicè viverent de cetero & mandatis Apoſtolicis obedirent.* De eodem Papirius Maſſonus, libro 3°. Annalium: *Petrus Beneventanus Innocentij nomine Ludovicum rogavit, ut Narbonis Martij, Toloſæ & rebellium oppidorum mœnia dirui juberet. Primi Narbonenſes imperata fecere, exinde Toloſa metu majoris mali ipſa ſe mœnibus nudavit.* [m] Johannes Mariana ait Simonem, *ſuſcepto principatu Toloſam, Carcaſonem, atq́; Narbonem mœnibus nudaviſſe, civium diffidentem voluntatibus.* quò pertinet & ille locus [n] Nicolai Bertrandij: *Fuit traditum caſtrum Narbonenſe Comiti Simoni, & juratum dominium à civibus atque burgenſibus Toloſanis, & ipſe nominatus & habitus pro Comite Toloſano: & à notarijs ponebatur Comes in publicis inſtrumentis. Fecitq́; dirui muros civitatis & parietes burgi, & æquari foſſata, & turres domorum fortium infra villam deſtrui, & catenas ex compitis amoveri fecit; ut ultra non addiſcerent inſurgere contra ipſum. Et caſtrum Narbonenſe quod tunc ſolidum erat uſque ad altum (ſicut & nunc eſt) fecit evacuari tellure, & portam aperiri ab oriente; ut ignorantibus aut*

[m] *Marian. de reb. Hiſpan. lib. 12 cap. 4.*

[n] *Bertrand. geſt. Toloſan. fol. 27. col. 1.*

*aut invitis civibus caſtrum poſſet ingredi quando vellet: jußitq́; foſſata magna fieri in caſtrum & civitatem, & cingi magnis * ſedibus.*

39 Comes Raimundus è poſſeſſionibus ſuis hoc modo exturbatus, unâ cum filio Raimundo ad Lateranenſe Concilium ſe recepit: ex adverſâ parte Guidone fratre Comitis Monfortij comparente. Poſt longam diſceptationem, adjudicata eſt terra Simoni Monfortio, atque Raimundo *abjudicata omnia, feuda videlicet & allodia, civitates & caſtra:* ut in 5°. hiſtoriarum libro, cap^e^.21°.ſcribit Cæſarius Heiſterbachenſis monachus. Decreti verba hæc ſunt. ° *Sacri Concilij conſilio ita duximus providendum* (inquit Papa Innocentius) *ut quoniam Raimundus quondam Comes Toloſanus culpabilis repertus eſt, nec unquam ſub ejus regimine terra potuit in pacis & fidei ſtatu ſervari; ſicut ex longo tempore certis indicijs eſt compertum: ab ejus dominio, quod pravè geßit, perpetuo ſit excluſus, extra terram ipſam in loco idoneo moraturus, ubi dignam agat pœnitentiam deportatus. Verùm de proventibus terræ* CCCC. *marchas percipiat annuatim, quandiu curaverit humiliter obedire.* U*xor verò ipſius Comitis ſoror quondam Regis Aragon. cui ab omnibus laudabile teſtimonium perhibetur, quòd ſit catholica mulier, & honeſta; terras ad ſuum dotalicium pertinentes integrè habeat, & quietè: ita tamen, ut ſic ad mandatum Eccleſiæ faciat cuſtodiri, quòd per ipſas negotium pacis & fidei non valeat perturbari. Tota verò terra, quam obtinuerunt Cruceſignati adverſus hæreticos credentes, & fautores, & receptores eorum cum Monte Albano, atq́; Toloſâ, quæ magis extitit hæreticâ labe corrupta, dimittatur & concedatur (ſalvo per omnia catholicorum jure virorum & mulierum, & eccleſiarum) Comiti Montisfortis, viro ſtrenuo & catholico,*

* *fort.* ſudibus.

Nic. Bertrand. de geſt. Toloſan. fol. 26. col. 4. & fol. 27. col. 1. Paul. Æmil. de geſt. Franc. lib. 6. Jo. Marian. de reb. Hiſpan. lib. 12. cap. 4. Magdeburgenſ. Centur. 13. col. 836. Renat. Choppin. de Domanio Franciæ, lib. 1. tit. 7. Io. Caſſanion. hiſtor. Albig. lib. 4. cap. 3.

° *Antiqu. Collect. IV. Decretal. lib. 5. tit. 5. cap. 1. pag. 785. edit. Pariſ. ann.* 1609.

qui plus ceteris in hoc negotio laboravit, ut eam teneat, à quibus eſt de jure tenenda: reſidua vero terra, quæ non fuit à Cruce ſignatis obtenta, cuſtodiatur ad mandatũ Eccleſiæ per viros idoneos, qui negotium pacis & fidei manu teneant & defendant; ut provideri poſſit unico filio Comitis prædicti Toloſani. & poſtquam ad legitimam ætatem pervenerit, ſi talem ſe ſtuduerit exhibere, quòd in toto vel in parte ipſi merito debeat provideri; prout magis videbitur expedire.

40 Ita exauthorato Raimundo, *Simon Comes Montisfortis factus eſt Comes Toloſanus, Innocentio Papâ procurante, & Rege Philippo concedente propter hæreticam pravitatem Albigenſium, & propter apoſtaſiam Raimundi Comitis Toloſani:* ut inquit Rigordus, Regius Chronographus in geſtis Philippi Aug. Et, ut addunt [p] alij, *ad Regem Francorum profectus, ſe ei ſanctiſſimi juriſjurandi religione obſtrinxit, quaſi beneficiarius: oſculumque utrimque delibatum eſt perpetuæ amicitiæ pignus.* Comes verò Raimundus [q] *ceſſit in Hiſpaniam: & filius ejus Raimundus venit in Provinciam, Comite Simone Toloſæ dominium jam adepto. Fuitq́ dictus Raimundus à civibus Avinionenſibus receptus;* & *converſa eſt ad eum terra ſimiliter Veneiſini:* ejuſque [r] *armis multa oppida continuo ad Rhodanum ceſſerunt. Profugos & egenos Principes, multi totâ Galliâ reguli, & ex Catalauniâ non pauci viribus & copijs adjuvabant.* In quas verò hîc anguſtias adductus fuerit Monfortius, ex Hugone Altiſſiodorenſi monacho, Roberti continuatore, intelligimus: cujus verba hæc ſunt. *Anno Domini 1216. venit circa Cal. Maij Pariſius vir illuſtris Simon Comes Montisfortis, qui infra 8. annos ita favente Domino prævaluerat adverſus hæreticos in Provinciâ Narbonenſi, ut debellatis illis ipſe ſe ſcriberet in literis ſuis Vicecomitem Carcaſſonæ & Biterris, & Ducem Narbo-*

[p] *Paul. Æmil. de geſt. Franc. lib. 6. Marian. de reb. Hiſpan. lib. 12. cap. 4.*

[q] *Nic. Bertrãd. de geſt. Toloſan. fol. 27. col. 3. 4.*

[r] *Marian. ubi ſupra. Vid. Vignier. hiſt. eccleſ. an. 1216. & 1217. Paul. Æmil. de geſt. Franc. lib. 6. fol. 134. edit. Pariſ. an. 1544*

Narbonenſem. Veniens verò per ſingulas civitates vel caſtella cum mirâ devotione tam cleri quàm populi nec non & ſolenni proceſsione ſuſceptus eſt. Venit autem contra Arragones auxilium petiturus, à quibus propter necem Petri Regis Arragonum, graves ſuſtinebat inſultus. & in ſequentis anni hiſtoriâ. *Circa dies illos venit in Franciam uxor illuſtris Comitis Simonis Montisfortis, contra hæreticos auxilium petitura. Ita enim arctaverant virum ſuum Comes Toloſanus & ultores mortis Regis Arragonum qui in manu validâ venerant contra eum, ut perditis quibuſdam caſtris cum ipſâ urbe Toloſâ, quam potenter poſſederat, vix ſpem haberet de reliquo retinendo, niſi ſuccurſus ei celeriter præſtaretur.* Plenius verò rem poſt Raimundi reditum geſtam, Nicolaus Bertrandius ex Chronico (ut videtur) Guilielmi de Podio Laurentij ita explicat.

41 [f] *Anno Domini* 1217. *cùm Comes Simon guerram longè gereret cum Ademario & Pictavis ultra Rhodanum: obſervatâ temporis opportunitate Raimundus Comes cum Convenarum & Fuxi Comitibus & paucis militibus tranſijt* * *Pixentium, & intravit Toloſam menſe Septembris, non ponte ſed vado. Quod cùm pauci ſcirent, quibuſdam placuit, quibuſdam verò diſplicuit. Comes verò Guido, qui erat in terrâ pro Comite Simone patre ſuo, tentavit ferro recentem motum compeſcere: ſed repulſus non valuit adimplere. Interim autem dum iſta Comiti Simoni nunciantur tenenti obſidia apud Creſtam; nunciatur quòd cives Toloſani cæperunt contra caſtrum claudere civitatem palis,* * *ſedibus, ac foſſatis. Veniensq́ Simon cum Domino Bertrando Cardinali, miſſo legato ab Honorio Papâ tertio,* (" à quo creatus ille presbyter Cardinalis S S. Johannis & Pauli, primo Pontificatus ſui anno, legatus contra Albigenſes in Gallias miſſus aliquot ibi annis permanſit)

[f] *Bertrād. geſt. Toloſan. fol.* 27. *col.* 4.

* *fort.* Pyrenæum

* ſudibus

" *Vid. Alphōſ. Ciacon. in Vit. Pontiff. & Cardin. pag.* 543.

manſit)

manſit) *invaſit in manu validâ civitatem: ſed defendentibus ſe viriliter civibus nihil potuit illâ vice. Deniq; machinæ undiq; eriguntur & mittuntur: & molares lapides verſâ vice jactantur. Interea in Franciâ à legato dominus Fulco Epiſcopus Toloſanus prædicaturus Crucem monetur, cum alijs qui mandatum habuerant cum eodem. Cum quibus affuit magiſter Iacobus de Vitriaco, vir magnæ honeſtatis & literaturæ ac eloquentiæ, qui poſtea Epiſcopus Achonenſis deinde in Romanâ Curiâ Cardinalis: cui injunctum fuerat per viſionem in ſomnijs à B. Saturnino Toloſæ protopræſule ut contra ſuum populum prædicaret. Et illâ prædicatione multos cruce ſignaverunt, qui venerunt in illâ obſidione Toloſæ verno tempore ſubſequenti. Cùm igitur labor pugnæ tam obſeſſis quàm obſidentibus per totam hyemem tam cum machinis quàm alijs inſtrumentis bellicis perduraſſet: Comes Simon roboratus recentibus peregrinis, non tam aggreſſionibus quæ fiebant extrinſecus, quàm etiam diſcurſibus qui fiebant circa villam (quos & cives impediebant barrerijs & foſſatis) adverſarios infeſtabat. Quorum demum fuit conſilium ædificare machinam ligneam, quam vocabant catham: cum quâ terram & ligna pertraherent. Cumq; intra catham illam in craſtino matutino S. Iohannis Baptiſtæ anno Domini* 1218. *immiſſus ab adverſâ parte fuiſſet lapis: cecidit ſuper caput Comitis; & comminutus expiravit. Quod civibus intra villam innotuit illâ die; qui quantam haberent lætitiam clamoſis exultationibus non celârunt. Ecce cujus terror erat uſq; ad mare Britannicum, cadit ſub lapidis uno ictu: in cujus caſu qui ei aſteterant ceciderunt.* &c. [t] *Defuncto autem Simone Comite, ſucceſſor ejus & hæres ipſius filius Amalricus ab obſidione receſſit, caſtrum reſignans, quod tenere non poterat, Narbonenſe: & corpus paternum apud Carcaſſonam eviſceratum more Gallico exportavit.*

Vid. Nic. Vignier. Hiſt. Eccleſ. ann. 1218. Jo. Caſſanon. Hiſtor. Albig. lib. 4. cap. 10.

[t] *Bertrand. geſt. Toloſan. fol. 28. col. 2.*

portavit. Vacillante igitur terrâ, poſt paucos dies caſtrum novum de Arrio redditur Raimundo veteri Comiti Toloſano: quod Comes Amalricus non eſt cunctatus collectis exercitibus obſidere, erectis machinis, contra ipſum tenentem illud, atq; id ſtabilientem Raimundum juniorem filium Raimundi veteris Comitis Toloſani. Factumq́ eſt una die quòd in quodam inſultu cecidit Guido Comes Bigorræ, frater Comitis Amalrici & filius quondam Simonis jam defuncti; & confoſſus vulneribus expiravit. Et ab æſtatis fine uſque ad finem hyemis eſt certatum. Demum plura caſtra ſe reddiderunt & adhæſerunt veteri Comiti Toloſano.* Hæc ibi. * ann. 1230. Vid. infr. §. 44.

42 Mortem Simonis Monfortij his verſibus celebrat [u] Guilielmus Armoricanus: [u] Guil. Brito, Philippid. lib. 12. pag. 385.

Non multo poſt hæc Simon (magis unde dolendum,
Martyris in palmâ ratio niſi flere vetaret)
Inclytus ille Comes Toloſanam dum obſidet urbem
Quæ fidei noſtræ contraria ſuſcipiebat
Hæreticos, nec adhuc peſtes evitat eorum,
Raptus ab hâc ſubitò lachrymarum valle beato
Martyrio ad ſedes meruit migrare ſupernas,
Gaudia Martyribus addens, concivis eorum
Factus, ubi ætherea cum Chriſto regnat in aulâ;
Viſio cujus eum ſic paſcit ſola, quòd ipſo
Dum ſemper fruitur nunquam faſtidia ſentit.
Cujus ab interitu valde pars catholicorum
Infirmata dolet, & pars adverſa ſuperbit.
Sed nec Amalricus ejuſdem nobilis hæres
Patris onus ſubiens ætate inſufficienti
Tot contra fortes ſolus pugnare valebat.
Tunc Rex magnanimus pereunti in partibus illis
Compatiens fidei, pietatis ſemper abundans
Viſceribus ſuper afflictos, tam grande periclum

Antidotare volens, ad ſola ſtipendia fiſci
Sexcentos equites & millia dena clientes
Armis inſtructos animoque & corpore fortes
Miſit Amalrico ſuccurſum in tempore gratum.

[x] Rigord. de geſt. Philip. pag. 225.

De Philippo Aug. Francorum rege loquitur : qui *ad ſenium vergens* (ut inquit [x] Rigordus) *proprio filio ſuo primogenito non pepercit, quin eum mitteret bis adverſus hæreticos Albigenſes cum magnis ſumptibus & expenſis.*

43 Poſterior filij Regis expeditio incidit in annum Domini 1219. *In Aſcenſione Domini ejus anni* (ait in rerum à Philippo geſtarum Chronico Ms°. Guiliel-mus Armoricanus) *arripuit iter eundi in Albigenſes, miſſus à patre ſuo, Ludovicus primogenitus Philippi regis: & cum eo Petrus Dux Britanniæ, Noviomenſis, Silvanectenſis, Tornacenſis, & multi alij Epiſcopi & Barones, & infinita militum & peditum multitudo. Inveneruntque Almericum Comitem, ſanctiſſimæ memoriæ Simonis Comitis fortis filium, in obſidione Miromandæ: quam cum eodem Almarico ceperunt; & interfecerunt omnes municipes cum mulieribus & parvulis, & omnes indigenas uſque ad quinque millia. Inde autem profecti obſederunt Toloſam, & tepidè oppugnaverunt eam, quibuſdam de noſtris proditiosè impedientibus negotium Crucifixi: ſicque infecto negotio redierunt in patriam, minùs laudis quàm vituperij reportantes.*

[y] Chronolog. Altiſſiod. fol. 111. Antonin. hiſt. part. 3. tit. 19. cap. 3. §. 1.

De eâdem expeditione [y] Hugo Altiſſiodorenſis monachus: *Anno Domini 1219. Ludovicus filius Regis Francorum cum copioſo exercitu Cruceſignatorum de cunctis Galliæ partibus iter movet adverſus hæreticos Toloſanos; primumque caſtrum Millemandat ab hæreticis munitum obſidet, impugnat. Deinde Toloſam tendit, eamque obſidet, ſed proditione (ut dicitur) interveniente inefficax redit. Poſt cujus reditum noſtri à Toloſanis hæreticis, ſolito audacioribus*

factis,

factis, multas moleſtias patiuntur; nonnulla caſtra amittentes quæ, proditione quorundam, hæretici in ſuam redigunt poteſtatem. Et [z] Matthæus Pariſius, ad eundem annum: *Circa hæc tempora, Ludovicus filius Philippi Regis Francorum primogenitus, ad inſtantiam patris ſui innumerabilem collegit exercitum, ut hæreticos Albigenſes, impugnaret: veniensq; cum omni multitudine ſuâ ad urbem Toloſanam, cujus habitatores ex diu dicebantur hæreticâ pravitate fædati, illam obſidione vallavit. Machinis igitur per gyrum collocatis, inſultus acerrimos crebriùs iterabant. Quod cùm cives cognoviſſent, ad defenſionem ſeſe præparabant, machinaſque contra machinas erigebant. Ubi cùm Francorum exercitus diu & inaniter laborâſſet, facta eſt in populo fames valida, quam etiam ſubſecuta eſt dira mortalitas, tam hominum quàm equorum. Simon quoque Comes Montisfortis, qui princeps militiæ erat, ante portam civitatis lapide de petrario emiſſo, in capite percuſſus, toto contrito corpore ſubitò expiravit. Frater quoque ejuſdem Simonis, in obſidione cujuſdam caſtri, quod non longè à Toloſâ diſtat, ad cumulum doloris multorum, lapide ſimiliter ictus, diem clauſit extremum. Igitur in exercitu Ludovici, ut prædictum eſt, ingruente fame cum hominum mortalitate & rerum omnium damnoſâ nimis diminutione, idem Ludovicus cum reliquijs populi ſui confuſus, ad Gallias remeavit.* Hæc Matthæus Pariſius: in eo tamen lapſus quòd Simonem hoc tempore occiſum ſcribit, quem ſuperiore anno extinctum conſtat.

[z] *Mat. Pariſ. hiſt. pag. 297. 298. edit. Tigur. Vid. Nic. Vignier. hiſt. eccleſ. ann. 1219. & Jo. Caſſan. hiſtor. Albig. lib. 4. cap. 14. 15.*

44 Anni 1220. hiſtoria in Guilielmi Armoricani Chronico ſic exponitur. *Anno incarnationis Dominicæ 1220. firmatæ ſunt treugæ inter Philippum regem Franciæ & Henricum juvenem regem Angliæ. In Quadrageſimâ præcedenti Dominus Papa Epiſcopum Cardinalem in Franciam*

ciam deſtinavit; petens per eum à Philippo rege, ut per ſingulas domos totius regni permitteret tres denarios annuatim uſque in triennium ad ſuccurſum Albigeſij erogari. Rex autem huic petitioni minimè acquievit. Almaricus filius Simonis ſanctiſſimi Comitis Montisfortis æſtate illâ viriliter oppugnavit infideles, licèt paucos bellatores haberet, & multa eorum caſtella obtinuit. Sed, proh dolor! Guido frater ejus eodem tempore ab infidelibus interfectus eſt. Manus autem Domini erat cum Almarico, quæ ſupplebat numerum bellatorum. Erat enim in partibus illis præfatus Epiſcopus Cardinalis legati fungens officio, à ſummo Pontifice deſtinatus. Hæc ibi: cum quibus conferenda ſequens [a] Hugonis Altiſſiodorenſis monachi narratio. *Per hos dies dum Amauricus filius Simonis defuncti Comitis Montis-fortis in obſidione cujuſdam caſtri ab hæreticis muniti moratur, frater ejus Guido Comes Bigorrienſis ab hæreticis captus à filio Comitis S. Ægidij occiditur: quod ad cumulum doloris univerſis Chriſtianis in partibus illis commorantibus acceſſit. erat enim armis ſtrenuus, fide devotus, ac pulcher aſpectu. cujus morte cognitâ, frater ejus Amauricus, tactus dolore cordis intrinſecùs, promiſit ſe ab obſidione illius caſtri non diſceſſurum, donec illud aut vi, aut deditione, in ſuam redigeret poteſtatem: qui tamen poſtea ſuorum auxilio deſtitutus, infecto negotio inde diſcedit. quem ipſo anno triſtia auſpicia proſequuntur: nam ferè omnia caſtra quæ priùs tenuerat, hoc anno ab hæreticis recuperantur.* Cui illa [b] Antonini Florentini archiepiſcopi planè eſt gemina: *Anno Dom. 1220. Comes Guido Montisfortis, filius Simonis memoriâ digni, non multum diſſimilis patri in zelo fidei ad expugnandos hæreticos, dolo Comitis S. Ægidij in partibus Toloſanis occiſus eſt in quodam caſtro, quod fideles contra hæreticos pugnando occupaverant. Quo audito frater*

[a] *Chronolog. Altiſſiod. ann. 1220. fol. 113.*

[b] *Antonin. hiſt. part. 3. tit. 19. cap. 3. §. 1.*

ter ejus caſtrum obſedit prædictum: nam quòd oppidani cauſſa mortis illius juvenis fuerant, juravit ſe ab obſidione illius caſtri non receſſurum niſi eo expugnato. Sed poſtmodum auxilio deſtitutus, coactus eſt ſolutâ obſidione diſcedere. Quo abeunte, hæretici reſumptis animis omnia ferè caſtra, quæ fideles patris ſui auxilio occupaverant, expugnârunt. Eodem enim anno (ut eſt apud [c] Nicolaum Bertrandium) Raimundo juniori *multa ſe oppida reddiderunt: Caſtrum Vauri, Podij Laureati, & Regalis Montis, ab ipſo expugnantur & capiuntur.*

[c] *Bertrand. geſt. Toloſan. fol. 28. col. 2.*

45 Anno ab incarnatione Domini 1221. (ita in illo ſæpiùs citato Guilielmi Armoricani Ms°. Chronico legimus) *Philippus Rex Chriſtianiſſimus cum conſilio & auxilio quorundam Epiſcoporum regni ſui, miſit in Albigeſium ducentos milites & decem millia peditum armatorum, ad ſuccurrendum Comiti Almarico, qui patri ſuo ſanctiſſimo Simoni ſucceſſerat in terrâ illâ. Sed protervia hæreticorum contra eum in tantum invaluerat, quòd ipſe eis reſiſtere vix poſſet, niſi catholicorum adjutoria per matrem ſuam Eccleſiam & per Epiſcopum Carcaſonenſem pijs prædicationibus mendicaret. Huic exercitui miſſo de Franciâ præfuerunt Archiepiſcopus Bituricenſis & Comes Marchiæ.* Eodem anno [d] Conradus monachus & Abbas ordinis Ciſtercienſis, ab Honorio III. creatus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, legatus ſummâ cum poteſtate in Gallias contra Albigenſes miſſus eſt. Sequente anno, [e] menſe Julio Rogerius Fuxenſis Comes obijt, ſucceſſore filio, cui Rogerio Bernardo nomen fuit. Auguſto menſe Raimundus Toloſæ Comes defunctus eſt. *Utriuſq; nomen* (ait Jo. Mariana) *eâ maculâ deformatum, quod Albigenſium ſectæ cum ignominiâ Pontificum Romanorum ſe fautores præbuerant. quo merito,*

[d] *Alphonſ. Ciacon. de Vitis Pontiff. pag. 544. Nic. Vignier. hiſt. eccleſ. an. 1221. ex Chronic. Montfort.*

[e] *Jo. Marian. de reb. Hiſpan. lib. 12. cap. 10.*

Vid. P. Æmil. de geſt. Franc. lib. 7. fol. 145.
Bertrand. de geſt. Toloſan. fol. 28. col. 23.
[f] *Bertrand. ubi ſupra.*

quamvis multum annitente filio & ſucceſſore Raimundo ut more aliorum piorum hominum pater ſepeliretur, impetrari non potuit. Unum tamen (inquit [f] Nicolaus Bertrandius) *admiratione & notâ dignum vidi, & oculariter conſpici poteſt: quòd, etſi ejus corporis oſſa, quæ in ſarcophago ligneo patenter jacebant, ſint diſperſa atq; pro derelictis habita; caput tamen accuratiſſimè à fratribus hoſpitalis ſancti Iohannis Toloſæ ſervatum, habet in oſſe capitis adhuc integro florem lilij à parte poſteriori ita naturâ impreſſum, ut florem lilij cum capite in mundum ſimul productum facilè cognoſcas. eſt enim flos ille impreſſus, ejuſdem coloris cum capite exiccato, in quo non eſt ruga. Quod fortè præſagium fuit: Comitatum ſcilicet Toloſæ ad florem lilij, id eſt, invictiſſimum Regem noſtrum pervenire debere. Ego autem & noſtrates adhuc viventes, in vaſe fuſteo in B. Iohannis cœmiterio poſitum ejus corpus ſive cadaver conſpeximus: nunc autem diſſolutum eſt, oſſa diſperſa & confracta. Caput verò durum admodum yvoreum & coloris ſuccei (ut jam dictum eſt) à Cruceſignatis in Eccleſiâ S. Iohannis Toloſæ reſervatur.* Hæc Nicolaus Bertrandius I.C. Toloſanus.

[g] *Rigord. de geſt. Philip. Aug. in Hiſtor. Franc. à Pithœo edit. pag. 225. impreſſ. Francofurt. an. 1596.*

46 Anno 1223. [g] Pariſijs, ex mandato Papæ, *pro negotio Albigenſi* congregata eſt Synodus: cui interfuerunt, Conradus Portuenſis Epiſcopus Cardinalis, à Romano Pontifice in terram Albigenſium legatus miſſus, Guilielmus Remenſis & Gualterus Senonenſis Archiepiſcopus, unâ cum Epiſcopis viginti, quorum nomina à Rigordo in fine Philippicæ Hiſtoriæ recenſentur.

[h] *Guil. Brito, ibid. pag. 391.*

[h] *Nam Rex Ieruſalem, & qui ſumma negotia ſummi*
Pontificis vice diſponens contra hæreſiarchas
Miſſus erat, partes Toloſanas qui maculabant,

Totius

Totius & regni ſanctorum concio Patrum
Concilium tunc Pariſijs generale tenebat,
Procurante ſtatum Eccleſiæ reparare Philippo:

ait in 12°. Philippidos Guilielmus Armoricanus, de Regis obitu verba faciens. Hoc enim tempore, pridie Idus Julij mortuus eſt Philippus Francorum Rex: qui (ut hîc notat [i] Rigordus) *tam in vitâ ſuâ, quàm in ſuo deceſſu, multa largitus eſt ad negotij Albigenſis ſubſidium & juvamen.* Reliquit enim [k] *Almarico Comiti Montisfortis viginti millia* (*millia centena* habet in 6°. libro de geſtis Francorum, Robertus Gaguinus) *librarum Pariſienſium, ad uxorem ejus & ſuos de Albigenſi terrâ & manu hoſtium reducendos.* Almaricus verò [l] *à partibus Albigenſium in Franciam propter inopiam victualium rediens, Carcaſſonem urbem munitiſſimã, & alia caſtra quæ cum labore maximo & ſumptu inæſtimabili & amiſſione plurium gentium fuerant acquiſita, & per annos* XIIII. *à Francigenis poſſeſſa, reliquit.* Eæ tum vires erant Albigenſium: adverſus quos novum Regem Ludovicum hiſce verſibus excitat Guilielmus Armoricanus, in Philippidos Epilogo.

Victrices alas Toloſanas transfer in oras,
Facq́ ut vera fides in partibus audeat illis
Oſtentare caput rituſq́ abolere prophanos;
Hæreſis ut toto regno procul exulet omnis.

47 Eodem etiam tempore, [m] Albigenſes *in partibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ* adeò invaluerunt, ut etiam *Epiſcopos & alios multos regionum illarum* ad ſuas partes pertraxerint. Quâ occaſione ſequens hæc à Conrado Portuenſi Epiſcopo (quem contra Albigenſes legatum à Pontifice miſſum diximus) ſcripta eſt Epiſtola. *Venerabilibus Patribus Dei gratiâ Rothoma-*

[i] *Rigord. ibid. pag.* 225.

[k] *Id. ibid. pag.* 226.

[l] *Fragment. de geſtis Ludovici VIII. ibid. pag.* 398. *Vincent. Specul. hiſtorial. lib.* 30. *cap.* 125 *Gillij Annal. Franc. fol.* 142. *b.*

[m] *Matth. Pariſ. hiſtor. ann.* 1223. *pag.* 306

genſi Archiepiſcopo & ejus Suffraganeis Epiſcopis, Salutem in Domino Ieſu Chriſto. Dum pro ſponsâ veri Crucifixi veſtrum cōgimur auxilium implorare, potiùs compellimur lacerari ſingultibus & plorare. Ecce, quod vidimus loquimur, & quod ſcimus teſtificamur. Ille homo perditus, qui extollitur ſuper omne quod colitur, aut quod dicitur Deus, jam habet præambulum hæreſiarcham, quem hæretici Albigenſes Papam ſuum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenſes, ut ad eorum conſulta reſpondeat. Etenim de Carcaſonâ oriundus, vices illius Antipapæ gerens Bartholomæus Epiſcopus, funeſtam ei exhibendo reverentiam, ſedem & locum conceſſit in villâ quæ Porlos appellatur, & ſeipſum tranſtulit in partes Toloſanas. Iſte Bartholomæus, in literarum ſuarum undiq; diſcurrentium tenore, ſe in primo ſalutationis alloquio intitulat in hunc modum: Bartholomæus ſervus ſervorum ſanctæ fidei, tali Salutem. Ipſe etiam inter alias enormitates creat Epiſcopos, & eccleſias perfidè ordinare contendit. Rogamus igitur attentiùs, & per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, & propenſiùs obſecramus, auctoritate Domini Papæ quâ fungimur in hâc parte, diſtrictè præcipientes, quatenus veniatis Senonis in octavis apoſtolorum Petri & Pauli proximè futuris : Ubi *& alij Prælati Franciæ, favente Domino, congregabuntur, parati conſilium dare in negotio prædicto, & cum alijs, qui ibidem aderunt, providere ſuper negotio Albigenſi. Alioquin inobedientiam veſtram Domino Papæ curabimus ſignificari. Data apud Planium, ſexto Nonas Iulij.*

48 Verùm *hunc tumultum morte prædicti Antipapæ celeriter terminatum eſſe* notat Matthæus Pariſius. Et in Parliamento generali, quod Pariſijs anno 1224. tenuit Ludovicus Francorum Rex (ut [a] alius ſcribit hiſtoricus)

[a] *Fragment. geſtor. Ludovici R. à Pithæo edit. pag. 398.*

ſtoricus) *Honorius Papa indulgentiam, quæ in Lateranenſi Concilio contra Albigenſes hæreticos fuerat inſtituta, auctoritate propriâ ad tempus revocavit; & Raimundum Comitem Toloſanum fide catholicum approbavit.* Eo enim anno (quemadmodum apud [o] Antoninum legimus) *Comes Toloſanus Raimundus, qui erat fautor ac defenſor hæreticorum, & alij Albigenſes, miſsis Romam ad Papam legatis, ſpoponderant ſe Romanæ Eccleſiæ velle ſtare mandatis. Quare Honorius Papa mandavit Narbonenſi Archiepiſcopo, ut dictum Comitem cum ſuis adhærentibus audiret, ac omnia ſibi ſcripto referret. Qui convocatis totius provinciæ Epiſcopis atq́; Prælatis, ipſis præſentibus juramentum ipſius Comitis, quòd ſtaret Eccleſiæ Romanæ mandatis, recepit; & poſt eum ab omnibus alijs Baronibus, qui de favore hæreticorum erant ſuſpecti. Quibus juramentis ſuſceptis, mandavit ſub virtute præſtiti juramenti, quòd terras ſuas ſecuras & Romanæ Eccleſiæ obedientes redderent, clericis redditus ſuos integros reſtituerent, illiſq́; pro illatis damnis* xxv. (al. xv. *millia) marcarum darent; quam pecuniæ quantitatem infra tres annos conſignarent: Et quòd de hæreticis confeſsis vel convictis juſtitiam facerent, & pro poſſe eorum hæreticam pravitatem ab illâ provinciâ extirparent.* Hæc Antoninus: quæ in Concilio, Romani Pontificis authoritate *infra Octavas Aſſumptionis B. Mariæ apud Montempeſſulanum celebrato* tranſacta ſignificat [p] author fragmenti geſtorum Ludovici R. in quo iſta totidem penè verbis deſcripta reperiuntur.

49 Pervenit deinde in Gallias Romani Pontificis legatus, nomine [q] *Romanus, S. Angeli diaconus Cardinalis:* qui [r] *apud Biturigas concilium celebravit*; ad quod [ſ] *Regem Francorum cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Clero Gallicano* convocari fecit, unà cum *Comite Toloſano, pro*

[o] *Antonin. hiſt. part. 3. cap. 3. § 6. Bertrād. geſt. Toloſan. fol. 30. col. 2.*

[p] *Fragm. à Pithæo edit. ad ann. 1224. pag. 398.*

[q] *ibid. an. 1225. pag. 399.*

[r] *Aubert. Miræ. Chronic. an. 1226. ex* Iperio. *Papir. Maſſō. Annal. lib. 3.*

[ſ] *Matth. Pariſ. hiſt. ann. 1226. pag. 317.*

quo ſpecialiter ad partes illas miſſus fuerat. Convenerunt igitur (inquit Matthæus Pariſius) *ad Bituricam civitatem ad Concilium, Lugdunenſis, Remenſis, Rothomagenſis, Thuronenſis, Bithuricenſis, Anxianenſis Archiepiſcopi: Burdegalenſis vero Romæ fuit, & Narbonenſis eccleſia vacabat. Convenerunt igitur novem provinciarum Suffraganei circiter centum, cum Abbatibus, & Prioribus, & ſingulorum procuratoribus capitulorum, mandatum ſummi Pontificis audituri. Sed quoniam Lugdunenſis Archiepiſcopus vendicabat ſibi primatiam ſuper Archiepiſcopum Senonenſem, & Rothomagenſis ſuper Bithuricenſem, Anxianenſem, Narbonenſem, & eorum Suffraganeos, timebatur de diſcordiâ, & ideò non fuit ſeſſum quaſi in Concilio, ſed ut in conſilio. Quibus ſedentibus, & lectis in publico legationis literis, apparuerunt Comes Toloſanus ex unâ parte, &.* Simon de Monteforti ex alterâ, qui petiјt ſibi reſtitui terram Reimundi Comitis Toloſani, quam dominus Papa & Rex Francorum Philippus ſibi & patri ſuo contulerunt, exhibens ſupra donatione factâ utriuſque, Papæ ſcilicet & Regis, munimenta. Additq́, Comitem Reimundum abjudicatum fuiſſe Romæ in Concilio generali propter hæreſim, quæ dicitur hæreſis Albigenſium, ad minus à parte maiori terræ quam nunc tenet. E contra, Comes Reimundus obtulit ſe facturum erga Regem Francorum & Eccleſiam Romanam, quicquid facere deberet pro hæreditate ſuâ. Tunc cùm peteret pars adverſa ab eo, ut ſubiret iudicium duodecim Parium Galliæ, reſpondit Reimundus: Recipiat Rex homagium meum, & paratus ſum ſubire; quia fortè non haberent me pro Pari, ſi ſecus fieret. Cumq́ hinc inde fuiſſet plurimum altercatum, præcepit Archiepiſcopis ſingulis Legatus cum præſentibus, ut convocatis ſeorſum unuſquiſq́ Suffraganeis, cum eis deliberarent ſuper negotio præfato, & traderent Legato conſilium*

* Almericus. Papir. Maſſon. Annal. pag. 295.

ſuum

ſuum redactum in ſcripto. Quo facto, Legatus excommunicavit omnes qui ſuper hoc ſua conſilia revelarent, dicens ſe ea velle domino Papæ ſignificare, & Francorum Regi oſtendere.

50 Poſtea verò, *ad hortationem legati, Ludovicus Rex Francorum cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, nobilibus, Baronibus, cæteriſq́ magiſtratibus Franciæ, Normanniæ, Flandriæ, Burgundiæ, Britanniæ, Campaniæ, Hannoniæ, Alverniæ, de Pontino, de Bituriâ contra Avinionenſes & Toloſanos hæreticos cruceſignati ſunt;* ut in anni 1226. hiſtoriâ ſcribit [t] Godefridus Colonienſis monachus. [u] Vincentius Bellovacenſis, & [x] author fragmenti geſtorum Ludovici R. ad annum 1225. referunt: anni exordium non à Calendis Januarijs, ut alij, ſed à 25°. die Martij deducentes. Circa *Purificationem* B. Mariæ (inquiunt) *Ludovicus Rex & magnates regni Franciæ plurimi, Archiepiſopi, Epiſcopi, Comites ac Barones, Pariſijs per manum Romani Cardinalis & Legati contra Albigenſes ſignum crucis aſſumpſerunt. Conſequenter autem in paſchali tempore, anno Domini 1226. Rex & omnes cruceſignati Bituris conveniunt. Inde procedunt per Nivernam & Lugdunum civitates ad Avinionem urbem inexpugnabilem, ab Eccleſiâ Romanâ per* VII. *annos excommunicationi ſubjectam propter hæreticam pravitatem,* &c. De eâdem expeditione [y] Aquicinctinus Chronographus ad annum 1225. agit, his verbis. *Ludovicus Rex Francorum profectus eſt adverſus Albigenſes, cum multis nobilibus, tam Epiſcopis quàm Principibus; videlicet Archiepiſcopo Remenſi, Guilielmo de Iovis villâ & Gareno Silvanectenſi Epiſcopo, Philippo Bolonienſi, Guidone ſancti Paulli Comitibus, & multis alijs tam clericis quàm laicis: qui Avinionem obſederunt & ceperunt. Sed in obſidione*

[t] *Godeſrid. Annal.* à *M. Frehero edit. pag.* 294.

[u] *Vincent. Spec. hiſt. lib.* 30. *cap.* 128.

[x] *Fragment.* à *Pithæo edit. pag.* 400.

[y] *Auctar. Aquicinct. Chronic. Sigebert.* à *Miræo edit.*

Guido

Guido Comes ſancti Paulli quâdam petrâ mangonelli pe-cuſſus eſt & interfectus. Hæc ille: qui ad annum 1225. profectionem illam referens, non magis excuſari po-teſt, quàm [z] Rob. Gaguinus, qui eandem ad annum 1227. retulit. [a] Matthæus autem Pariſius omnium copioſiſſimè, ad annum 1226. rem totam perſequi-tur: cujus narrationem, quantumvis longiuſculam, inſignem tamen & lectione atq; obſervatione digniſ-ſimam, non potui hîc integram non intexere. Sic igi-tur ille:

[z] *Gaguin. de geſt. Franc. lib.* 7.

[a] *Matth. Pariſ. hiſtor. pag.* 319. 321. 322.

51 *Per idem tempus facta eſt prædicatio in partibus Gallicanis à Legato Romano generaliter, ut omnes qui poſſent arma movere, ſe cruce ſignarent ſuper Comitem Toloſanum & populum ejus, qui omnes hæreticâ fœditate dicebantur in-fecti. Ad ejus quoq; prædicationem multitudo maxima Præ-latorum & laicorum crucis ſignaculum ſuſceperunt, plus metu Regis Francorum, vel favore Legati, quàm zelo iuſti-tiæ inducti. Videbatur enim multis abuſio, ut hominem fi-delem Chriſtianum infeſtarent: præcipuè cùm conſtaret cun-ctis eum in Concilio, nuper apud civitatem Bituricam habito, multis precibus perſuaſiſſe Legato, ut veniret ad ſingulas terræ ſuæ civitates, inquirens à ſingulis articulos fidei; & ſi quempiam contra fidem inveniret ſentientem Catholicam, ipſe ſecundum iudicium ſanctæ eccleſiæ, inſtitiæ ex eis pleni-tudinem exhiberet. Et ſi civitatem aliquam inveniret re-bellem, ipſe pro poſſe ſuo eam cum habitatoribus ſuis ad ſa-tisfactionem compelleret. Pro ſe ipſo autem obtulit, ſi in ali-quo deliquit, quod ſe feciſſe non recoluit, plenam Deo & ſanctæ eccleſiæ ſatisfactionem, ut fidelis Chriſtianus, & ſi Legatus vellet, etiam fidei examen ſubire. Hæc quoq; omnia Legatus contempſit, nec potuit Comes Catholicus gratiam invenire, niſi pro ſe & hæredibus ſuis, hæreditatem ſuam deſerens,*

deſerens, abjuraret. Rex verò Francorum, ad ejuſdem Legati exhortationem cruce ſignatus, noluit expeditionem bellicam promovere, niſi literis priùs à domino Papâ impetratis ad Regem Anglorum inhibitorijs, ne ſub pœnâ excommunicationis Regem Francorum inquietaret, vel arma contra eum moveret de aliquâ terrâ quam in præſenti poſſidebat, ſive iuſtè, ſive iniuſtè, dum idem Rex eſſet in ſervitio ſuo & Eccleſiæ Romanæ, ad exterminandum hæreticos Albigenſes, & eorum fautorem & complicem Comitem Toloſanum: ſed eidem Regi, ad exaltationem fidei, conſilium & auxilium impendere non tardaret. Et his ita geſtis, Rex Francorum Ludovicus & Legatus, omnibus cruce ſignatis diem ſtatuerunt peremptorium, ut in Aſcenſione Domini apud Lugdunum, cum equis & armis, ſub pœnâ excommunicationis, venirent; ipſos ad expeditionem propoſitam ſequuturi.

52 Rex autem ad expeditionem neceſſarijs apud Lugdunum ritè præparatis, cum exercitu quaſi invincibili iter arripuit, ſequente Legato cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs eccleſiarum Prælatis. Æſtimati ſunt autem in exercitu militum & equitum bellatorum ad quinquaginta millia, præter pedites, qui quaſi ſub numero non cadebant. Legatus autem excommunicavit publicè Comitem Toloſanum, & omnes ejus fautores, & terram illius totam ſuppoſuit interdicto. Profectus itaq; Rex micantibus clypeis & vexillis (cujus progreſſus adeò erat horribilis, ut caſtrorum acies ordinata) in provinciam pervenit Comitis Toloſani. Tandem in vigiliâ Pentecoſtes, omnes Avinionem venientes, quæ civitas proxima illis erat de poteſtate Comitis ſupradicti, propoſuerunt eam priùs impetere, & ſic terram Comitis totam, ab initio uſq; ad finem cum habitatoribus ejus delere. ubi Rex & Legatus tranſitum civitatis in dolo à civibus poſtulantes, dixerunt ſe illuc pacificè adveniſſe, & non ob aliud civitatis

tranſitum poſtulâſſe, niſi ut itineris compendium ſequerentur. Cives quoq; ſuper hæc colloquentes, fidem eorum aſſertionibus non dederunt, dicentes, quòd plus in dolo, quàm pro viæ compendio exigebant introitum civitatis. At Rex, in furorem verſus, juravit ſe inde non receſſurum, donec comprehenderet civitatem. Et machinis in locis congruis collocatis, juſſit urbem acriter infeſtari. Fit igitur ad civitatem aſſultus graviſſimus, dum petraria, baliſta, ſcrofa, catus, funda, enſis, lancea, ſcutum, galea, clava, lorica, ſagitta, hinc inde quid valeat, experiretur. E contra, civitas ante dies illos ab hoſtium cuneis prorſus incognita, foſſatis, mœnijs, turribus, propugnaculis deforis: intus militibus, ſervientium milibus, equis & armis, lapidibus comportatis, ſpiculis fabricatis, repagulis & machinis aptatis, & victualibus redundanter referta, hoſtium ſupervenientium non expavit incurſum. Defenſores enim urbis, lapides pro lapidibus, tela pro telis, ſudes pro ſudibus, jacula pro jaculis animoſiùs remittentes, & argumenta pro argumentis excogitantes, vulnera Galligenis letifera inferebant.

53 Cumq; per tempus plurimum protraheretur obſidio, deficientibus alimentis, perijt hominum innumera multitudo. Comes enim Toloſanus, ut bellator peritiſſimus, ante Francorum adventum, omnia alimentorum genera, cum ſenibus, mulieribus, ac parvulis, necnon & animalibus cum jumentis, ab eorum præſentiâ longiùs removens, omne eis alimentorum genus ſubtraxit. Nec enim ſolummodò homines, verùm etiam & equos exercitus & iumenta extinxit: fecerat namq; Comes ſæpedictus prata arari totius regionis, nec erat jumentis pabuli ſubſidium, niſi quod ibi delatum fuerat ex partibus Gallicanis. Unde neceſſitate cogente, multæ legiones armatorum à caſtris recedentes, ut victualia quærerent hominibus, & pabula jumentis, multa repugnantia ſibi municipia

in

in circuitu ceperunt, & multoties à Comite Toloſano, qui cum ſuis erat agminibus in inſidijs conſtitutus, damna non modica pertulerunt. In obſidione verò Galligenis multa imminebant necis pericula, inter quos fervebant potiſsimum mortalitas hominum & equorum, tela mortifera, & damnoſi lapides civium ſe viriliter defendentium, fames generalis, & præcipuè inter pauperes, quibus deerat cum pecuniâ alimentum. Atq; præter cætera miſeriarum incommoda, quæ ſine intermiſsione graſſabantur in populo, oriebantur ex cadaveribus jumentorum & hominum, quæ paſsim moriebantur, muſcæ quædam groſſæ & nigerrimæ, quæ inter tentoria, papiliones, & umbracula, ſe ſtridore abominabili ingerentes, dapes inficiebant & pocula, quas cùm nemo abigendo arcere poterat à calicibus & catinis, mortem Galligenis ſubitam inferebant. Confuſio Regem, & præcipuè Legatum invaſit, quia ſi tanta taliſq; expeditio infecto recedere negotio cogeretur, opprobrium tam Franci incurrerent, quàm Romani. Tunc Principes exercitus, quibus in tot mortibus longa videbatur mora, minores caſtrorum cum majoribus ad urbem invadendum ſollicitant. Unde ſuper pontem quendam, qui ultra Rhodanum fluvium ſe extendit, ad urbem tanta ſe armatorum copia ingeſsit, quòd vel à civibus, vel etiam præ pondere in eodem pugnantium, pons fractus præcipitavit in flumen rapidiſsimum ad tria millia armatorum. Quid ergo? Vox & exultatio civium, dolor & confuſio fit Francorum. Tunc cives, viſâ opportunitate, dum Franci ad menſam ſedentes, epulis intenderent, & poculis, die quadam exierunt de civitate in fortitudine gravi, & facto impetu in hoſtes non præmeditatos, ad duo millia ex Francigenis peremerunt. Et abſque ſuorum læſione indemnes civitatem ſuam ingreſsi, tales irruptiones fecerunt in hoſtes. At Rex Francorum, animo nimis conſternatus, juſsit interfectos in Rhodanum, propter corru-

quo ſpecialiter ad partes illas miſſus fuerat. Convenerunt igitur (inquit Matthæus Pariſius) *ad Bituricam civitatem ad Concilium, Lugdunenſis, Remenſis, Rothomagenſis, Thuronenſis, Bithuricenſis, Anxianenſis Archiepiſcopi: Burdegalenſis verò Romæ fuit, & Narbonenſis eccleſia vacabat. Convenerunt igitur novem provinciarum Suffraganei circiter centum, cum Abbatibus, & Prioribus, & ſingulorum procuratoribus capitulorum, mandatum ſummi Pontificis audituri. Sed quoniam Lugdunenſis Archiepiſcopus vendicabat ſibi primatiam ſuper Archiepiſcopum Senonenſem, & Rothomagenſis ſuper Bithuricenſem, Anxianenſem, Narbonenſem, & eorum Suffraganeos, timebatur de diſcordiâ, & ideò non fuit ſeſſum quaſi in Concilio, ſed ut in conſilio. Quibus ſedentibus, & lectis in publico legationis literis, apparuerunt Comes Toloſanus ex unâ parte, & * Simon de Monteforti ex alterâ, qui petiit ſibi reſtitui terram Reimundi Comitis Toloſani, quam dominus Papa & Rex Francorum Philippus ſibi & patri ſuo contulerunt, exhibens ſupra donatione factâ utriuſque, Papæ ſcilicet & Regis, munimenta. Addiditq́ue, Comitem Reimundum abjudicatum fuiſſe Romæ in Concilio generali propter hæreſim, quæ dicitur hæreſis Albigenſium, ad minus à parte maiori terræ quam nunc tenet. E contra, Comes Reimundus obtulit ſe facturum erga Regem Francorum & Eccleſiam Romanam, quicquid facere deberet pro hæreditate ſuâ. Tunc cùm peteret pars adverſa ab eo, ut ſubiret iudicium duodecim Parium Galliæ, reſpondit Reimundus: Recipiat Rex homagium meum, & paratus ſum ſubire; quia fortè non haberent me pro Pari, ſi ſecus fieret. Cumq́ue hinc inde fuiſſet plurimum altercatum, præcepit Archiepiſcopis ſingulis Legatus cum præſentibus, ut convocatis ſeorſum unuſquiſq́ue Suffraganeis, cum eis deliberarent ſuper negotio præfato, & traderent Legato conſilium ſuum*

* Almericus. *Papir. Maſſon. Annal. pag.* 295.

ſuum redactum in ſcripto. Quo facto, Legatus excommunicavit omnes qui ſuper hoc ſua conſilia revelarent, dicens ſe ea velle domino Papæ ſignificare, & Francorum Regi oſtendere.

50 Poſtea verò, *ad hortationem legati, Ludovicus Rex Francorum cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, nobilibus, Baronibus, cæteriſque magiſtratibus Franciæ, Normanniæ, Flandriæ, Burgundiæ, Britanniæ, Campaniæ, Hannoniæ, Alverniæ, de Pontino, de Bituriâ contra Avinionenſes & Toloſanos hæreticos cruceſignati ſunt*: ut in anni 1226. hiſtoriâ ſcribit [t] Godefridus Colonienſis monachus. [u] Vincentius Bellovacenſis, & [x] author fragmenti geſtorum Ludovici R. ad annum 1225. referunt: anni exordium non à Calendis Januarijs, ut alij, ſed à 25°. die Martij deducentes. Circa *Purificationem* B. Mariæ (inquiunt) *Ludovicus Rex & magnates regni Franciæ plurimi, Archiepiſopi, Epiſcopi, Comites ac Barones, Pariſijs per manum Romani Cardinalis & Legati contra Albigenſes ſignum crucis aſſumpſerunt. Conſequenter autem in paſchali tempore, anno Domini* 1226. *Rex & omnes cruceſignati Bituris conveniunt. Inde procedunt per Nivernam & Lugdunum civitates ad Avinionem urbem inexpugnabilem, ab Eccleſiâ Romanâ per* VII. *annos excommunicationi ſubjectam propter hæreticam pravitatem.* &c. De eâdem expeditione [y] Aquicinctinus Chronographus ad annum 1225. agit, his verbis. *Ludovicus Rex Francorum profectus eſt adverſus Albigenſes, cum multis nobilibus, tam Epiſcopis quàm Principibus; videlicet Archiepiſcopo Remenſi, Guilielmo de Iovis villâ & Gareno Silvanectenſi Epiſcopo, Philippo Bolonienſi, Guidone ſancti Paulli Comitibus, & multis alijs tam clericis quàm laicis: qui Avinionem obſederunt & ceperunt. Sed in obſidione*

[t] *Godefrid. Annal. à M. Frehero edit. pag.* 294.

[u] *Vincent. Spec. hiſt. lib.* 30. *cap.* 128.

[x] *Fragment. à Pithæo edit. pag.* 400.

[y] *Auctar. Aquicinct. Chronic. Sigebert. à Miræo edit.*

Guido Comes ſancti Paulli quâdam petrâ mangonelli percuſſus eſt & interfectus. Hæc ille: qui ad annum 1225. profectionem illam referens, non magis excuſari poteſt, quàm [z] Rob. Gaguinus, qui eandem ad annum 1227. retulit. [a] Matthæus autem Pariſius omnium copioſiſſimè, ad annum 1226. rem totam perſequitur: cujus narrationem, quantumvis longiuſculam, inſignem tamen & lectione atq; obſervatione digniſſimam, non potui hîc integram non intexere. Sic igitur ille:

[z] Gaguin. de geſt. Franc. lib. 7.

[a] Matth. Pariſ. hiſtor. pag. 319. 321. 322.

51 *Per idem tempus facta eſt prædicatio in partibus Gallicanis à Legato Romano generaliter, ut omnes qui poſſent arma movere, ſe cruce ſignarent ſuper Comitem Toloſanum & populum ejus, qui omnes hæreticâ fœditate dicebantur infecti. Ad ejus quoq; prædicationem multitudo maxima Prælatorum & laicorum crucis ſignaculum ſuſceperunt, plus metu Regis Francorum, vel favore Legati, quàm zelo iuſtitiæ inducti. Videbatur enim multis abuſio, ut hominem fidelem Chriſtianum infeſtarent: præcipuè cùm conſtaret cunctis eum in Concilio, nuper apud civitatem Bituricam habito, multis precibus perſuaſiſſe Legato, ut veniret ad ſingulas terræ ſuæ civitates, inquirens à ſingulis articulos fidei; & ſi quempiam contra fidem inveniret ſentientem Catholicam, ipſe ſecundum iudicium ſanctæ eccleſiæ, iuſtitiæ ex eis plenitudinem exhiberet. Et ſi civitatem aliquam inveniret rebellem, ipſe pro poſſe ſuo eam cum habitatoribus ſuis ad ſatisfactionem compelleret. Pro ſe ipſo autem obtulit, ſi in aliquo deliquit, quod ſe feciſſe non recoluit, plenam Deo & ſanctæ eccleſiæ ſatisfactionem, ut fidelis Chriſtianus, & ſi Legatus vellet, etiam fidei examen ſubire. Hæc quoq; omnia Legatus contempſit, nec potuit Comes Catholicus gratiam invenire, niſi pro ſe & hæredibus ſuis, hæreditatem ſuam deſerens,*

deſerens, abjuraret. Rex verò Francorum, ad ejuſdem Legati exhortationem cruce ſignatus, noluit expeditionem bellicam promovere, niſi literis prius à domino Papâ impetratis ad Regem Anglorum inhibitorijs, ne ſub pœnâ excommunicationis Regem Francorum inquietaret, vel arma contra eum moveret de aliquâ terrâ quam in præſenti poſsidebat, ſive iuſtè, ſive iniuſtè, dum idem Rex eſſet in ſervitio ſuo & Eccleſiæ Romanæ, ad exterminandum hæreticos Albigenſes, & eorum fautorem & complicem Comitem Toloſanum: ſed eidem Regi, ad exaltationem fidei, conſilium & auxilium impendere non tardaret. Et his ita geſtis, Rex Francorum Ludovicus & Legatus, omnibus cruce ſignatis diem ſtatuerunt peremptorium, ut in Aſcenſione Domini apud Lugdunum, cum equis & armis, ſub pœnâ excommunicationis, venirent; ipſos ad expeditionem propoſitam ſequuturi.

52 Rex autem ad expeditionem neceſſarijs apud Lugdunum ritè præparatis, cum exercitu quaſi invincibili iter arripuit, ſequente Legato cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs eccleſiarum Prælatis. Æſtimati ſunt autem in exercitu militum & equitum bellatorum ad quinquaginta millia, præter pedites, qui quaſi ſub numero non cadebant. Legatus autem excommunicavit publicè Comitem Toloſanum, & omnes ejus fautores, & terram illius totam ſuppoſuit interdicto. Profectus itaq; Rex micantibus clypeis & vexillis (cujus progreſſus adeò erat horribilis, ut caſtrorum acies ordinata) in provinciam pervenit Comitis Toloſani. Tandem in vigiliâ Pentecoſtes, omnes Avinionem venientes, quæ civitas proxima illis erat de poteſtate Comitis ſupradicti, propoſuerunt eam priùs impetere, & ſic terram Comitis totam, ab initio uſq; ad finem cum habitatoribus ejus delere. ubi Rex & Legatus tranſitum civitatis in dolo à civibus poſtulantes, dixerunt ſe illuc pacificè adveniſſe, & non ob aliud civitatis

tranſitum poſtulâſſe, niſi ut itineris compendium ſequerentur. Cives quoq; ſuper hæc colloquentes, fidem eorum aſſertionibus non dederunt, dicentes, quòd plus in dolo, quàm pro viæ compendio exigebant introitum civitatis. At Rex, in furorem verſus, juravit ſe inde non receſſurum, donec comprehenderet civitatem. Et machinis in locis congruis collocatis, juſſit urbem acriter infeſtari. Fit igitur ad civitatem aſſultus graviſſimus, dum petraria, baliſta, ſcrofa, catus, funda, enſis, lancea, ſcutum, galea, clava, lorica, ſagitta, hinc inde quid valeat, experiretur. E contra, civitas ante dies illos ab hoſtium cuneis prorſus incognita, foſſatis, mœnijs, turribus, propugnaculis deforis: intus militibus, ſervientium milibus, equis & armis, lapidibus comportatis, ſpiculis fabricatis, repagulis & machinis aptatis, & victualibus redundanter referta, hoſtium ſupervenientium non expavit incurſum. Defenſores enim urbis, lapides pro lapidibus, tela pro telis, ſudes pro ſudibus, jacula pro jaculis animoſiùs remittentes, & argumenta pro argumentis excogitantes, vulnera Galligenis letifera inferebant.

53 Cumq; per tempus plurimum protraheretur obſidio, deficientibus alimentis, perijt hominum innumera multitudo. Comes enim Toloſanus, ut bellator peritiſſimus, ante Francorum adventum, omnia alimentorum genera, cum ſenibus, mulieribus, ac parvulis, necnon & animalibus cum jumentis, ab eorum præſentiâ longiùs removens, omne eis alimentorum genus ſubtraxit. Nec enim ſolummodò homines, verùm etiam & equos exercitus & iumenta extinxit: fecerat namq; Comes ſæpedictus prata arari totius regionis, nec erat jumentis pabuli ſubſidium, niſi quod ibi delatum fuerat ex partibus Gallicanis. Unde neceſſitate cogente, multæ legiones armatorum à caſtris recedentes, ut victualia quærerent hominibus, & pabula jumentis, multa repugnantia ſibi municipia

in

in circuitu ceperunt, & multoties à Comite Toloſano, qui cum ſuis erat agminibus in inſidijs conſtitutus, damna non modica pertulerunt. In obſidione verò Galligenis multa imminebant necis pericula, inter quos fervebant potiſſimum mortalitas hominum & equorum, tela mortifera, & damnoſi lapides civium ſe viriliter defendentium, fames generalis, & præcipuè inter pauperes, quibus deerat cum pecuniâ alimentum. Atq; præter cætera miſeriarum incommoda, quæ ſine intermiſſione graſſabantur in populo, oriebantur ex cadaveribus jumentorum & hominum, quæ paſſim moriebantur, muſcæ quædam groſſæ & nigerrimæ, quæ inter tentoria, papiliones, & umbracula, ſe ſtridore abominabili ingerentes, dapes inficiebant & pocula, quas cùm nemo abigendo arcere poterat à calicibus & catinis, mortem Galligenis ſubitam inferebant. Confuſio Regem, & præcipuè Legatum invaſit, quia ſi tanta taliſq; expeditio infecto recedere negotio cogeretur, opprobrium tam Franci incurrerent, quàm Romani. Tunc Principes exercitus, quibus in tot mortibus longa videbatur mora, minores caſtrorum cum majoribus ad urbem invadendum ſollicitant. Unde ſuper pontem quendam, qui ultra Rhodanum fluvium ſe extendit, ad urbem tanta ſe armatorum copia ingeſſit, quòd vel à civibus, vel etiam præ pondere in eodem pugnantium, pons fractus præcipitavit in flumen rapidiſſimum ad tria millia armatorum. Quid ergo? Vox & exultatio civium, dolor & confuſio fit Francorum. Tunc cives, viſâ opportunitate, dum Franci ad menſam ſedentes, epulis intenderent, & poculis, die quadam exierunt de civitate in fortitudine gravi, & facto impetu in hoſtes non præmeditatos, ad duo millia ex Francigenis peremerunt. Et abſque ſuorum læſione indemnes civitatem ſuam ingreſſi, tales irruptiones fecerunt in hoſtes. At Rex Francorum, animo nimis conſternatus, juſſit interfectos in Rhodanum, propter corru-

ptionem, præcipitari, qui aliud cœmiterium in tantâ cadaverum multitudine non habebant. Fecerunt præterea inter ſe & urbem foſſatum, ſpatioſum ſatis & altum, & inſuper obſidio à civitate longiùs arcebatur. Legatus autem, & omnis chorus Prælatorum, Comitem Toloſanum, & cives, cum univerſo populo regionis, vindictæ genus aliud non habentes, ſub anathemate concluſerunt.

54 *Tunc Ludovicus Rex Francorum, ut peſtilentiam effugeret, quæ nimis fervebat in caſtris, ad quandam Abbatiam, Muntpancier appellatam, quæ non multum ab obſidione diſtabat, ſe contulit, donec civitas caperetur. Ubi venit ad eum Henricus Comes Campanienſis, cùm jam* XL. *dies in obſidione peregiſſet, petens, de conſuetudine Gallicanâ, licentiam ad propria remeandi. Cui cùm licentiam Rex vetuiſſet, reſpondit Comes, quòd factis* XL. *dierum excubijs non tenebatur, nec voluit diutiùs intereſſe. Rex autem ad hæc nimiâ ſuccenſus irâ, affirmavit cum juramento, quòd ſi recederet, ipſe terram ejus totam incendio devaſtaret. Tunc Comes, ut fama refert, procuravit Regi venenum propinari, ob amorem Reginæ ejus, quam carnaliter illicitè adamavit: unde libidinis impulſu ſtimulatus, moras ulteriùs nectere non valebat. Comite igitur taliter recedente, infirmabatur Rex uſq; ad deſperationem, & pervagante ad vitalia veneno, perducitur ad extrema: licèt alij aſſerant, ipſum non veneno, ſed morbo diſenterico expiràſſe. Mortuo quoq; Rege, Romanus qui affuit Apoſtolicæ ſedis Legatus, & Prælati qui aderant, ejuſdem ſecreti Conſiliarij, mortem Regis expedientes decreverunt celare, donec civitas redderetur: quia ſi ita ſolveretur obſidio, magnum inde ſcandalum oriretur. Finxit ergo Legatus & Prælati qui aderant, Regem gravi infirmitate detentum; ſed ex Medicorum judicio citò convaliturum dicebant, denuntiantes Principibus legionum, ut urbem viriliter*

 impugnarent

impugnarent. Corpus autem defuncti Regis fecerunt multo ſale condiri, & in Abbatiâ illâ viſcera tumulantes, reliquum corpus linteaminibus ceratis, coriiſq́ taurinis juſſerunt involui. Et ſic Legatus cum Prælatis ad obſidionem reverſus eſt, corpore Regis in Abbatiâ ſub tutâ cuſtodiâ deputato. Cùm igitur vidiſſet Legatus, quòd nihil in obſidione proficiebant, ſed diverſis incommodis prorſus deficiebant, de conſilio majorum qui erant in caſtris, nuntiavit in civitatem, inſtantiùs petens, quatenus acceptâ ſecuritate pacificè veniendi & revertendi, mitterent duodecim ex majoribus civitatis ad Legatum, & venirent quantociùs de pace & concordiâ tractaturi.

55 Datis igitur de ſecuritate obſidibus, venerunt ad colloquium Legati cives XII. & de pacis formâ diutiùs tractantes, perſuaſit civibus Legatus conſtanter, ut ſe redderent; ſalvis ſibi & ſuis omnibus poſſeſſionibus & rebus, cum libertatibus univerſis, ſicut hactenus meliùs & liberiùs habuerunt. Ad hæc cives reſpondentes, dixerunt, quòd nullo modo ſe redderent, ut ſub Francorum viverent poteſtate, quorum multoties experti fuerant ſuperbiam & inſolentiæ feritatem. Tandem poſt multas hinc inde diſceptationes, petivit Legatus, ut cum Prælatis qui aderant, poſſet ingredi civitatem, ut fidem probaret eam inhabitantium: affirmans cum juramento, ſe non ob aliud obſidionem protraxiſſe, niſi ut ſalutem quæreret animarum. Addidit etiam, quòd clamor infidelitatis, quæ in urbe invaluerat, ad Papam aſcendit: unde ſcire deſiderabat, utrum clamorem opere compleviſſent. Tunc cives, ſuper promiſſione ſuâ fidem habentes, & de fraude nihil ſiniſtrum ſuſpicantes, ſub conditione prædictâ, præſtito utrinq́ juramento, conceſſerunt Legato cum Prælatis ſimpliciter & eorum ſequelis, ingreſſum urbis: quos doloſè, ut prælocutum fuerat, Francigenæ apertis januis violenter

ſubſequentes, ſpreto turpiter juramento, cives ceperunt, & eos vinculis conſtrinxerunt, urbem ſpoliaverunt, multos occiderunt & doloſam ſic adepti victoriam, nobiliſſimæ civitatis turres & mœnia confregerunt. Noviſſimè verò, Legatus (civitate ſub Francorum deputatâ cuſtodia) ſolutâ obſidione, corpus Regis defuncti cum Prælatorum tumultu Pariſios juſſit deferri, & in collegio anteceſſorum ſuorum more fecit Regio ſepeliri. Obijt autem Rex menſe Septembri, ut dicunt, cujus mortem per menſem, & eo ampliùs, celaverunt. De illis autem, qui ad obſidionem venerunt cum Rege, tam de interfectis & in flumine ſubmerſis, quàm de peſtilentiâ & morte communi defunctis, plus quàm XXII. *millia perierunt.* [b] Antoninus, XX. millibus ſubductis, *pluſquam duo millia hominum ibi mortua eſſe* ait. [c] Vincentius ſimiliter, & [d] author fragmenti rerum à Ludovico R. geſtarum, *circa duo millia hominum, cælorum* vel potiùs *telorum imbribus, & lapidum volatu, & infirmitate propriâ, mortua eſſe* ſcribunt. [e] Robertus Gaguinus civium telis *mille ſexcentos* perijſſe dicit.

[b] *Antonin. hiſt. part. 3. tit. 19. cap. 3. §. 6.*
[c] *Vincent. Spec. hiſt. lib. 30. cap. 128.*
[d] *Geſt. Ludov. à Pithæo edit. pag. 400.*
[e] *Gaguin. de geſt. Franc. lib. 7.*

56 Urbis oppugnationem, *in vigiliâ S. Barnabæ Apoſtoli, quæ fuit quarta feria Pentecoſtes*, h. e. X°. die Junij (in quem anno 1226. quarta feria Pentecoſtes incidit) cæptam, *uſq; ad feſtum Aſſumptionis B. Mariæ* ſiue XV[ū] diem Auguſti continuatã, tradit Fragmenti author cum Vincentio. Antoninus civitatem *tribus menſibus* à Rege impugnatam ſcribit. De exitu verò negotij, & hic & illi narrationem habent diverſam ab eâ, quam ex Matthæo Pariſio propoſuimus. *Avinionenſes* (inquit Vincentius, & eum ſecuti reliqui) *Regis magnanimi conſtantiam attendentes, qui cum ſuis proceribus juramento firmaverat ſe non receſſurum, donec villa caperetur vel redderetur; ducentis datis obſidibus de melioribus villæ,*

villæ, jurant ſtare mandato Eccleſiæ. Tunc de mandato Domini Legati, Rege imperante, foſſata implentur; trecentæ domus turrales, quæ in villâ erant, & omnes muri circumquaque ſolo diruti coæquantur: villa abſolvitur, Dominus Legatus multas bonas & laudabiles inſtitutiones inducit; magiſter Nicolaus de Corbeiâ monachus Cluniacenſis in ipſius loci Epiſcopum conſecratur. Rex inde amoto exercitu, progreditur per provinciam, & redduntur eis pacificè civitates & caſtra & fortaliciæ omnes uſque ad leucas quatuor à Toloſâ. Rex præfecit toti illi regioni Himbertum de Bellojoco loco ſui. Die autem Iovis ante feſtum omnium Sanctorum Regem ad propria redeuntem infirmitas mortalis invadit: Die Martiis ſequenti apud Montpanſier labitur in phreneſim; & die Dominicâ ſubſequenti, ſcilicet in Octavis omnium Sanctorum, moritur. Eo defuncto; [f] *ſummam rerum Blancha regebat, demandatam ſupremâ mariti Regis voluntate. Eam ſtatim res bellicæ excepere. Raimundus Toloſas religionis hoſtis judicatus. Saracenum (id oppidi nomen eſt) ubi præſidium Francorum erat, adortus, deditionem facere coëgit. Umbertus vir bello clarus præfectus Regius in Toloſates juſſu Blanchæ profectus, cùm agris vaſtitatem oſtentaret, urbi excidium minaretur, pervicit ut ſe dederent.* Hæc breviter, ſuo more, Paulus Æmilius. De Blanchâ Reginâ, [g] Matthæus Pariſius: *Oriebatur interim rumor irrecitabilis ac ſiniſter, ſcilicet, quòd dominus Legatus ſecus quàm deceret ſe habebat adverſus dominam Blancam. Sed impium eſt hoc credere, quia æmuli ejus hoc diſſeminaverunt: benignus autem animus dubia in melius interpretatur.* De Raimundi proſcriptione, Fridericus II. Imp. apud [h] eundem, in Bullâ aureâ ad Henricum III. Anglorum Regem tranſmiſſâ: *Habeat* (inquit) *de præmiſſis Rex Anglorum ex ſeipſo exemplum, cujus patrem,*

[f] *P. Æmil. de geſt. Franc. lib. 7.*

[g] *Mat. Pariſ. hiſtor. an. 1226. pag. 323.*

[h] *Ibid. ann. 1228 pag. 335.*

trem, Regem ſcilicet Iohannem, tam diu excommunicatum tenuit Rom. Eccleſ. *quouſque ipſum & regna ejus conſtituit ſub tributo. Habeant etiam generaliter omnes idem exemplum de Comite Toloſano, & alios Principes multos, quorum terras & perſonas tam diu ſub interdicto concludere molitur, donec illos in conſimilem redigat ſervitutem.* De re ab Umberto Bellijocenſi geſtâ, plura leguntur in [i] Chronico Montfortenſi : ubi, inter alia, Caſtrum *Borienſe* captum ab eo dicitur, in quo Albigenſium aliqui (ex quorum numero *Gerardus Mottaus* fuit, qui Diaconus eorum ferebatur) quòd abjurare doctrinam ſuam nollent, flammis abſumpti fuerint. De *Saraceni* oppugnatione ita ſcribit [k] Antoninus:

[i] *Vid. Vignier. hiſt. eccleſ. ann.* 1227. & 1228

[k] *Antõin. hiſt. part. 3. tit. 19. cap. 3. § 6. Bertrand. geſt. Toloſan. fol. 30. col. 3.*

57 Ludovicus, qui Sanctus dictus eſt, *in principio regni ſui contra Albigenſes hæreticos, qui fracto juramento redierant ad vomitum, militiam magnam deſtinavit: cui exercitui præfuit Wilhelmus de Calumniaco. Profecto Comes quidam qui eis favebat, cùm videret ſe non poſſe reſiſtere Regi Francorum, ſe ſuaque in ditione poſuit Regis; & denuo mandatis Eccleſiæ ſtare juravit. Sed more ſolito fidem frangens, caſtrum (quod Sarazin dicitur) quod Rex Ludovicus munierat, obſedit; obſeſſumque varijs modis impugnabat. Sed Simon Bituricenſis archiepiſcopus, qui illis diebus Bituricenſem diœceſim viſitabat, audiens ab hæreticis urgeri dictum Caſtrum, atque ob defectum victualium penè ad extremum deductum: zelo fidei accenſus, accerſito Henrico nepote ſuo (qui tunc primùm cum quibuſdam regni Franciæ Baronibus rediens in illis partibus applicuerat) collectâ etiam militum & quorundam aliorum aliquali multitudine, convocatis etiam vicinis Epiſcopis cum fideli populo qui illum ſequi voluerunt, in auxilium obſeſſorum properavit; atque inter caſtrum & Comitis exercitum ſe medium poſuit, & illis pro*

tun

tunc ut potuit miniſtravit, auxilium in victualibus providendo. Demum cùm videret negotium vires ſuas excedere; cùm obſidionem ſolvere non poſſet, triſtis & dolens receſſit. Addamus & [l] Matthæi Pariſij narrationem: *Rex Francorum miſit in Provinciam ſuper Comitem Toloſanum expeditionem non modicam militarem, ut dictum Comitem debellarent, & ab illis finibus propulſarent. Audientes autem quòd dictus Comes erat tunc apud caſtrum Saracenum, quod ad jus ſuum ſpectare videbatur, decreverunt eum ibidem incluſum obſidione vallare. Comes verò, de eorum adventu præmonitus, cum ingenti copiâ armatorum illis venientibus inſidias paravit, & in ſylvâ quâdam, per quam Franci erant tranſituri, cum ſuis deliteſcens hoſtium expectavit adventum. Venientibus autem Francigenis ad locum inſidiarum, irruit in eos, cum ſuis legionibus Comes, non præmeditatos: & facto hinc inde conflictu graviſſimo, capti ſunt ex Francis milites quingenti, & multi interfecti. Capti ſunt autem ſervientes armati ad duo millia bellatorum, quos omnes ad nudam carnem ſpoliatos, quorundam eorum fecit Comes oculos erui, aures & nares præſcidi, manus ac pedes aliorum truncari, & ſic turpiter mutilatos ad propria remittens deforme ſpectaculum Francigenis obtulit inimicis. Milites quoque captivos omnes, collectis priùs manubijs eorundem, Comes victor ſub arctiori cuſtodiâ deputavit. Actum autem eſt bellum hoc* XV. *Calend. Iunij, apud Caſtrum Saracenum. Et, ut breviter dicam, ter in illâ æſtate expeditionibus repetitis, Franci fugati, vel capti ſunt, & incarcerati à Comite ſæpe dicto.*

[l] *Mat. Pariſ. hiſtor. an. 1228. pag. 337.*

58 Tandem, ut eſt apud [m] Nicolaum Bertrandiū, *Abbas Grandis-ſylvæ ordinis Ciſtercienſis ac D. Helias Garini venerunt de Franciâ legati Romani pacem offerentes Toloſanis. Qui caſſati vexationibus, paci conſentiunt faciendæ:*

[m] *Bertrand. geſt. Toloſan. fol. 3?. col. 1.*

*enda : & ſumptis treugis, miſcentur colloquia : & quo ſit eundem inſtanter ordinatur. Et locus ad veniendum primo fuit * Meldis in Boia civitate Comitis Campaniæ aſſignatus: veneruntq́ illuc Raimundus Comes Toloſanus, & alij viri & cives Toloſani, qui in formâ pacis ſeu inſtrumentis inde confectis nominantur. Erantq́ ibi legati, pluresq́ alij qui fuerant vocati : ubi in tractandæ pacis modo diebus pluribus eſt moratum. Deinde profecti ſunt Pariſios, ut in præſentiâ regis Ludovici* omnia conſummarentur. Extat in ⁿ Bertrandio integrum pactionis illius inſtrumentũ : cujus hoc initium. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ludovicus Dei gratiâ Rex Francorum. Noverint univerſi præſentes pariter & futuri, quòd cùm Raimundus filius Raimundi quondam Comitis Toloſæ diu in excommunicatione perſiſtens voluerit eſſe longo tempore contumax ac rebellis : ad cor tamen rediens (Domino faciente) ad mandatum Eccleſiæ* & *chariſſimi amici noſtri Romani S. Angeli Diaconi Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legati, venit humiliter & devotè ad abſolutionem ſuam; gratiam & miſericordiam Eccleſiæ & noſtram, & non judicium, poſtulans. Et promiſit antedicto legato nomine Eccleſiæ Romanæ, & nobis & hæredibus noſtris, quòd de cætero devotus erit & uſq́ ad mortem Eccleſiæ fideliter adhærebit : & quòd hæreticos, & eis credentes, fautores, & receptatores, in terrâ quam ipſe & ſui tenent & tenebunt, ſemper totis ejus viribus (non parcens in hoc proximis, vaſallis, conſanguineis, nec amicis) expugnabit; & terram tandem purgabit ab hæreticis & hæreticâ fœditate, & juvabit etiam ab eâ purgare terram quam nos tenebimus. Et promiſit etiam quòd juſtitiam debitam ſine morâ faciet de hæreticis manifeſtis, & fieri faciet. Per bailivos ſuos viriliter & potenter inquiret, & etiam diligenter inquiri faciet, de inveniendis hæreticis,*

* Meaux en Brie

ⁿ *Bertr. fol.* 34. 35.

cis, credentibus, fautoribus, & eorundem receptatoribus, ſecundùm ipſam ordinationem quam ſuper hoc fecit dictus legatus, &c. Sponte deinde in Luparâ Regis ſatellitibus ſe cuſtodiendum dedit, donec filiam Johannam (ſecundum pacta & conventa) apud Carcaſſonem nuntijs Regis, & quinque munitiſſimas arces traditas; atque muros Toloſæ dirutos conſtitiſſet. deniq; præſentibus duobus Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus (Romano videlicet Francorum, & Epiſcopo Portuenſi Anglorum legato) camiſiâ tantùm indutus, nudis pedibus, ad altare ductus eſt; & in die paraſceues menſis Aprilis ab excommunicationis ſententiâ abſolutus. Tum menſe Julio ſubſequente, in Tranſlatione Martini, civitas Toloſana per M. *Petrum de Collo medio*, vices Legati gerentem, reconciliata eſt: & Inquiſitio, ad exterminandos Albigenſes, in Narbonenſi provinciâ ſtabilita, cui Dominicani fratres ſunt præfecti.

Papir. Maſſon. Annal. lib. 3. in Divo Ludovico. *Bertrand. geſt. Toloſan. fol. 32. col. 1. 2. & fol. 35. col. 4. Vignier. hiſtor. eccleſiaſt. ann.* 1229.

Inquiſitio in Narb. 4.

59 Factum hoc anno 1229°. quo & Toloſæ adverſus Waldenſes & alios fidei Pontificiæ adverſarios, Prælatorum Galliæ habita eſt Synodus. *Pace enim terris redditâ* (ut notat Franciſcus Pegna) *diverſis temporibus & locis, coactis Galliæ Archiepiſcopis & Epiſcopis, varia Concilia celebrata ſunt, tum de ordine procedendi contra hæreticos, tum de eorundem punitione. Nam anno Domini* 1229. *Toloſæ habitum eſt unum Concilium, ubi multa ſtatuta condita ſunt; quæ per Dominum Romanum S. Angeli Diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, apud Toloſam promulgata fuerunt. Inde paucis poſt annis alterum Concilium habitum eſt, coactis quoq; Galliæ Prælatis, apud Narbonam: in hoc multa tractata ſunt copioſiùs, quàm in Toloſano. Tum poſtea habitum eſt & aliud Concilium*

provinciale apud Biterras: in quo plurima fuerunt latiùs tradita, quàm in duobus prioribus. Hæc Concilia temporum injuriâ diu latuerunt: & ſuperioribus annis invenimus in Bibliothecâ Vaticanâ, item in libro quodam vetuſto membranaceo manuſcripto, qui ex Inquiſitione Florentinâ Romam fuerat delatus. Hæc [o] Franciſcus Pegna, ad Joh. Calderini tractatum De formâ procedendi contra hæreticos: in quo frequenter citantur hæc Concilia. Inter alia plura, quæ ex *ſecundo Concilio Prælatorum* (ſic enim appellat author) in eo tractatu producuntur, ſequens hoc de *univerſali abjuratione* ſtatutum reperitur. [p] *Ut autem adjuvante Domino hæreſis meliùs extirpetur & citiùs fides plantetur in terrâ, ſtatuta & jura per Sedem Apoſtolicam ejuſq́; legatos ac principes ſuper ijs edita faciatis pleniſſimè obſervari. Præterea univerſos tam mares quàm fœminas, maſculos à* XIV. *fœminas à* XII. *annis & ſuprà, faciatis abjurare omnem hæreſim, & jurare quòd fidem ſervent, & defendant Catholicam Eccleſiam, & hæreticos perſequantur (prout ſuprà, in juramento quod Conciliandi habent facere, de ijs pleniùs & latiùs continetur;) conſcriptis ſingulorum nominibus, tam in Actis inquiſitionis, quàm in parochijs eorundem: & qui præſentes infra* XV. *dies poſt ſuum reddi um tale juramentum non præſtiterint, ſuſpecti de hæreſi habeantur. Hanc autem univerſalem abjurationem fieri procuretis quàm citiùs per vos ipſos, vel per veſtros notarios ſeu ſcriptores, vel per alios eccleſiaſticos viros quibus hoc duxeritis committendum: adjecto in juramentis Comitum, Baronum, Rectorum & Conſulum civitatum & aliorum locorum, quòd fideliter & efficaciter, cùm ab eis fuerit requiſitum, Eccleſiam contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt juxta officium & poſſe ſuum; & de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis bonâ fide pro viribus exterminare ſtudebunt*

[o] *tom.* 11. *tractat. Doctor. part.*2.*fol.*410. *edit. Venet. an.* 1584.

[p] *Ibid. fol.*421. *col.* 1.

ſtudebunt univerſos hæreticos ab Eccleſiâ denotatos. Poſt hujuſmodi autem abjurationem quicunq́; lapſi fuerint, & qui non ſervaverint vel fecerint injunctas ſibi pœnitentias, pœnâ relapſis debitâ puniantur. De domibus etiam eorum diruendis, in 5°. capite Concilij Toloſani edita eſt Conſtitutio. *Illam autem domum, in quâ fuerit inventus hæreticus, diruendam decernimus: & locus ipſe ſive fundus confiſcetur.* & in capite 35°. Concilij Biterrenſis. *Domos etiam in quibus inventi ſunt vel fuerint hæretici vivi vel mortui, veſtiti vel damnati, ſcientibus & conſentientibus dominis domorum, exiſtentibus legitimæ ætatis, dirui faciatis, & bona omnia ibidem tùnc habitantium confiſcari: niſi ſuam innocentiam & juſtam ignorantiam probare potuerint manifeſtè.*

60 Tranſtulit in linguã Gallicã tria hæc Concilia Arnaldus Sorbinus, & Pariſijs an°. 1569. curavit imprimẽda: ea etiam Latinè cum cõmentarijs ſuis intra paucos dies in lucẽ ſe daturũ anno 1584. pollicitus eſt [q] Franciſcus Pegna; quod an unquam præſtiterit, adhuc mihi ignotũ eſt. A Raimundo quoque Comite, anno 1233. XII. Calend. Martias, Toloſæ contra Albigenſes promulgata ſunt ſtatuta: quæ in 3°. Annalium ſuorum libro ex antiquis membranis deſcripſit Papirius Maſſonus. In eis, *de domibus diruendis* ſanctiones editæ ſunt plures: atque una penè ijſdem, quibus illa in Biterrenſi Concilio, concepta verbis. *Veſtitorum* etiam, & *Perfectorum* (de quibus ſuprà cap^e^. 8°. §. 2. 3. dictum) mentionem hîc factam invenimus. *Statuimus*, inquit Raimundus, *quòd bona eorum qui fuerint hæretici Veſtiti, licèt receſſerint ſponte ab hæreticorum obſervantiâ, niſi de reconciliatione ſuâ literas teſtimoniales oſtenderint, vel per alias perſonas catholicas & honeſtas illud*

[q] *Fr. Pegn. in tractat. Calderini de hæretic. fol. 410. in Eymerici Director. Inquiſ. part. 3. quæſt. 43. ad fin. comment. 92. Diſputat. de auctoritat. extravag. fol. 187. a. edit. Rom. an. 1584.*

*illud oſtenderint, vel probaverint, confiſcentur. Et etiamſi de reconciliatione conſtiterit, niſi cruces ſuper hoc à ſuo Epiſcopo admoniti ad portandum aſſumpſerint, aut authoritate ſuâ propriâ depoſuerint, aut cùm exteriùs ſuper veſtes extraq; partem pectoris anteriùs prommentes portare debeant, eas celare infra veſtes deprehenſi fuerint, pœnâ ſimili puniantur. Item, ſtatuimus, quòd intelleximus, quòd credentes hæreticorum, cùm proponunt ſe facere, ſecundùm * vitam eorum deteſtabilem, hæreticos Perfectos, ante præcedens tempus poſſeſſiones ſuas & hæreditatem in fraudem fiſci vendunt, vel donant, vel pignori obligant, aut modis alijs alienant: hujuſmodi contractibus in irritum revocatis, non obſtantibus, prædicta bona confiſcentur; ſi conſideratis circumſtantijs dictorum contractuum & ipſorum contrahentium, nobis fuerit viſum dicta bona tranſlata cauſſâ fraudis extitiſſe.*

* viam

61. Altero pòſt anno[r], qui 35us. fuit ſupra milleſimum & ducenteſimum, *Iuriſperitorum Avinionenſium* de Waldenſibus exterminandis editum eſt Conſilium. Illyricus in[f] Catalogo teſtium veritatis, habuiſſe ſe ſcribit *Conſultationes Iuriſperitorum Avinionenſium, item Archiepiſcoporum Narbonenſis, Arelatenſis & Aquenſis, item Ordinationem Albanenſis Epiſcopi, de extirpandis Valdenſibus, jam ante annos 300. ſcriptas: ex quibus appareret, plurimos paſſim in totâ Galliâ fuiſſe.* Eaſdem in vetuſto libro manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ repertas ſignificat Fr. Pegna: à quo illa trium Archiepiſcoporum Conſultatio, Narbonenſis Concilij nomine producitur. In utrâque autem Conſultatione, tum Avinionenſi tum Narbonenſi, ſigillatim traditas eſſe culpas notat, *ex quibus credentes hæreticorum poſſint judicari*: has, verbi gratiâ, in Avinionenſi. *Eos*

r *Fr. Pegna, in Directtor. Inquiſit. part. 2. cõment. 75. a. b.*

f *Catal. teſt. edit. Argentin. an. 1562. pag. 426.*

dicimus credentes, qui frequenter viſitantes Valdenſes, vel prædicationem eorum audientes, vel eos recipientes, ſeu aliâs benefacientes eiſdem, pacis oſculum receperunt. in Narbonenſi verò (præter eas, quæ * alibi à nobis commemoratæ ſunt) haſce. *Si Valdenſibus peccata ſua confeſſi fuerint, ut ſolet & debet quis ſacerdoti proprio confiteri. Si pacem ab hæreticis, ſeu Valdenſibus, vel panem ab eis benedictum, à quocunque ſibi miſſum vel datum, ſcienter & damnabiliter receperunt. Si crediderunt eos in ſuâ ſectâ ſalvari poſſe, vel eſſe bonos, vel ſanctos homines, vel Dei amicos, vel nuntios, vel bonæ converſationis vel vitæ; vel eorum perſecutores peccare: vel ſi eos taliter laudaverunt, vel ſi alio qualicunque ſigno ſeu verbo, in eis ſe fidem & credentiam habuiſſe in jure vel alibi ſunt profeſſi. Si eos libenter & pluries receperunt, audierunt, viſitaverunt, victualia ſeu alia dederunt ſeu miſerunt eiſdem; orationes ab eis, vel Epiſtolas vel Evangelia didicerunt. Hæc enim & ſimilia, et ſi non probent ſingula, multa juvant. præſertim cùm Joannes dicat in Epiſtolâ: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis.* Hæc ibi: quæ à Johanne Calderino citantur nomine *Guidonis Fulcodij*, non *Toloſani* (ut ille credit) ſed *Narbonenſis* Præſulis. Is enim ipſe eſt, qui Romanus Pontifex poſtea creatus, Clemens IV. vocatus eſt: & dum Cardinalis eſſet, Inquiſitoribus de multis dubijs quæſtionibus eum conſulentibus Reſponſa dedit; quæ, unâ cum *Albanenſis Epiſcopi* Conſultationibus, à Nicolao Eymerico & Jo. Calderino non ſemel producuntur. Unum tantùm locum, de abjuratione generali, ex *D. Albanenſis ordinatione quâdam*, à Calderino citatum adſcribam. *Abjuretur hæreſis in terrâ communiter,*

* *Vid. ſupr. c. p. 8. §. 40. & c. p. 10. § 14.*

Vid. Eymeric. Director. Inquiſit. part. 2. quæſt. 50. (& Fr. Pegnam ib. comment. 75.) part. 3. quæſt. 72. (& Pegnã, ibid. comment. 121.) Calderin. tract. de Formâ procedend contr. hæretic. tom. 11. Tractat. Doctor. part. 2. & Pegnam etiam ib.

niter, prout ſtatutum eſt in Concilio Toloſano : & qui poſt abjurationem lapſi fuerint, & qui pœnitentiam injunctam non fecerint, juxta qualitatem & quantitatem delicti, pœnâ relapſis debitâ puniantur. Item præſtetur juramentum à Communitatibus, Baronibus, Poteſtatibus, Conſulibus, Rectoribus : ſicut continent Decretales, & continetur in Pace Pariſienſi.

62 Tertio poſt reconciliatam Toloſam anno, diem clauſit extremum Fulco Epiſcopus Toloſanus, qui annos ampliùs XXVI. in Albigenſibus extinguendis deſudârat. Succeſſit Raimundus de Falguerio : qui *intravit* (ut ait [t] Nicolaus Bertrandius) *ubi deceſſor ejus deſierat, hæreticos viriliter perſequendo, & conſtanter jura eccleſiaſtica defendendo ; Comitem verò Raimundum ultimum, modo cum manſuetudine, modo cum rigore ad bona dirigebat.* Necdum enim * *antiqua damna* Comitis Raimundi animo exciderant : & [u] *dolor paterni dominatus amiſſi, ac uſuſfructus tantùm ſibi relicti*, pectori illius altiùs inſederat. Quàm verò *viriliter hæreticos perſecutus* fuerit Epiſcopus Raimundus, argumento eſſe poteſt, quòd ipſo primo Pontificatus ſui annno [x], XIX. hæreticos, qui Albigenſium ſcilicet doctrinam amplexati ſunt, in diœceſi ſuâ deprehenſos, ultimo ſupplicio afficiendos curârit. Nec minùs ſtrenuam hîc navavit operam Frater Robertus, cognomento qui *Bugarus* ſive *Bulgarus* dictus eſt : de quo Matthæus Pariſius, in anni 1236. hiſtoriâ. *Circa dies illos invaluit hæretica pravitas eorum, qui vulgariter dicuntur Paterini & Bugares, in partibus tranſalpinis, de quorum erroribus malo tacere quàm loqui ; adeò quòd fidei puritatem in finibus Franciæ & Flandriæ auſi ſunt perturbando violare. Sed diligenti miniſterio & indefeſſâ prædicatione Minorum*

&

[t] *Bertrand geſt. Toloſan. fol. 47. col. 2.*

* *Vid. Matth. Pariſ. hiſtor. an.* 1240. *pag.* 511. *& ann.* 1242. *pag.* 577. *edit. Tigur.*

[u] *Paul. Æmil. de geſt. Franc lib. 7. fol.* 141. *i. edit. Pariſ. an.* 1544.

[x] *Nic. Vignier. hiſtor. eccleſ. an.* 1232.

& Prædicatorum & Theologorum, præcipuè fratris Roberti de ordine Prædicatorum (qui cognomento Bugre dicebatur, quia ab illo converſus habitum ſuſcepit Prædicatoris) qui malleus hæreticorum dicebatur, confuſa eſt eorum ſuperſtitio, & error deprehenſus. Quamplures autem ex utroque ſexu ad fidem converti refutantes, fecit incendio conflagrari: ita quòd infra duos vel tres menſes circiter quinquaginta fecit incendi, vel vivos ſepeliri. Et poſtea ad annum 1238. *Currentibus eorundem dierum curriculis, quidam monachus de ordine Prædicatorum, nomine Robertus, cognomento Bugre (vir quidem competenter literatus & doctus, & in officio prædicationis efficax & expeditus) in regno Francorum multos comperit hæreticâ pravitate maculatos; præcipuè tamen in Flandriâ, ubi de more ſolebant incolæ uſurarum vitio plus cæteris nationibus diffamari. Quos omnes in fide diligenter examinatos, & vacillantes, vel exorbitantes, adjutus brachio ſeculari, & domino Rege Francorum impendente ſubſidium, fecit idem frater Robertus incendijs incinerari. Ipſos autem nomine vulgari* * *Bugaros appellavit, ſive eſſent Paterini, ſive Ioviniani, vel Albigenſes, vel alijs hæreſibus maculati.* (* *Vid. ſupr. cap.* 8. §. 20. *& cap.* 10. §. 18.) *Ipſemet enim Robertus memoratus, antequàm habitum religionis ſuſcepiſſet, Bugarus extiterat: quapropter omnes eorum complices noverat, & factus eſt eorum accuſator, malleus, & inimicus familiaris. Tandem verò abutens poteſtate ſibi conceßâ, & fines modeſtiæ tranſgrediens & juſtitiæ, elatus, potens, & formidabilis, bonos cum malis contundens involvit, & inſontes & ſimplices punivit. Auctoritate igitur Papali juſſus eſt præciſe ne ampliùs in illo officio fulminando deſæviret. Qui poſtea, manifeſtiùs clareſcentibus culpis ſuis, quas melius æſtimo reticere quàm explicare, adjudicatus eſt perpetuo carceri mancipari.*

63 Circa annum 1239. bellum adverſus Albigen-

ſes redintegratum eſſe, his verbis docet [y] Guilielmus Nangiacus. *Per idem ferme tempus accidit, quòd peſſimi apoſtatæ de terrâ Albigenſium inſurrexerunt contra Chriſtianos & gentes regis Franciæ Ludovici, qui ex præcepto ejus munitiones illius terræ propter ipſos apoſtatas conſervabant. Unde eos ſæpiſſime invadentes, caſtella quæ ex parte Regis cuſtodiebant, ipſis auferre quotidie conabantur. Sed ipſi apoſtatarum videntes multitudinem, eorumq́ infidelitatem peſſimam attendentes, inito conſilio ad Regem excellentiſſimũ Franciæ, dominum ſuum Ludovicum nuntios tranſmiſerunt; eidem ſignificantes per ipſos, quot & quantas infeſtationes à prædictis apoſtatis ſuſtinebant. Quibus auditis Rex Franciæ Chriſtianiſſimus Ludovicus irâ nimiâ ſuccenſus, fidelem ſuum dominum Iohannem de Bellomonte convocans, præcepit ei, ut adverſus apoſtatas Albigenſes iter arripere non differret. Qui confeſtim Regis imperium cupiens adimplere, collectâ multitudine armatorum, regnum Franciæ celeriter pertranſiens, in proximo, uſq́ ad terram Albigenſium devenit; qui protinus caſtrum fortiſſimum nomine Montem-regalem obſidens, erectis circumquaque petrarijs, mangonellis & alijs ad hoc aptis diverſi generis inſtrumentis, illud infra paucos dies viriliter expugnans, peroptimè tam gente quàm victualibus confeſtim munivit: & ad alia caſtra, quorum hîc nomina brevitatis gratiâ ſubticentur, ſe convertens, ipſa in fortitudine ſuâ, non tamen ſine labore maximo, Regis Franciæ dominio ſubjugavit. Deindè terram illam adeò potentiſſimè peragravit, ut de ipſo veraciter poſſet dici; [cc] In fremitu hic conculcat terram, in furore obſtupefaciens gentes. Itaq́ Albigenſibus Apoſtatis perdomitis, ad dominum ſuum Regem cum triumpho celeriter remeavit. Rex verò de tantâ adverſus fidei Chriſtianæ inimicos lætus victoriâ, gratias retulit omnium creatori.*

[y] *Nang. de geſt. S. Ludovici, pag.* 408. 409. *edit. Francofurt. Vid. Rob. Gaguin. de geſt. Francor. lib.* 7. *in* D. Ludovic. & *Nic. Vignier. Hiſt. Eccleſ. an.* 1240. *ex* Chronico Montfort.

[cc] Habac. 3. 12.

64 Anno 1242. [z] die 29°, Maij (qui tum *Aſcenſionis Dominicæ* fuit) à Toloſanis morte mulctati ſunt, qui Quæſitorum in Albigenſes munus exercuerunt, Stephanus Franciſcanus cum ſocio ſuo fratre Richardo vel Raimundo, Guilielmus Avalus Dominicanus cum ſocio ſuo fratre ejuſdem ordinis, & Archidiaconus Toloſanus cum duobus aut tribus Inquiſitionis notarijs. [a] Eodem anno in arce quâdam Toloſanæ diœceſeos, ex Albigenſium doctrinæ ſectatoribus cc. circiter, ab Epiſcopis Narbonenſi & Albienſi, ac Seneſchallo Carcaſſonenſi, comprehenſi ſunt. Habebant hi pro paſtoribus & miniſtris ſuis, *Bernardum Martinũ Cathavallenſem* & *Raimundum Agulhierum:* qui in ſententiâ ſuâ conſtanter permanentes, ignis ſupplicium pertulerunt. In alio horum temporum Chronico Ms°. ad annum 1243. homines ccxxiv. Waldenſium doctrinam profitentes, in caſtro quodam prope Toloſam capti & combuſti memorantur. Atque, ut longam hanc tragœdiæ Albigenſis narrationem aliquando concludamus, *illud valde dignum memoratu habendum eſſe* ex *hiſtoriographis Toloſanis* notat [b] Nicolaus Bertrandius; *quòd cæptum pro fide catholicâ defendendâ, & pravitate hæreticâ* (adverſariorum hîc, ut alibi ſemper, verbis utor) *extirpandâ in Provinciâ Narbonenſi (quam vulgo Linguam Occitanam appellamus) & Albienſi, Ruthenenſi, Cadurcenſi, Agenenſi diæceſibus, & quibuſdam terris ultra Rhodanum domini Comitis Toloſani, vix intra* lxx. *annorum ſpatium finem dignoſcitur habuiſſe.* Quem verò tandem finem tanti laboris negotium ſortitum fuerit, ab ampliſſimo viro [c] Jacobo Aug. Thuano Lector audiat. *Contra* Valdenſes *cùm exquiſita ſupplicia parùm proficerent, & remedio, quod intempeſtivè adhibitum*

[z] *Vignier. hiſt. eccleſ. an.* 1242. *Specul. Minorum, tractat.* 1. *fol.* 61. *a. edit. Rothomag. ann.* 1509. *Firmament. trium Ordinum Franciſci, part.* 1. *fol.* 28. *col.* 2. *edit. Pariſ. an.* 1512 *Antonin. hiſtor. part.* 3. *tit.* 24. *cap.* 9. §. 3. *Bertrand. de geſt. Toloſan. fol.* 52. *col.* 3.

[a] *Vignier. hiſt. eccleſ. an.* 1242. & 1243.

[b] *Bertrand. geſt. Toloſan. fol.* 30. *col.* 4.

[c] *Thuan. Præfat. Hiſtor. ſui tempori.*

fuerat, malum exacerbaretur, numeruſq́ eorum in dies creſceret, juſti tandem exercitus conſcripti ſunt: nec minoris molis bellum, quàm quod antea noſtri adverſus Saracenos geſſerant, contra eoſdem decretum eſt; cujus is exitus fuit ut potiùs cæſi, fugati, bonis ac dignitatibus ubiq́ ſpoliati, atque huc illuc diſſipati ſint, quàm erroris convicti reſipuerint. Itaq́ qui armis ſe initio tutati fuerant, poſtremo armis victi in Provinciam apud nos & Gallicæ ditiones Alpeis vicinas confugerunt, latebraſq́ vitæ ac doctrinæ ſuæ iis in locis repererunt: pars in Calabriam conceſſit, in eaq́ diu, atq́ adeò uſq́ ad Pii IV. Pontificatum ſe continuit: pars in Germaniam tranſiit, atq́ apud Boëmos, in Poloniâ & Livoniâ larem fixit: alii ad Occidentē verſi in Britanniâ perfugium habuerunt.

MVSEVM BRITANNICVM

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ.

Errata typographica in ſecundâ operis *lectione obſeruata.*

IN marg. pag. 7 ad literam p. *Αὐγουσος*. pag. 239. ad lit. i. *antiqu*. pag. 259. ad lit. m. *collect*. 4. *lib*. 5. p. 309. ad lit. f. *lib*. 5. pag. 312. ad lit. r. pro 200. legend. 279. pag. 346. in marg. lin 6. *col*. 2. 3.

Pag. 79. in titulo, pro Cap. 3. reponend. 4. In paragraph. pag. 136. pro 17. reponend. 27. & pag. 308. pro 15. reponend. 16.

In Epiſt. Dedicator. pag. 3. lin. 15. legend. *exprobrant*.

Pag 6. lin. vlt. leg. *incunabulis*. p. 11. l. 3. *perſcrutari*. p. 78. l. 19. *humo*. p. 84. l. 7. *ſexta feria*. p. 111. l. 1. (*Ierem*. p. 129 l. 11. *mulierculas*. p. 217. l. 26. *Tritihemius*. p. 223. l. 26. *oppidum*. p. 226. l. 14. *Vignierus*. p. 250. l. 2. punctum in fine verſus deleatur. p. 251. l. 23. *Italiâ*. p. 252. l. antepenult. (*teſte*. p. 258. l. 12. *in*. p. 259. l. 11. *Tranſſubſtantiatione*. p. 297. l. 18. *ſuperſtitioſuli*. p. 311. l. 20. *principum*. p. 313. l. 4. 5. *tendebant*. p. 313. l. 29. *quidam*. p. 324. l. 12. CCCCL. p. 330. l. 22. *iam ſibi*, ſublatâ interpunctione. p. 334. l. 11. poſt *appropinquat*. plena diſtinctio ponenda. p. 352. l. 1. 2. *percuſſus*. p. 372. l. 8. *ditionis*.